NAZIONALE
R. BIBLIOTECA CENTRALE V. E. II
8
17
5 1
12
ROMA

FAUSTO STABI
ROMA
LEGATORE DI LIBRI

Digitized by Google

Digitized by Google

SERMONES,

DE NATVRA,

QVALITATIBVS, INNVMERIS

BENEFICIIS, ET AD PRODIGIVM FIDA, SOlertiq́ue cuſtodia Sanctorum Angelorum, qui à Diuina Maieſtate, miſeris mortalibus, à Matris vtero, ad tutelam ſunt aſſignati.

E SCRIPTVRIS, PATRIBVS,

VNIVERSA PROPE HISTORIA ECCLESIaſtica, potiſsimùm concinnati habitique Bambergæ,

ET

ILLVSTRISSIMO AC REVErendiſsimo Principi ac Domino, Domino IOANNI GEORGIO, Epiſcopo Bambergenſi, &c. inſcripti ac dedicati,

A

FRIDERICO FORNERO EPISCOPO HEBROnenſi, eiuſdem Ill.mi & Reu.mi Principis, in Pontificalibus Vicario Generali, & Suffraganeo, SS. Theologiæ Doctore.

Additus eſt triplicatus Index.

I. *Synopticus ſingulorum Sermonum.*
II. *Rerum & Myſteriorum, quæ de Angelis tractantur.*
III. *Applicationis ad Conciones, de Tempore & Sanctis, per annum.*

BAMBERGÆ,

Sumptibus CORNELII LEYSSERII Bibliopolæ Monacenſis, & AVGVSTINI CRINESII Typographi Bambergenſis.

ANNO M. DC. XXVII.

Cum priuilegio Sac. Cæſ. Maieſt. Et licentia Superiorum.

8.5.J.12.

LH

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

INuictiſſimus Cæſar, FERDINANDVS II. Diplomate ſuo, FRIDERICO FORNERO, Epiſcopo Hebronenſi Suffraganeo Bambergenſi, SS.Theol.Doctori,&c. ſpeciale Priuilegium impertiens,authoritate Cæſarea ſanxit,ne quis eius Lucubrationes, & Opuſcula, quæcunque typis euulgat,præter Typographum, cui arbitrio ſuo,ea commendârit, intra Imperij Romani,Regnorum,ac ditionum ſuarum hæreditariarum limites,decennij ſpacio,imprimat,aut alibi excuſa, importet, atque diuendat. Qui ſecus faxit, præter librorum confiſcationem, decem Marcarum auri puri,partim Fiſco Imperiali,partim, auſu illo temerario læſis, perſoluendi, cenſione mulctabitur; vt latiùs patet in Cæſareo Priuilegio,Viennæ 27. Martij, Anno 1621. dato.

FERDINANDVS.

Vt. HL. Von Vlm.

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Maieſtatis proprium.

Hermannus Queſtenberg.

Tibi, Auguſtine Crineſi, permitto, vt hos meos Sermones de Natura & Qualitatibus Beneficijs & Cuſtodia Sanctorum Angelorum, excudas, & publico inuulges. Calend. Auguſti. 1627.

FRIDERICVS FORNERVS, Suffraganeus Bamberg. Theol.D.

Digitized by Google

ILL.^{mo} ET REV.^{mo} PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI GEORGIO EPISCOPO BAMBERGENSI &c, Principi ac Domino meo Clementiſſimo, ſalutem, & omnem à Deo proſperitatem.

INeffabilibus myſterijs & arcanis, Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Princeps, nulla res magis, quàm ſilentium quadrat, atteſtante S. Gregorio Magno. Ea porrò eſt cæleſtium ſpirituum, quos Deus ad ſuum præcipuè miniſterium condidit, ac deſtinauit, Dignitas & Nobilitas, tàm ampla poteſtas, & maieſtas, vt nullius Angelicæ, ne dum humanæ eloquentiæ viribus & facundia, valeat explicari: Eorundem tamen, tot numero, & propemodum infinita, tanti ponderis ac momenti, Beneficia, quæ omni die, hora, quin etiam momentis ſingulis, in ærumnoſos mortales, temporariam iſtam miſeriarum vallem incolentes, & à Domino peregrinantes, cumulatiſſimè effundunt, iure debito, & condecenti ratione, gratam viciſſitudinem poſtulant & exquirunt: Sed cum à nobis, pari compenſatione, reponi, vel adæquari non poſſint, ſaltem celebrari, debitiſq; encomijs exornari, promerentur; id quod in maximam noſtram vtilitatem redundat: Nam quò fidelibus illa deprædicantur, hòc de die in diem ſenſibilibus exaugeſcunt, ſpectatiſſimoq; Encomiaſtarum fructu, & emolumento, increbreſcunt. Eſt quippè nobis Angelus Cuſtos, quàm diu à cæleſti patria exulamus, Tutor in orbitate; Liberator in neceſſitate; Director in errore; Socius in labore; Dulce refrigerium in calore; Succurſus in periculo; Confortator in imbecillitate; Defenſor in oppugnatione, Belli fulmen in certamine cum Diabolo; Leuamen in lapſu; Medicamen in mentis ægritudine; Chirurgus &

Digitized by Google

Malagma,in peccati vulnere; Conſolator in mœrore; Protector Corporis; Illuminator mentis; Animæ,à malignis hoſtibus,obſeſſæ, inexpugnabile munimentum; Comes iucundus & vehiculum in itinere ad cælum; ſupernarum omnium benedictionum, munificentiſſimus Diſtributor; Gazophilacij

Tobiæ 12. cæleſtis liberaliſſimus Diſpenſator: *quid dignum poterit eſſe beneficijs eius*, cum bonis omnibus per eum affatim ditemur? Quod de vno tutelari Angelo proferimus, de omnibus, cum

Hebr. 1. ſint *Adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, rectiſſimè ſentimus: Conciues amæniſſimæ Ciuitatis habitaculi & Inquilini Empyrei cæli ſunt omnes,& ſupra ſolem, natalibus illuſtres; nemo terrigenarum vermiculorum, contra Iubar illud Auguſtiſſimum, nictare præſumet; quis igitur audeat vel intueri, tàm coruſcos ſiderum inambulones? Quis Gigantomachiam inſtauraturiens, illorum ſtupendam potentiam, quam olim, vaſtiſſimorum exercituum cunei, & armatorum agmina, internecioni data, ſensère,ambuſtus quoque ſentiet orbis, & vniuerſa mortalium corpora,in cineres diſſipata, ſunt expertura, cum per hos celerrimos & ſubtiliſſimos artifices, è puluiſculis, velut ex nihilo collecta & reformata,ſupremi Iudicis arbitrio,& ſententiæ ſiſtentur.

Abſterrebat me,fateor,Excellentia tanta,Authoritas tanta,Maieſtas cæleſtium Aulicorum tanta,ne de illorum incredibili prorſus & ineffabili ſplendore, ac magnificentia, vel mutire, vel verbulum balbutire auderem. Iacentem nihilominus animum meum erexit, puſillanimitatem exemit, fiduciam indidit, præclara pietas, & feruens deuotio, Ill.mæ Celſitudinis Tuæ, erga ſanctos Angelos, ſingulorum hominum,præcipuè Magiſtratuum, locorum, Ciuitatum, Principatuum, Prouinciarum, Regnorum, Præſides ac Tutelares: Hac enim inflammatus,non ſolùm *S. Angeli Cuſtodis Feſtum*, olim à Paulo V. piæ memoriæ, Romano Pontifice in Eccleſiam vniuerſalem introductum,ſolemni ritu,per totam Dioe-

ceſin

Digitized by Google

ceſin Bambergenſem, celebrari, Edicto publico, ſanxiſti; verùm etiam, vt paruuli, quorum *Angeli ſemper vident faciem Patris*, ad agnoſcenda, tenaciuſque apprehendenda Sanctorum Angelorum ſeruitia, & eorum præſentiam, tantò maiori reuerentia, ſuſpiciendam, ſuauiter inducantur, Angelicisq; Spiritibus, amoris mutui vinculo copulentur, peculiares vtriuſq; ſexus, puſionum & puellarum Proceſſiones, aliaque pietatis exercitia, vbiuis locorum, per totam Ditionem Tuam, inſtitui demandaſti. Quis hoc ſanctum, Diuinitus haud dubiè inſpiratum, Religionis opus, non ſummis laudibus efferat, & extollat? Sic Deus in ſanctis Angelis, Nobiliſſimis Creaturis ſuis, pro dignitate laudabitur, & extolletur: Sic Illma Cel.^{do} Tua, ſibi ſuisq; ſubditis, tot millium Angelorum fauorem & amicitiam, indubitatò conciliabit, quot millia Angelorum, Propheta Daniel innuit, cum in Prophetica viſione affirmat: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei;* Daniel. 7.
nec enim vt S. Iob atteſtatur, *Eſt numerus militum eius:* Hæc Iob 25.
certè vera ſunt media, quibus Chriſtiana pietas & Angelorum cultus atque Deuotio, longè lateque propagabitur, & fructus mirabiles tempore ſuo dabit, atque ad maturitatem promouebit. Sic execrabilis illa, *maleficorum & Sagarum Dæmonolatria*, ſcelerum omniũ cõgeries, libidinum gurges, flagitiorũ vorago, Dirarum & maledictionum omnium abyſſus, contra quam Iuſtitiæ gladium, vti *Princeps Imperij*, honoris Diuini Zelo actus, meritò & ex officiò ſtringis, Angelorum opera & induſtria, tanto feliciori ſucceſſu abolebitur, eradicabitur, extirpabitur, penitus extinguetur. Sic innumera Dei beneficia, interuentu Angelorum, in te pariter, & omnes tibi ſubiectos, affluentiſſimè redundabunt; Sic Angelorum defenſio atque tutela, te contra omnia Sathanæ *ignea tela*, quibus te, per Dia- Epheſ. 6.
bolica mancipia ſua, homagio, ad omne malum ſibi deuincta, haud dubiè oppugnare, ac ſanctum propoſitum tuum, diſturbare molietur, *induet armatura Dei*, ſecurum reddet; im- Epheſ. 6.
mò & glorioſum victorem, in cælo, poſt fata coronabit.

Digitized by Google

Hos igitur, de ſanctis Angelis, exhortatorios Sermones, quos ad ouiculas meas Martinianas, ab Ill.ma Cel.ne Tua, mihi concreditas, hoc primùm anno, dixi & direxi, vt Ill.mæ Cel.ni Tuæ intentioni pijſſimæ cooperarer, & eorundem Sanctorũ Angelorum memoriam, cultum atque religioſam deuotionem, mentibus eorum ingererem, ac pro virili mea quodammodò implantarem, cum ad aliorum, & præſertim verbi Diuini Concionatorum, quibus alios docendi onus incumbit, vtilitatem, typis euulgaturus eſſem, primario quodam Iure, Ill.ma Cel.do Tua, *tanquam Patronus* ſibi depoſcebat & vendicabat, vt Ampliſſimo Nomini, Magni Principis inſcripti, lucem publicam non exhorreſcerent, ſed quod illis ab eruditione decedit, hoc laudatiſſimi & optimi Principis ac Præſulis, cuius eximia Prudentia, & ſub tantis temporum difficultatibus, in gubernando Principatu ſuo, ſpectatiſsima, & omnibus comperta rerum peritia, ſic reliquis è virtutibus eminet, quaſi Lucifer inter ſtellas, Ampliſſima Authoritate, ſuppleretur. Me igitur, Ill.me & Reu.me Princeps, cum librario iſthoc munuſculo, Ill.mæ Cel.nis Tuæ, Clementiæ, ad omnia ſeruitia, quæ à tenuitate mea expectari poſſunt, ſine vlla laboris exceptione, totum mancipo, dedo atque conſigno, Diuturnam, cum auſpicatiſſimo Regiminis ſucceſſu, incolumitatem, & poſt æuum mortale, perennis immortalitatis & ſummi boni poſſeſſionem, Sanctorum Angelorum promotione, anniſu & opitulatu indipiſcendam, integro cordis affectu, vouens & exoptans. Bambergæ Calend. Auguſt. Anno 1627.

Ill.ma & Reu.ma Cel.nis Tuæ.

Deuinctiſſimus ac fideliſſimus Capellanus ac Seruus

FRIDERICVS FORNERVS
Suffraganeus, Theol. D.

Digitized by Google

INDEX SYNOPTICVS

SERMONVM DE CV-STODIA SANCTORVM ANGELORVM.

SERMO I.

Angeli præcipuè ad laudem ſeruitiumque Dei creati, ad hominum quoque Cuſtodiam deſtinantur.

THEMA.

Benedicite Domino omnes Angeli eius: Potentes virtute, facientes verbum illius; ad audiendam vocem ſermonum eius, Pſalm.102.

EXordium à gratia Regis aut Imperatoris, præcipuos aulæ ſuæ ſattapas, ad alicuius plebi ſeruitia & obſequia deſtinantis. Rationes inſuper inſtituti noſtri. I. Laus Dei, finis Creationis Angelorum. I. Probatur id è Scripturis. II. Teſtimonijs Sanctorum Patrum. III. S. Venantius audit Angelos in cælo hymnum Ter Sanctus cantantes. IV. Audiunt Conſtantinopolitani, Angelos iuxta crucem Conſtantinianam, carmen cæleſte, quotannis demodulantes. II. Angelos ad noſtram cuſtodiam deputatos. I. Probatur ſcripturæ Teſtimonijs & Exemplis. II. Patrum Teſtimonijs compluribus. III. Cauſſa cur hominum Cuſtodia, S. Angelis fuerit impoſita? I. Magnificentia Dei. II. Infinita potentia Dei. III. Sapientia Dei. IV. Hanc Præſidentiam Angeli ſancti promeruerunt, in pugna contra Dæmonem & victoria indepta. V Neceſſitas noſtræ fragilitatis: Nam ſeptem Miſerijs per peccatum incurſis, medetur Angelica tutela: Stultitiæ ſenſualitatis, obſcuritati intellectus, Præcipitantiæ mentis, Timori, Ignorantiæ, Duritiei cordis, Superbiæ. Omnia & ſingula varijs ſimilitudinibus deducuntur, & noſtra infirmitas explicatur. IV. Duæ mirabiles hiſtoriæ recenſentur, è quibus quæ diximus, confirmantur. I. De S. Anuph mirabili ſeruo Dei, multis beneficijs ab Angelis affecto: Ex Ruffino & Palladio. II. De Hildegunde Virgine in ſuſpendio per Angelum ſeruata, & innumeris alijs Angelicis beneficijs ita nobilitata, vt veteris & noui Teſtamenti miracula in ea renouata fuiſſe, videantur. Epilogus, petit debitam erga S. Angelos reuerentiam &c.

SERMO II.

Diſcrimen inter homines & Angelos; Et aliquot cauſſæ ob quas Angeli ſancti, poſt ſacroſanctam Deiparam omnium maximè colendi.

Ipſi enim ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum qui hæreditatem capiunt ſalutis. Hebr.1.

Exordium. Obſequium, alio viciſſim obſequio repenſandum, præſertim vbi diſparitas dantis & accipientis, vt eſt inter Angelos & homines. I. Diſcrimina inter Angelos & homines: I. Angelus filius Regis & Regni hæres: homo miles qui periculoſa certamina

tamina id cogitur acquirere, ii. Angeli incolunt Arcem cæli pulcherrimam, & vile corporis ergaſtulum & veluti carcerem. iii. Angelorum cibus Ambroſia & Nectar cæleſtium gaudiorum: cibus hominis panis doloris. iv. Angelicus intellectus omnia penetrat in momenta: nos ſumus velut balbutientes puerulı reſpectu profundiſſimi Theologi. v. Angelica voluntas efficaciſſima: Noſtra inconſtans & fragilis ſupra quàm dici poſſit. vi. Angelica fortitudo & potentia eſt incredibilis vt patet in motu cælorum, & omnibus Matronis: nos erga ipſos veluti gigantes, inbelles pumiliones. vii. Angelorum pulchritudo eſt ineffabilis: nos ad illos aurichalcum auro collatum. II. Cur ſancti Angeli poſt Deiparam virginem maximè colendi? i Eorum Encomia & beneficia tota ſcriptura paſſim dedicat. ii. Ad miniſterium hominum ſunt conducti. iii. Numerus amicorum infinitus paratur. iv. Vices Dei agunt. v. Sunt nobis beneuolentiſſimi. vi. Centena millia Patronorum acquiruntur. vii. Sunt noſtri excubitores & vigiles. viii. Sunt noſtri Pædagogi, Magiſtri, excubitores & vigiles. ix. Angelorum defenſio è ſcripturis & Patribus probata. x. Quin etiam à Teſtimonijs Hæreticorum. III. Hiſtoriæ Deuotionis erga S. Angelos. i. Sanctus Minorum Patriarcha Franciſcus. ii. Petrus Faber. iii. S. Michael Archangelus ſollicitus pro Ludouico Imperatore. Epilogus. Oratio ad S. Angelos vt omnia mala à nobis propulſent.

SERMO III.

Natura, Numerus, Qualitates & vires Sanctorum Angelorum.

Qui facis Angelos tuos Spiritus & miniſtros tuos ignem vrentem. Pſalm. 103.

Exord. Dignitas & poteſtas, vires & qualitates Angelorum ita ſunt præcellentes, vt ſilentio potius quam oratione honorari mereantur. I. Natura Angelorum. i. Deſcriptio S. Ioannis Damaſceni. ii. Similitudines. 1. Stellæ. 2. Soles. 3. Specula puriſſima. 4. Lilia. 5. Montes aromatum. 6. Florentiſſima prata. iii. Sophronij de eorum excellenti natura Teſtimonium. II. Numerus. i. Innumerabilis. ii. E ſcriptura & Patribus deducta innumerabilitas. iii. S. Ambroſij & S. Brigittæ ſententiæ de Numero Angelorum. iv. Maieſtas Dei in tanto Angelorum numero. III. Potentia Angelorum. i. Supra modum formidabilis. ii. E ſcriptura & Patribus deducta. IV. Velocitas motus. i Superat volatum Falconis in aëre, Pardi in nemore, Delphini in aquis. V. Sapientia & ſcientia Angelorum. i. Ingenio ſunt perſpicaciſſimo. ii. Norunt omnes ſcientias & omnes humanas artes callent. iii. Vident in verbo omnia quæ pertinent ad noſtram tutelam. VI. Amor erga nos. i. Multis ſcripturæ exemplis declaratur. ii. In ignis forma cur appareant? In operationibus igni ſimiles. iii. Poſt filij Dei incarnationem nos feruentius amant. VII. Hiſtoriæ. i. S. Moyſes à Fornicationis Spiritu vehementiſſimè agitatus, videt innumerabilem Angelorum multitudinem pro ſe contra hoſtes malignos ad pugnā paratam. ii. S. Furſæus è corpore eductus plurima à S. Angelis beneficia conſequitur, & admiranda videt in altera vita. iii. Hiſtoria Moderni temporis; de puella abſportata, & ab Angelo Dæmoni erepta. Epilogus. Ad S. Angelos, vt nobis in omni neceſſitate ſuccurrant.

SERMO IV.

Tres Angelorum Sanctorum Hierarchiæ, nouem ordinibus ac veluti Choris diſtinctæ.

Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. Daniel. 7.

Exord. A benè conſtituto Monarchico regimine in hoc mundo; cui ſimilis

Monarchia

Digitized by Google

Monarchia cæleſtis. I. Trium Hierarchiarum conſtitutio. I. Viſio Danielis. 2. Primarium officium Angelorum, Deum laudare. II. Hierarchicus Ordo qualis? I. explicatur ſimilitudine Officialium Aulæ Cæſaris. 2. Tres eorum gradus. 3. Similiter tres gradus in aula cæleſti. Quælibet claſſis complectitur triplicia officia: ſic quælibet Hierarchia cæleſtis tres Choros. III. Sicut in primo ordine Miniſtrorum aſſiſtentium Regi I. ſunt Camerarij, 2. Conſiliarij ſecreti, 3. Commenſales & amici Regis ſpeciales. Sic in prima Hierarchia, Seraphin, amore Dei ardentes, velut Camerarij. 2. Cherubin, ſciētia eximij, veluti Conſiliarij. 3. Throni, in quibus reſidet, & quaſi ſpecialibus amicis delectatur. IV. De ſecunda Hierarchia, ſimilis eſt iterum ſecūdo ordini Miniſtrorum aulæ, qui ad Regimen generale deputantur, I. Præſidentes Aulæ Mareſcalli: & hi in cæleſti Regimine ſunt Dominationes, 2. Generales Militiæ Præfecti, Tribuni, Capitanei. Et hi in cæleſti Hierarchia ſunt Virtutes, Ordinationes Dominationum, Executioni mandantes. 3. Iudices generales & Prouinciales, qui Iuſtitiæ præſunt in toto Regno; ſic Poteſtates ad modum Iudicū præmiant bonos, & caſtigant malos. V. Tertia Hierarchia, iterum ſimilis tertij generis aulæ Miniſtris. I. continet Proreges & gubernantes, 2. Satrapas & Præfectos ciuitatum Rerumpublicarum, 3. Præfectos, Caſtellanos, Conſules, Sculretos. Sic in cæleſti Regimine, I. ſunt Principatus, qui præſunt Prouincijs, 2. Archangeli, qui præſunt Ciuitati, vel Communitati, 3. Angeli cuſtodes cuiuslibet perſonæ. II. Pulchritudo vniuscuiusque Chori. I. quanto interuallo ſuperet pulchritudinem omnium creaturarum, II. gradus pulchritudinis inter ſingulos Choros. III. decem gradibus quilibet Chorus ſuperat inferiorem. III. Numerus ſingulorum Ordinum. I. Teſtimonium S. Dionyſij, II. Multitudo & numerus omnium hominum qui vixerunt, viuunt, ac viuent vſque ad finem mundi, ſi non decies ſuperat Angelos infimi Chori, ſaltem adæquat. IV. Calculatio inferiorum Ordinum reſpectu ſuperiorum. V. Nonagies nouies plures Angeli quàm homines. VI. Stupor Reginæ Sabæ videntis ordinem Miniſtrorum in Aula Salomonis. IV. Alæ quibus ad Angelorum Choros euolare poſſimus. I. Eleemoſynarij ad Angelos. II. Orationi & contemplationi diligenter inſiſtentes, ad Archangelos. III. Ad Principatus ſeipſos mortificantes. IV. Ad Poteſtates, qui alios à malis diſpeſcunt, & ad bonum inducunt. V. Ad Virtutes, qui pro Dei honore patientiæ agones certant. VI. Ad Dominationes, Religioſi. VII. Ad Thronos, aſſiduè cæleſtia contemplantes. VIII. Ad Cherubinos, alios docentes, & ſcientiam ſuam communicātes. IX. Ad Seraphinos, toto corde Deum diligentes. V. Praxis huius ſpiritualis volatus: I. Ab exemplo ſanctiſſimi cuiusdam Eremitæ, cuius nomen erat Anuph. II. Exemplo Ioannis Carretæ familiariſſimi Angelo cuſtodi. Epilogus. Obteſtatio, vt S. Angeli nos viriliter adiuuēt in agone.

SERMO V.

Quinam Angeli ad hominum cuſtodiam ſint deputati? Quinam homines ab ijs cuſtodiantur?

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, vt cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paraui. Exodi 23.

Exordium. A parentibus filios impenſius diligentibus, qui eis optimos Pædagogos & Magiſtros procurant. I. Quinam Angeli cuſtodiant? I. Cuſtodia iſta à Deo promiſſa. II. Homines à Deo non ſunt commendati tutelæ & ſeruitio malignorum ſpirituum. III. Angelos licet nobiliores non dedecet hominum cuſtodia. IV. Apoſtolorum etiam temporibus credita fuit Angelorum cuſtodia. II. De Cuſtodientibus

Digitized by Google

Quæſtio I. Quinam & ex qua Hierarchia Angeli cuſtodiant? II. Omnes in vniuerſum, omnium Ordinum & Hierarchiarũ Angeli, ſaluti noſtræ cooperantur. III. Tribus ſupremis, primæ Hierarchiæ Choris, non conuenit externa occupatio, circa cuſtodiam noſtram, ſed ſolùm ſex inferioribus, ſecundæ & tertiæ Hierarchiæ Choris, id à Creatore eſt demandatum. IV. Nomina omnium Ordinum Angelorum, ſunt Appellatiua, & ſignificant vniuſcuiuſque Chori ſiue Miniſterium internum circa Deum, ſiue externum circa homines. Patet per ſingulos Choros. V. Liberalitas Domini Dei erga nos, qui tres tantùm Ordines primæ Hierarchiæ, ſeruitio ſuo ſeruauit, & ſex Choros ſecundæ & tertiæ Hierarchiæ, ad cuſtodiam & miniſterium noſtrum deputauit. VI. Supremæ etiam Hierarchiæ Angelos, Deus mittit in miniſterium hominũ. 1. Probatur exẽplis plurimis ſcripturæ, 2. Teſtimonijs Eccleſiæ, 3. Ratione. VII. Cuſtodia hominum priuatorum, committitur infimi Chori Angelis, Publicorum & Magiſtratuum, ſuperiorum Ordinum Angelis, idque ratione probatur. III. De cuſtoditis. I. Quæſtio: An Chriſtus Dominus habuerit Angelum cuſtodem. Reſpondetur negatiuè: Multos quidem habuit ſibi miniſtrantes: ſed nullum cuſtodiẽtem, 2. exempla Angelici miniſterii, 3. In Chriſto ceſſat finis Angelicæ cuſtodiæ. II. Qu. An B. Virgo habuerit Angelum cuſtodem? ℟. affirmatiuè, 1. Quia in ea finis Angelicæ cuſtodiæ, 2. Scripturæ id atteſtantur. III. Qu. An Ioannes Baptiſta, Hieremias Propheta, & Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum, habuerint Angelos cuſtodes? ℟. Habuiſſe. 1. Et ratio datur, 2. Quid ſit confirmatio in gratia explicatur. IV. Qu. An ſolis electis, an verò etiam præſcitis datus ſit Angelus cuſtos? ℟. Etiam infidelibus non deeſt Angelus cuſtos. 1. ratio. Deus dat omnibus ſufficientia auxilia, 2 Antichriſtus quoque non carebit Angelo cuſtode. 3. Ratio aſſignatur. V. Qu. An vnuſquiſque habeat proprium Angelum cuſtodem? ℟. affirmatiue. 1. Ratio datur, 2 Probatur ex Patribus. VI. Qu. An vnus à pluribus cuſtodiatur? ℟. Quod ſic. Et oſtenditur, poſſe vnum hominem à decem Angelis cuſtodiri, ſi pertineat ad decem Communitates. VII. Familiaritas S. Franciſcæ Romanæ cum S. Angelis. VIII. S. Wilhelmus innumeris beneficijs à S. Angelis affectus. IX. S. Angelus cuſtos octennio integro ante mortem perſoluit horas Canonicas cum R. P. Franciſco de Bergamo Cappucino. Epilog. Imploratio tutelæ Angelorum.

SERMO VI.

An ſolis hominibus, vel etiam Communitatibus hominum, & alijs creaturis propter hominem creatis, vel etiam locis pijs Angeli ad cuſtodiam præficiantur?

Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus miſſi in miniſterium propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Hebr. 1.

Exord. A particulari regimine, cui particulares perſonæ præficiuntur: Sic vnicuiq; homini particulares Angelos præfecit, Ex infimo Choro, Regnis, Populis, Nationibus, Principatibus, Angelos è ſuperioribus Choris deſignauit. I. An præſint Angeli irrationalibus etiam creaturis? ℟. I. Præſunt Elementis, II. Præſunt ſingulis animalium ſpeciebus, III. Præſunt ſingulis rerum corporearum ſpeciebus Natura diſtinctis. II. An ſingulæ Prouinciæ, Reſpublicæ, aliæque Communitates habeant proprios Angelos cuſtodes? I. ℟. Affirmatiuè. 1. Teſtatur id Moyſes, II. Id quoq; docent Eccleſiæ Doctores, à quibus Origenes docet, in Confuſione Linguarum ad Turrim Babel vniuſcuiuſque nationis linguam perdocuiſſe Tutelares ſuos Archangelum Præſidem. III. Pertinet ad prouidentiam Dei. III. Singuli Epiſcopatus, Parochiæ, Monaſteria,

Collegia

Digitized by Google

Collegia, Fraternitates, Sodalitia, Exercitus, proprios habent Angelos. Similiter Ciuitates, Oppida, & Caſtella. I. Probatur ex Scripturis, II. Ratione, III. Admonitio ad eiuſmodi Communitatum Antiſtites, IV. Duplex Angelorum directio, V. De exercitibus exēpla. 1. Iudæ Machabæi, 2. Baldvvini Regis Hieroſolymorum, 3. Gainæ Tyranni, 4. Emanuelis Portugalliæ Regis. IV. Singulæ Eccleſiæ & Altaria habent ſingulos Angelos. I. Conſtat in Templo Hieroſolymitano; inde à minori ad maius argumentum. II. Aſſertum S. Ioannis Chryſoſtomi. III. Viſio S. Gertrudis, Angelos Eccleſiæ præſides cernentis. IV. Angeli diſpellunt ignem ab Eccleſia à S. Bonifacio cōſecratam. V. Angelus in atrio Eccleſiæ gladiū ſtringens abſterret milites Eudoxiæ in S. Ioannem Chryſoſtomum immiſſas. VI. Angeli ſingulorū Altarium, 1. Eremita in cella S. Barnabæ, vidit Angelum, & audit affirmātem, 2. vidit Leontius Abbas. V. Vniuerſalis Chriſti Eccleſia an habeat Angelum Præſidem atq; cuſtodem? Omninò. I. Veteris Teſtamenti Eccleſia Præſidem habuit S. Michaëlem Archangelum. II. Chriſti Eccleſiæ, Iidem Præſes S. Michaël. 1. Docent id S. Patres, 2. apparitio S. Michaelis in monte Gargano, 3. Eandem Eccleſiam inuiſunt Imperatores Otto III. & S. Henricus. 4 Bonifacius Papa Romæ extruit & dedicat Eccleſiam ſub nomine S. Michaëlis, 5. apparet idem Archangelus Audberto Abrimatenſi Epiſcopo, & mandat Eccleſiam ſub nominis eius titulo iuxta mare exædificari, vbi innumera miracula deſignantur, 6. plura eidem Templa extruit Iuſtinianus Imperator, 7. Similiter & Leſſus Polonorum Princeps, 8. S. idē Henricus & S. Otto. III. Apparitio S. Michaëlis Archangeli facta Conſtantino Magno. 1. Argonautis Ethnicis apparet S. Michaël Archangelus cum alis velut Aquilarum in vtroq; humero, & illis victoriam pollicetur, 2. Statuam igitur ei erigunt & fanum. 3. Eodem in loco S. Michaël apparet Conſtantino, 4. Conſtantinus ibidem Aram & Eccleſiam extrui curat. 5. In ea innumera fiunt prodigia. IV. S. Michaël propugnator omnium fidelium animarum ex hac vita emigrantium. 1. Hiſtoria in obitu S. Henrici. 2. deuotio S. Franciſci erga eundem Angelum. Epilogus. Exhortatio ad deuotionem S. Michaëlis Archangeli, & omnium ſanctorum Angelorum.

SERMO VII.

De executione cuſtodiæ ſanctorum Angelorum.

Angelus loquebatur in me verba conſolatoria & bona. Zach. 1.

Exordium, à Republica terreſtri, in qua ſupremus Dominus aperit ſecreta ſua Secretarijs, qui deinde Præfectis locorum, ac denique ab iſtis manifeſtantur executoribus: ſimile quid fit in cælo. I. Deus primarius Director Angelicæ cuſtodiæ. I. is voluntatem ſuam primò manifeſtat ſupremis Angelis. II. Supremi aperiunt medijs, III. Medij infimis. II. De locutione Angelica. I. eius modus, II. quid requirat ex parte loquentis? quid ex parte audientis? III. Angelica locutio ad plures poteſt extendi, nec impeditur diſtantia loci. IV. Quomodo Angeli loquuntur Deo? 2. quomodo hominibus in hac vita? Exēplum de S. Ambroſio, cui viſus eſt Angelus ad aurē loqui, 3. quo modo in altera vita? 4. quomodo homo loquitur Angelo? V. Modus Angelicæ illuminationis, & quomodo vnus alterum doceat: I. Simile à Profeſſore, 2. modus illuminationis, à ſimilitudine Prædicatoris verbi Dei, altiſſima Fidei myſteria populo explicantis. III. De Angelica cognitione reſpectu ſuorum Clientum. I. Quomodo cognoſcat Clientis complexionem, & ex ea manantes propenſiones? II. Vtrū cognoſcat ſecreta cordis? 1. ex ſignis ꝓbabiliter colligit, 2. cogitationes cordis nullo modo mani-

feſtatas cognoſcere non poteſt. 3. Cognitio ſecretorũ cordis ſoli Deo reſeruata. 4. Secreta cordis perſæpè à Deo Angelis manifeſtantur. III. Vtrum præcognoſcat futuros ſui clientis euentus? ℞. aſſertiuè, & probatur è ſcripturis. 2. Non cognoſcit eos euentus, naturali cognitione, qui à libera cauſſæ alicuius voluntate dependent. IV. Præſentia & præterita cognoſcit, vel connaturali cognitione, ſi continentur intra obiectũ cognoſcibile Angelo: ſin ſecus, diuina reuelatione. 2. Naturalis eius cognitio fit tribus modis: in ſignis, ex relatione, ex anteà viſis & exploratis. IV. De ipſa cuſtodia Angelica, eiusque tempore ac loco. 1. Vtrum Angelus Cuſtos in terris degat cum ſuo cliente? an verò in cælis degens, eius curam agat? Frequenter cohabitat clienti in terra, nec deſerit cum eſt in cælis. 2. Etiam dum in cælis eſt, nullum clienti periculum metuendum. II. Quando incipiat aut finiatur Angelica tutela? 1. Cuſtodia Magiſtratus incipit cum officio, & cum eius dimiſſione finitur. 2. Cuſtodia hominis priuati incipit ab vtero matris. 3. In vtero matris infans cuſtoditur ab Angelo matris. 4. Finitur cum vita. 5. Sed aliter circa damnandos, aliter circa ſaluandos. 6. Laborat Cuſtos Angelus pro anima in purgatorio detenta, vt eò citiùs liberetur, III. Nunquam deſerit clientem ob peccata. 1. Fidelitas Angeli ſancti. 2. Peccanti nihilominus peculiares aliquos fautores ſubtrahit nonnunquam. 3. S. Onophrio Angelus aſſiſtentiam ſuam pollicetur. 4. S. Iſidori vices in arando obit S. Angelus cuſtos. 5. Idem pro B. Felice Cappucino paſcit pecora. 6. S. Franchæ virgini ſacrum velamen imponit, & operam ſuam pollicetur. Epilogus. Eadem aſſiſtentia nobis quoque certa, ſi nos ea dignos reddamus.

SERMO VIII.

De Officijs & Nominibus ſanctorum Angelorum.

Viuit Dominus quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem. Iudith 13.

Exord. Sicut mundi officium rerum ordinem circumgyrare: ſic Angelorum benefacere. I. Officia ſanctorum Angelorum in communi. I. Cantores diuinæ laudis. 1. Probatur Scripturis. 2. Votum vt Angelicam Muſicã olim in cælo audiamus. 3. exempla auditi cantus Angelici, Quidam Eremita, & S. Venantius. II. Oratores & deprecatores. 1. Nuncij & Curſores. 2. Calamitatis noſtræ ſpectatores, 3. Eorum interceſſio, ex Scripturis & Patribus probata. 4. Non latent eos noſtræ neceſſitates. 5. S. Valerianus videt Angelum cum S. Cæcilia, pro ſua & fratris conuerſione orantem. III. Legati Domini Dei. 1. exempla huius Angelici officij ex Scripturis. 2. Legatus propter Dominum, à quo mittitur, honorandus. IV. noſtri Protectores. 1. Probatur à Scripturis. V. Belli Duces. 1. Pugnant ſine armis. 2. Exemplum Ioſuæ & Abbatis Theodoſij, pro quo Angelus contra Dæmones pugnauit 3. Recollectio prædictorum officiorum. II. Nomina, & honorum tituli, quibus Angeli condecorantur. 1. à Scriptura. 1. Angeli, 2. Flammæ vrentes, 3. Miniſtri, 4. Milites. 5. Oculi Chriſti, 6. Fabri armorum nobis neceſſariorum, 7. caſtra Dei, 8. Chori caſtrorum, quia velut chori Muſici recreant, 9. Altitudines; & cur? cauſſa ex S. Hieronymo. II. Tituli quibus eos cohoneſtant ſancti Patres. 1. à S. Auguſtino, Aquæ ſupra firmamentum. 2 Fideles amici. 3. Conſolatores. 4. Conſiliarij. 5. Cantores. 6. Pædagogi. 7. Hiſtoria pulchra de S. Dominico. 8. Alia inſignis admodum hiſtoria de iuuene per Angelum alapa correcto, & à periculo laſciuiæ abſtracto. Epilogus. Exhortatio, vt Angelo ſancto ſemper obediamus, dum nos à lubricitate peccandi occaſionem, abſtrahere conatur.

SERMO

Digitized by Google

SERMO IX.

De Apparitionibus & Imaginibus ſanctorum Angelorum.

Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritus Dei circumfulſit illos. Lucæ 2.

Exordium. Poſt Incarnationem filij Dei Angeli homines impenſius, & feruentius amant, quàm anteà. Declaratur ad longū apparitio Angelorum in Natiuitate Saluatoris, ex S. Gregorio. I. Poteſtas aſſumendi corpus. Qu. 1. Num Angelus habeat poteſtatem corpus aſſumendi? ℞. Quod fit cum tribus conditionibus. 2. Varia exempla Scripturæ. Qu. II. An corpora, quæ Angeli aſſumunt, ſint vera corpora? an ſolùm apparentia? 1. Aliquando vera corpora perfectorum animalium aſſumunt. Sic S. Euſtachio Angelus in forma cerui, S. Clementi in forma agni apparuit. 2. Corpora humana ſibimet efformant ex aëre. 3. Quomodo colorem producat? 4. Quomodo figuram? 5. Quomodo duritiem & mollitiem? 6. Materia eſt aër in ſe includens varios vapores. 4. Corpora talia non eſſe vera, tactu deprehenditur. Qu. III. Num Angelus in corpore aſſumpto, verè comedat, loquatur, motu progreſſiuo incedat. 1. Non comedit verè. 2. Non loquitur verè. 3. Nec vtitur motu progreſſiuo. 4. Chriſtus poſt Reſurrectionem verè comedit. IV Diſcrimen inter Angelicas & Diabolicas apparitiones. 1. Angeli boni, bonus finis; mali malus. 2. Angeli mundorum tantùm animalium corpora aſſumunt; Diabolus aliquando formam hirci, porci, apri, ſerpentis, draconis, bufonis induit. 3. Angeli boni nunquam cadauera induunt, ſicut Dæmones, quando cum mancipijs ſuis ſodomiticè peccant. Angeli prima fronte terrent, poſteà lætificant. contrarium faciunt Dæmones. 5. Angeli apparent in corporibus iuuenilibus, & formoſis, Dæmones ſemper cum pede bifido, caprino, aut equino. 6. Cauſſæ cur in integro corpore humano non poſſint apparere, tàm ex parte Dei, quàm ex parte Diaboli. 7 Angeli ſancti nunquam decipiunt ſenſus humanos, ſicut Dæmones, ſed verè cibant & potant homines. 8. Dæmon ſæpè turbidis fimatorum & latrinarum lacunis, Sagas potat, & morticinis cattorum, canum, glirium, murium carnibus paſcit. 9. Diabolus turpiſſimè illudit Sagis. V. Qu. Cur nullus vnquam bonus Angelus corpus alicuius hominis obſederit, quod tamen faciunt ſpiritus maligni? 1. cauſa, Reuerentia Templi Dei. 2. reuerentia myſterij Incarnationis. II. De picturis & imaginibus ſanctorum Angelorum. Qu. 1. Cur facie iuuenili, & velut ætate florenti? 1. Florida eſt ſemper eorum pulchritudo. 2. Etiam immortalis. 3. Quid ex hac perpetua Angelorum iuuentute condiſcendum? II. Qu. Cur plerunque habitu candido & rutilanti? 1. Quia in perpetuo ſunt gaudio. 2. viſi etiam in armis. Qu. III. Cur alati? 1. quia omnis terrenæ fęcis immunes. 2. Archangelus Gabriel cur alatus pingatur? 3. Alati Angeli, vt eorum velocitas ſignificetur. Qu. IV. Cur gemmati & cruce in fronte inſigniti. 1. Gemmæ eorum gratiæ dona, 2. Cruce inſigniti, quia Crucem Dei in vallem Ioſaphat deportabunt. 3. Ibidem hiſtoria de Conſtantino Magno. 4. Vt cum S. Franciſco amor noſter ſit crucifixus. Qu. V. Cur excalceati & nubibus inambulantes? 1. ſunt extra omnem huius vitæ miſeriam. 2. Non ſubiiciuntur humanis paſſionibus. VI. Qu. Cur aurea zona præcincti? 1. Quia caſti & immaculati. 2. Caſtimoniam impenſiſſimè diligunt. conſtat ex hiſtoria S. Cæciliæ. 3. Virginitas Angelis cognata. 4. Imagines humana ſpecie effingere Deo gratiſſimum. Probatur inſigni miraculo Crucis iuſſu S. Procopij Martyris fabrefactæ, in qua Angelorum imagines miraculosè apparuerunt. Epilogus. Vt omnes ſupradictas ſuas Qualitates Angeli ſancti nobis etiam procurent.

SERMO X.

Quinam hominum auxilia illuſtriora, & ampliores ab Angelis cuſtodibus fauores conſequantur?

Angelus qui eripuit me de vniuerſis malis, benedicat pueris iſtis, Gen. 48.

Exord. A brutis, & omnibus alijs creaturis, quibus creator dedit inſtrumenta & adiumenta ad indiuidui ſui defenſionem. At homo nudus naſcitur, cui idcirco cuſtodiam Angelicam deſignauit. I. Ab Angelis amantur, pro aliorum ſalute laborantes. I. Exempla ſcripturæ. II. Exemplum S. Ambroſij. III. Promiſſio Danielis Prophetæ. II. Diliguntur ab Angelis miſericordes in pauperes. I. Exempla Scripturæ. II. Sanctus Gregorius Angelum inter pauperes conuiuam nanciſcitur. III. Hiſtoria de puella Alexandri, quæ datis omnibus bonis ſuis deſperatum quendam à ſuſpendio liberauit. quam ideò Angeli è ſacro fonte leuarunt. IV. Angelicus iſte fauor, etiam in ſpiritualia miſericordiæ opera ſe extendit, iuxta S. Ioannis Chryſoſtomi doctrinam. III. Fidei propagatores. I. Exemplum S. Marcelli Acæmetarum Archimandritæ. IV. Colloquentes de rebus pijs. I. Scriptura. II. Viſio miranda cuiusdam S. Viri, qui cernebat apud loquentes de rebus pijs Angelos, de rebus impijs Dæmones in ſpecie porcorum luculentorum. V. Diuinis laudibus & ſacro Miſſæ officio aſſiſtentes piè ac deuotè. I. Scriptura, cum exemplo S. Valeriani. II. Hiſtoria de quodam Principe. III. Angeli deducunt S. Wenceslaum ad Imperatorem Ottonem. IV. Angeli præſentes Sacrificio Miſſæ. V. Angelus errantem in Sacrificio Miſſæ iubet à Diacono correctionem accipere. VI. Angeli reſpondent S. Gregorio ſacrificanti. VII. S. Euthymius videt Angelos ſub Sacrificio. VIII. Aſſiſtunt laudantibus Deum. 1. S. Victori, 2. Cantant, Veni Sponſa Chriſti, 3. Cantant horas Canonicas ad ſepulchra Martyrum, 4. S. Gudvvalo Angeli reſpondent, 5. Hymnos S. Trinitati cantant, audiente S. Ignatio, 6. Cantant ℟. Felix namq; es ſacra Virgo Maria. IX. Dauidi Eremitæ muto loquelā dant ad pſallendum. VI. Diligunt afflictos & patientes pro Chriſto. I. Sex miracula in liberatione trium puerorum. II. Daniel in lacu Leonum. III. S. Agatha. IV. S. Catharina. V. S. Celſus puer, VI. S. Fides Virgo & Martyr. VII. S. Margaretha Virgo & Martyr. VIII. S. Adelgundis contumeliis affecta. Epilogus. Fiducia in Angelico præſidio dum tribulationibus atterimur.

SERMO XI.

Religioſi ab Angelis ſummo in honore habentur.

Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & Miniſtros ſuos ignem vrentem. Pſal. 103.

Exord. Sicut inter Aulicos Regis mutua neceſſitudo: ita inter Angelos & Religioſos, qui in multis ſibi mutuò aſſimilantur. I. Angeli ſancti amant & venerantur homines Religioſos. I. Exemplum Patriarchæ Iacob. II. Prophetæ Danielis. III. Angelorū & Religioſorum mutua familiaritas. IV. Exemplum Guthlaci Religioſi, cui ſe Angelus quotidie præſentem ſiſtit. II. Exempla familiaritatis inter Angelos & Religioſos. I. viſio S. Bernardi, in qua diuerſimodè Angeli annotant eos qui Doxologiam S. Ambroſij & Auguſtini, *Te Deum laudamus*, deuotè cantant. II. R. P. Franciſcus de Bergamo Cappucinus. III. Eremitæ greſſus numerat Angelus. IV. Angelus iuuat Religioſos, vt vincant Dæmonis tentationes. V. Angelus oſtenſione fœtentis in ſepulchro cadaueris, Apoſtaſiæ tentationem excutit Religioſo. III. Curant Religioſos ægrotantes. I. Solitario decumbenti miniſtrat Angelus cuſtos. II. Angelus ægrotantē ſecat, & exemptis morbi cauſis integrè ſanat. III. Audiens Angelos cantantes à morbo ſanatur. IV. Miniſtrantibus

Digitized by Google

ſtrantibus Angelis Religioſi pij non rarò pitiſſant gaudia cæleſtia. v. Angeli pioru͂ Religioſorum exequias honorant. vi. S. Paphnutius viribus exhauſtus, ab Angelo reficitur & corroboratur. vii S. Onophrium cibat & Communicat S. Angelus. Epilogus. Inuectina in parentes qui filios & filias ſuas retrahunt ab ingreſſu Religionis.

SERMO XII.

Caſtimoniæ & puritatis amatores, à ſanctis Angelis impenſiſſimè diliguntur, & in neceſſitatis caſibus defenduntur.

Viuit Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & non permiſit me Ancillam ſuam coinquinari: ſed ſine pollutione peccati, reuocauit me vobis, gaudentem in victoria ſua, Iudith. 13.

Exordium. à dicto Zenonis Philoſophi, Amicus alter ego mihi ſimillimus: ita inter Virgines caſtimoniæq; deditos amicitia eſt. I. Laudes & encomia caſtitatis. i. ſingulare Dei donum Virginitas. ii. eius laus ex Patribus. iii. Caſtitas matrimonialis & Vidualis. iv. Caſtimoniæ zelus quanta laude dignus? II. Angeli patroni caſtitatis amatorum. i. S. Equitio eximunt fomitem libidinis. ii. Idem beneficium præſtant Eliæ Præpoſito trecentarum fæminarum. iii. S. Itidem Sereno Abbati. iv. Et S. Thomæ, quem Angeli cingunt, & ei caſtitatis donum conferunt. III. Angeli cuſtodiunt & defendunt Caſtos. i. S. Euſebium è ſacro fonte leuant, & à periculo præſeruant. ii. Mercibus ſuis famulantur Annuo. iii. S. Cæciliæ corpus Angelus Cuſtodit. iv. Item Virginitatem S. Theophilæ. v. S. Dionyſiæ. vi. S. Ermelindis. vii. S. Amator Altiſiodorenſis viii. S. Maria Oegniacenſis. ix. Hiſtoria inſignis de S. Iuliano & Baſiliſſa. 1. Angelus ſuadet, vt ducat vxorem, quæ cum ipſo in virginitate ſit permanſura, 2 Iulianus celebrat nuptias cum Baſiliſſa, 3 Angeli vtriuſque cuſtodes ſe ſiſtunt præſentes in cubili. 4. vterque vouet Caſtitatem; quo emiſſo voto multa cælitùs contingunt prodigia. 5. Chriſtus Dominus & Beatiſſ. Virgo vtriq; apparent. 7. liber aureus oſtenditur Iuliano, in quo cæleſte præmium vtrique promittitur. IV. Pœnitentes poſt lapſum carnis non contemnuntur ab Angelis. i. Maria Magdalena plurimos fauores accipit ab Angelis. ii. Maria itidem Ægyptiaca. iii. Aglia matrona nobilis. iv. Nicetas Martyr. Epilogus. Vt Angeli nos iuuent ad aſſequendam victoriam carnis.

SERMO III.

Complura beneficia corporalia, quæ ab Angelo cuſtode ſolent exhiberi: I. Matrimonia ſecundant & fæcundant. II. Famelicos & ſitibundos cibant & potant III. Solantur ægros. IV. Itinerum pericula propulſant.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, qui in cælis eſt. Matth. 18.

Exordium. Deus non contentus cælum & terram, & omnia quæ cæli ambitu continentur hominis cauſſa creaſſe, longè nobiliorem Angelicam creaturam ad eius cuſtodiam voluit deputare. I. Matrimonia ſecundant & fœcundant. i. Matrimonium contracturis benè conſulant & aſſiſtunt. Quinam pronubi adhibendi? 2. Exemplum Abraham Patriarchæ. iii. Matrimonia iam contracta, quid vberius petendu͂ à S. Angelo cuſtode? 1. exemplum Saræ, 2. vnde tot infelicia matrimonia in hac ciuitate? iii. Steriles in matrimonio confugiant ad S. Angelum cuſtodem. iv. Educatio pia liberorum opera S. Angeli acquirenda. 1. Exemplum Manue patris Sampſonis. 2. Heli, 3. S. Amelburgæ vtero geſtantis S. Gendilem. v. Angeli indignantur parenti-

Digitized by Google

parentibus piam liberorum educationem negligẽtibus. II. Sedat famem & ſitim. I. exempla Scripturæ. 1. Agar, 2. Iſraelitarum. 3. Eliæ, 4. Danielis. II. Hiſtoriæ. 1. S. Pauli Eremitæ. 2. Duo ex Ordine S. Dominici. 3. Duo ex Societate Patres, in prouincia Mexicana. III. Ægritudines fugat, & dolores lenit. 1. Exempla Scripturæ. 1. Tobiæ, 2. Piſcinæ probaticæ. II. Hiſtoriæ. 1. S. Cuthbertus, 2. Nouitius ex Ordine S. Dominici, 3. S. Rochus. 4. Solitarius Ægyptius. 5. Mexicanus quidam adoleſcens ægrotans. Hortulanus ſolitarius. IV. Itinerum pericula propulſat. I. Exempla Scripturæ. 1. Iſraelitarum. 2. Eliæ, 3. Tobiæ, 4. Abacuc, 5. Philippi Diaconi, 6. Mariæ & Ioſeph. II. Exempla hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. 1. S. Onophrius, 2. S. Benedictus, 3. S. Dominicus, 4. Viatorem dirigit S. Archangelus Raphaël, 5. Balduuinus Rex Hieroſolymorum, 6. Angelus numerat greſſus Eremitæ, 7 Liber Angeli cuſtodis, 8. Vigilantia & cura ſanctorum Angelorum. III. Honorandi ideò S. Angeli. 1. exemplum S. Franciſci, 2. B. Rogerij. Epilogus. Exhortatio vt & nos Angelorum fauorem demereri ſtudeamus.

SERMO XIV.

Alia tria beneficia corporalia S. Angeli Cuſtodis. V. Iniquè oppreſſos ſubleuant. VI. Arcent omnis generis mala. VII. Contagioſos morbos & peſtem depellunt.

Dico vobis quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, qui in cælis eſt. Matth. 18.

Exord. Ab impoſſibilitate numerandi beneficia Angeli cuſtodis. I. Iniquè oppreſſos ſubleuant. 1. Exempla Scripturæ. 1. Balaam, 2. Iacob fugientis Eſau, 3. Heliſæi Prophetæ. II. Hiſtoriæ, 1. S. Theophila Virgo, 2 S. Ioannes Chryſoſtomus, 3 Gainas Tyrannus abſterritus III. Defendunt viduas, & Pupillos. IV. Iniuſtè incarceratos liberant. 1. Petrus, 2. Daniel. 3. S. Felix, 4 S. Apollonius, 5 S. Svvibertus, 6 S. Benignus Martyr, 7 S. Acyndinus & Pegaſius, 8 S. Gregorius Martyr, 9 SS. Hermogenes & Menas. II. Arcent omnis generis mala. 1 Exempla Scripturæ varia. 1 Abraham à cæde filij, 2 Loth è Sodomis, 3 Tobiam, 4 Danielem, 5 Iacob Patriarcham, 6 Ioſephum, 7 Iudith, 8 Apoſtolum Paulum. II. Hiſtoria memorabilis de Maximiliano I. Auſtriaco, poſteà Imperatore, ab extremo præcipitij periculo per Angelum ſeruato. III. S. Oſitha triduo ſubmerſa in flumine, ab Angelo viua ſeruatur, & è profundo educitur ac liberatur. IV Mulier paupercula cum infantulis è ſubmerſionis periculo eripitur. V S Agatha præſidio Angelico confidens ignem non timet. VI A plurimis crocodilis Ægypti, quidam è Patribus ne deuoraretur, liberatus. III. Depulſio contagioſorum morborum. 1. Peſtis Romana tempore S. Gregorij extincta. II. Lues inguinaria in Gallia, ſedata. Epilogus. Exhortatio vt Angelorum beneficia in perpetua memoria circumferamus, eoſque debito amore proſequamur.

SERMO XV.

Alia duo beneficia Angelica: VIII. Diem obitus prædicunt. IX. Martyres adiuuant certantes in agone; & in tormentis conſolantur.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Pſal. 33.

Exordium. A dicto Salomonis: Frater qui adiuuatur à fratre, eſt tanquam ciuitas firma. Quod etiam locum habet in Angelica cuſtodia. I. Obitum clientibus ſuis non rarò prædicunt. 1. Deſiderium Dauidis ſciendi ſuum finem. II. Archangelus Gabriel Beatiſſimæ Virgini Dei genitrici obitus ſui diem cum palmæ ramo denunciat.

III. Idem

Digitized by Google

III. Idem Archangelus Michael ſignificat ſancto Arnulpho Seuſſionenſi Epiſcopo. IV. Archangelus Michael poſt quatuor annos S. Wilfrido, Archiepiſcopo Eboracēſi, denunciat. V. Diem obitus S. Philiperti Abbatis, Angelus deſignat. VI. S. Maglorio Dolenſi Epiſcopo Angelus bis apparet, & ſecundo, ſacro viatico ad diem obitus iam determinatum, communit, & de cæleſti præmio ſecurum eſſe iubet. II. Sancti Martyres adiuuant & releuant in martyrij certamine. I. Probatur exemplis Scripturæ. I. Trium Puerorum in quorum gratiam ſex ingentia Miracula patrat. 2. Sancti Danielis pro cuius ſalute quatuor Miracula fiunt. II. Sanctus Vitus Martyr, ab Angelo ſæpius è tormentis liberatur. III. Sanctus Conſtantius curatur ab Angelo & tortorum manibus eripitur. IV. S. Theodorus Dux exercitus ſub Licinio, innumerabilibus tormentis iam ſuperatis, cruci affixus ab Angelo ſoluitur & ſanatur. V. S. Fauſtinus & Iouita in Mare demerſi, ab Angelo ſaluantur. VI. S. Chriſtina Virgo à multis tormentis curatur, & à ſubmerſionis diſcrimine præſeruatur. VII. S. Paulus & Iuliana ab Angelo viſitantur in carcere curantur, & cibo potuq; reficiuntur. S. item Iuliana in lupanar detruſa mirabiliter ab Angelo defenditur. VIII. S. Procopius Martyr antea Neanias non ſolum ab Angelis, ſed ab ipſo Chriſto Domino inuiſitur & viribus redintegratur. IX. S. Mamas per Angelū ſubmerſionis periculum euadit. X. S. Martyr Vincentius Angelo mediante à vulneribus conſaneſcit. XI. S. Anaſtaſius Martyr à Sanctis viſitatur, & ab Angelo incenſum ei datur. XII. S. Sebaſtianus ſplendida veſte ab Angelis ſeptem amicitur, & ab Angelo cuſtode verbis conſolatorijs erigitur. XIII. S. Demetrius Martyr ab Angelo coronatur. Epilogus. Exhortatio vt in omni calamitate noſtra poſt Deum & Deiparam ad S. Angelos recurramus.

SERMO XVI.

X. Beneficium corporale: Angeli pugnant pro Clientibus ſuis, etiam contra viſibiles & corporeos hoſtes, eis victorias atque triumphos obtinent & acquirunt.

Factum eſt igitur in illa nocte, venit Angelus Domini, & percuſſit in Caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. 4. Reg. 19.

Exordium. Homo ideo Angelicæ cuſtodiæ à Deo concreditus, vt ab hoſtibus defendatur, vnde ampliſſimis non rarò partis victorijs, hoſtilem vim à ceruicibus ſuorum Clientum propulſant. I. Victoriæ à ſacra Scriptura commemoratæ. I. Victoria Regis Ezechiæ, cum omnibus circumſtantijs. I. Regnum Iudæ ab impio Aſſyriorum Rege Sennacherib, grauiſſime opprimebatur. 2. Rex Ezechias modis ac medijs omnibus conatur eum placare & à populo ſuo Tyrannidem eius auertere. 3. Exhorreſcit ad blaſphemias Rabſacis. 4. Angelus vna nocte interficit centum octoginta quinque millia. 5. Sennacherib à filijs ſuis trucidatur. II. Archangelus Michael laborat pro populi liberatione è duriſſima Ægypti Seruitute. I. Et tandem vincit. 2. Submergit Ægyptios in Mare rubro. III. Eliſæus Propheta defenditur à multis legionibus Angelorum. IV. Iudith ope Angeli trucidat Holofernem. V. Duas percelebres victorias obtinuit Iudas Macchabæus ope Angelorum. I. contra Timotheum. 2. contra Lyſiam. II. victoriæ Angelorum opera partæ ex hiſtorijs Eccleſiaſticis. I. Pugnant Angeli in faucibus alpium contra exercitum Maxentij Tyranni. II. Angeli S. Wenceſlao contra hoſtes arma miniſtrant. III. Angelus euaginato gladio pugnat pro Thodeberto & Theodorico Fratribus,

Digitized by Google

contra Clotharium. IV. Victoria Theodoſij contra Perſas, & eorum Regem Baranem, V. Angelus in forma paſtoris ducit exercitum Theodoſij, VI. Elesbaon Æthiopum Rex, opera S. Archangeli Gabrielis, vincit Dunam Hebræum, Tyrannum & Apoſtatam, VII. S. Angelus pugnat pro S. Henrico Imperatore, VIII. S. Angeli in albis equis pugnant pro Alphonſo Congi Rege. III. Victoria moderni temporis, I. Victoria parta propè Pragam, 1. Angeli diſturbant hoſtium inſidias, 2. Angelicæ Legiones terrent hoſtes, vt fugam accipiant, 3 Angeli etiam à Catholicis nonnullis viſi. II. Victoria à Durlacenſi Marchione Angeli opera reportata, 1 Angelus Eques in equo candido, 2. In eo multa admiranda, 3. incendit puluerem tormentarium, & omnem apparatum bellicum, 4. Hoſtes terret, & in fugam compellit. III. Aduerſæ partis hominum confeſſio, de vtraque victoria IV. Victoriæ reportatæ à Comite Tillio, contra Brunſvvicenſem Ducem, & Daniæ Regem, indicant aſſiſtentiam Dei, & ſanctorum Angelorum.

SERMO XVII.

Beneficia ſpiritualia quæ nobis à ſancto Angelo conferuntur, in genere conſiderata.

Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Pſal. 90.

Exordium. Angeli ſancti ſunt quaſi conſtituti Eleemoſynarij in Aula Dei. I. Angelorum actiones variæ circa ſpiritualia beneficia. I. Purgatiuæ, 1. exempla plurima è ſacris Scripturis, 2. Ad eaſdē actiones nobis quoq; cooperantur. II. Actiones illuminatiuæ, 1. earum itidem exempla plurima è ſacris Scripturis. III. Actiones perfectiuæ, 1. plurima iterum exempla ſacræ Scripturæ, 2. S. Angeli ſæpius ante obitum S. Nicolao cum Muſica cæleſti ſe exhibent, 3. Inuiſunt ſæpè S. Macarium, 4. Virginem Religioſam à carnis tentatione liberant. II. Beneficiorum ſpiritualium ab Angelis in homines conferri ſolitorum figuræ. I. Viſio Zachariæ Prophetæ, 2 Alia eiuſdem Prophetæ viſio; III. Raphaël Archangelus, 1. Triplex hominum ſtatus: primus in vtero matris, 2 extra vterum matris, 3 in morte, dum homo redire debet ad Deum, 4. in omnibus tribus ſtatibus Angelica cuſtodia eſt certa. IV Figura in liberatione S. Petri è carcere. V. Beneficiorum iſtiuſmodi exaggeratio à ſanctis Patribus. III Hiſtoriæ beneficijs eiuſmodi affectorum. I. Tentatus à ſpiritu fornicationis, II. S. Paulus Simplex videns vniuſcuiuſq; Angelum & internam conſtitutionem, III. Hiſtoria de Ægidio Dominicano primùm Mago Diaboli mancipio, poſtea ſancto viro miraculis claro, dum Angeli cuſtodis opera conuerſus, pœnitentiam egiſſet. Epilogus, Obteſtatio vt S. Angeli nos etiam ad bonam frugem reducant.

SERMO XVIII.

Spiritualia Cuſtodis Angeli beneficia in particulari. I. Conuerſionem infidelium procurat. II. Inſtruit & illuminat dubios & ignorantes.

Me duxit ſanum, & reduxit; pecuniam à Gabelo ipſe recepit; meipſum à deuoratione piſcis eripuit; te quoque videre fecit lumen cæli; & omnibus bonis per eum repleti ſumus. Tobiæ 12.

Exord. A prouerbio: Vulgus amicitias vtilitate probat. Vnde ob innumeras vtilitates Angelica amicitia ſummi facienda. I. Infidelium conuerſio. I. Gentiles ſine fide ægrotant animo, II. Angeli cooperatores cæleſtis Medici in conuerſione infidelium, Exemplo Philippi Diaconi. III. Exemplum Cornelij Centurionis. IV. Angelus prædicit conuerſionem Indorum, V. Angelus conuertit S. Euſtachium. VI. Angelus prædicit S. Catharinæ conuerſionem 40. Oratorum, VII. Angelus procurat conuerſionem

onem S. Geneſij. VIII. S. Golinduch ab Angelo inſtruitur & baptizatur. IX. Angelus cooperatur conuerſioni Theophili. II. S. Angelus inſtruit & illuminat ignorantes. I. Angeli cur ignis? B Ioanna Vrbeuetana fatetur ſe ab Angelo catechizatam. III. Angeli monitu, S. Ioannes Chryſoſtomus Presbyter ordinatur. IV. Angelus denominat Melanium Epiſcopum Rothomagenſem. V. S. Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus ab Angelo deſignatur. VI. S. Maclouius ad excolendam Domini vineam in Angliam ab Angelo mittitur. VII. Angeli monitu, S. Laurianus Martyr Hiſpali abſcedere, & poſt ſeptennij ſpacium, ad accipiendam Martyrij lauream, reuerti iubetur, & obtruncatus ipſemet caput ſuũ manibus geſtat. VII. Angeli monitu S. Stephanus Vngariæ Rex Regni titulũ & coronam à Stephano Papa cõſequitur, præ Ninſca Poloniæ Duce. IX. Eremita à Diabolo deceptus, ab Angelo rectè informatur. X. Senem à fide aberrantem Angelus conuertit. XI. Euodium ab errore liberat Angelus. Epilogus. Petitio ad S. Angelos, vt nos dirigant & ſuſtentent.

SERMO XIX.

III. Angeli Cuſtodis beneficium: Ad pœnitentiam Angeli prouocant & inducunt peccantes.

Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Apoc. 2.

Exordium. A perito viæ Duce ad pœnitentiam inuitant & promouent Angeli Clientes ſuos. I. Angelica in hoc opere induſtria. II. Exemplum Balaam. III. Angelus quandoque increpat peccatores. IV. S. Martinus ob exiguam & propè inuoluntarium errorem, inſtigante Angelo vehementer compungitur. V. Ab Angelo paſci ſolitus, ſuperbiendo gratiam illam amittit, donec Angelo monente, pœnitentiam agat. VI. Alfonſus X. Rex ab Angelo ad agendam pœnitentiam ſæpius inducitur, & tandem terroribus ignearum ſagittarum compellitur. VII. Religioſus apoſtatare volens ab Angelo corripitur. VIII. S. Piammon videt Angelum altari ad diuina officia adſtantem, & ſcribentem nomina contritorum, & pœnitentiam agentium. IX. Epiſcopus de conuerſione peccatorum ab Angelo informatur. 2. Videt diuerſas facies accedentium ad ſacram ſynaxin. 3 Quoſdam illuminari accepta ſacroſancta Euchariſtia. Quoſdam verò quaſi comburi. 4. De omnibus & ſingulis ab Angelo eruditur. 5. Audit Angelum Dei miſericordiam erga reſipiſcentes peccatores ſupra modum exaggerantem. X. Homicidium ictu ſclopetti impetraturus impeditur ab Angelo, & ad ſeriam pœnitentiam inducitur. XI. Die Veneris ſancto Vulnerarium Martis ſigillum fabricaturus impeditur ab Angelo. Epilogus. Obtemperandum Angelo ad pœnitentiam exhortanti.

SERMO XX.

IV. S. Angelus cuſtos offert Deo noſtras orationes. V. Conſolatur in mœrore iacentes.

Quando orabas cum lachrymis & ſepeliebas mortuos, ego orationem tuam obtuli Domino. Tob. 12.

Exord. A fidelitate quorundam ſeruorum erga Dominos apud veteres celebrata; ſed ea nihil eſt Angeli cuſtodis, erga homines fidelitatis intuitu. I. Angeli offerunt noſtras orationes. I. Angelus cuſtos plerumq; nobiſcum in terris commoratur. II Quoties in cælum redit offert noſtras orationes. III. A Diuini tamen vultus contemplatione nunquam recedit. I. Reuerentia S. Angelis exhibenda. 2 Angelus apud orantem Dæmones Muſcarum ſpecie pellit. IV. Certum in Scriptura & Patribus eos orationes

noſtras Deo offerre. v. Exempla. I. S Galli Epiſcopi Aruernenſis. vi. Sex militum Templariorum. vii. Magnitudo huius beneficij. viii. Quidam ſub ſacrificio videt Angelum ſacram hoſtiam Deo offerentem. ix. Angelus orat cum S. Cæcilia. x. S. Ioannes Chryſoſtomus videt Angelos præſentes Sacrificio, & offerentes Deo ſacram Hoſtiam. xi. Baſilij ſacrificantis latera cingunt Angeli. xii. Angelus ſancto Oſvvaldo Wigornienſi Epiſcopo ſacrificanti adſtat. II Conſolantur in mœrore iacentes. I. exemplum Eliæ Prophetæ, II. Sanctorum Patrum teſtimonia, de hoc Angelorum ſolatio, vbi S. Baſilij teſtimonio, Angeli muri noſtri III. Angelus ſolatur B. Iacobum Dominicanum. IV. B. Elizabeth de Grauia, ſolatiũ accipit ab Angelo. v. S. Adelgundis. vi. S. Antonius, vii. S Lydvvina. Epilogus. Obteſtatio ad S. Angelos.

SERMO XXI.

Alia tria Spiritualia Angeli Cuſtodis Beneficia. VI. Peccati horrorem inſpirat. VII. Amputat ſeductionis occaſiones. VIII. Malè agentes reprehendit, & refractariós aliquando caſtigat.

Niſi pœnitentiam egeris, venio tibi, & mouebo Candelabrum tuum do loco ſuo. Apoc. 2.

Exordium. à Parentibus refractarios filios, primùm verbis monere, deinde diſciplina coërcere ſolentibus. I. Peccati horrorem inſpirat. II. Scriptura. III. Hiſtoria de Eremita & Angelo. IV. Inſtinctu Angeli Eremita errorem ſuum agnoſcit. II. Amputat ſeductionis occaſiones. I. Hiſtoria, quam de ſeipſo narrat Gvvilielmus Sariſburienſis. II. Matrona honeſta, ne ad Sagarum Diabolicos conuentus abripi ſe ſinat, Angelicis minis compellitur. III. Ladelinum retrahit Angelus, ab occaſionibus peccandi. III. Angeli reprehendunt & quandoque caſtigant ſuos Clientes. I. Vtuntur etiam Virga correctionis. II. Exempla Scripturæ. III. Pœnas à Deo infligendas Regi Chilperico & Filijs prænunciant. IV. Reprehendunt Petrum Cæleſtinum. v. Seueriſſimè caſtigat Angelus Prætextatam Romanam matronam. VI. Apud ſacram Synaxin non inſcripti ab Angelo poſt triduum moriuntur. VII. Heraclij Imperatoris exercitus ab Angelo deletur. VIII. Angeli apparitores & executores diuinæ iuſtitiæ. IX. Natalis Confeſſor ob temeritatem vapulat ab Angelo. Epilogus. Orentur Angeli, vt ſi quando & nos contra ſtimulum recalcitremus, ad bonam frugem nos reducant.

SERMO XXII.

IX. Beneficium. Contra Diabolum verſutiſſimum hoſtem, S. Angeli pro nobis pugnant.

Tunc reliquit eum Diabolus, & ecce acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei, Matth. 4.

Exord. Diabolus ſimia Domini Dei prætendens Ius in hominem, vt ſicut Deus homini benefacit, ita ille malum omne quod Deus permittit, inferat. I. Fraudes Sathanæ in communi. I. Ob multas rationes Chriſtus non indigebat Angelo Cuſtode. II. Cur Chriſtus Angeli ſolatium in horto ſuſceperit. I. Chriſtus Dominus vtebatur Angelis quaſi famulis & miniſtris. III. Neminem in hac vita à tentationibus Dæmonis eſſe immunem, probatur plurimis Scripturæ exemplis & teſtimonijs. IV. Dæmon ſuperior examinat inferiores, quid quotidie mali egerint. v. Similis hiſtoria de Iudæo è ſancto Gregorio, vbi Iudæus Cruce ſignatus à Dæmonibus appellatur, Vas vacuum, ſed ſignatum. II. Dæmonum fraudes in ſpecie & in particulari conſideratæ. I. Vitia veſtit pallio Virtutis. I. Exemplum Saul Regis. II. Ex eo

duo

duo inſignia documenta. III. Diabolus etiam peccati amaritudinem ſub dulcedine voluptatis propinat. IV. Diabolus inſtar pharmacopolæ apparet S. Machario. V. ſub ſpecie boni Diabolus decipit Prophetam miſſum ad Hieroboam, vt non obediat Mandato Dei. VI. Dæmon famoſiſſimus Mendax. 1. Rathbodum Friſiæ Ducem turpiter decepit promittendo ei pulcherrimam manſionem ſed phantaſticam & illuſoriam vt euentus comprobauit. 2. Quarumdam fraudum diabolicarum enarratio. 3. Admonitio ad maledicos & ſagas vt reſipiſcant. VIII. Diuinas etiam Laudes & omnes Orationes noſtras ſordium ſuarum aſpergine conſpurcare molitur Dæmon. 1. Viſio admiranda S Macharij in qua Dæmones inſtar paruorum Æthiopum, inter pſallentes miras geſticulationes exercebant. IX. Fuga occaſionum peccati modus optimus reſiſtendi Diabolo. X. Anachoreta pius non canens Orationes in peccatum carnale labitur. XI. Vitanda nimia ſecuritas, exemplo S. Antonij. XII. Turpiter decipit religioſam Fæminam eius apparitionibus nimis credulam. III. Angelicum contra Sathanam auxilium. I. Ex ſcripturis probatur. II. Theodoſius Angeli opera vincit Diabolum in forma Gygantis. III. Moyſes Abbas videt Angelos pro ſe dimicare. IV. Dæmon inſtar procacis mulierculæ quoad reſiſtentiã. IV. Victoribus tentationum Dæmonis, Angeli coronas promittunt, exemplo B. Iacobi Alemanni. Epilogus. Obſecrantur Angeli vt & nos in quotidiana pugna contra Diabolum adiuuent.

SERMO XXIII.

X. In agone cum maxime à malignis hoſtibus oppugnamur, præcipuè viciſſim à ſanctis Angelis protegimur, & defenſamur.

Væ Terræ & Mari, quia deſcendit ad vos Diabolus habens iram, magnam ſciens quia modicum tempus habet. Apoc. 12.

Exordium, Ab obſidentibus arcem aut munitionem, & tandem aliquando generalem oppugnationem inſtituentibus. I. Diaboli furiæ contra animam agonizantem. 1. Nocendi cupiditas. I. Coluber & Ceraſtes. II. Dolo magis quàm vi trahit homines. I. Diabolus vulpi ſimilis. III. Diabolus Framea, Canis, Leo, Vnicornis. II. Patrum Teſtimonia & ſimilitudinariæ explicationes Diabolici furoris in hora mortis. I. Velut canes leporem ita Dæmones animam agitant. I. Aſpectus Dæmonum quàm expaueſcendus. 2. Origenes eiuſmodi Dæmonis infeſtationes in hora mortis ſupra modum timebat. II. Similitudines. 1. Aquilæ, milui, Lupi. 2. Latrones. 3. Milites anguſtum tranſitum cuſtodientes. III. Dæmones velut exploratores in collimitaneis hoſtium territorijs. IV. Præmonitio ſancti Antonij ex viſione ipſi manifeſtata. 1. Dæmon ob Superbiam excelſus Gygas. 2. Animas in Cælum volaturientes cupit impedire. III. Sanctiſſimi etiam Dei ſerui hanc vltimam cum Diabolo luctam vehementiſſimè exhorruerunt. I. Sanctus Euſtrathius Martyr II. Sanctus Simeon Salus ſtultum ſe fingens. III. Sanctus Eligius Nouiomenſis Epiſcopus. IV. Sanctus Elzearius Comes. V Sanctus Nicolaus Tolentinus. VI. Sanctus Bernardus. VII. Sancta Macrina Soror S. Baſilij. VIII. S. Melania. IV. Angelicum ſubſidium nobis quàm maximè neceſſarium in agone. I. Sanctum Antonium reluctantibus Dæmonibus Angeli euchunt in cælum II. Sancti Wilhelmi Animam Angeli in cælum tollunt, malignis ſpiritibus fruſtra reclamantibus. III. Vſurarij pænitentis Animam, Angeli contra Dæmones defendunt.

dunt, & Angeli Dæmonibus animam eripiunt. IV. S. Henricus in agone defenditur ab Archangelo Michaele, à quo Dæmones etiam profligantur. V. Qui Dæmonem in agone cupiunt vincere, Dæmonis iugum tempeſtiuè excutiant. I. Hiſtoria terribilis de illo cui cum Angeli cum paruo libello bonorum operum triſtes apparuiſſent, Dæmones ingens volumen patratorum ſcelerum exhibuerunt, & tandem ad deſperationem adegerunt. VI. Diabolus peccatis noſtris contra nos inualeſcit. Epilogus. Exhortatio, vt nos tempeſtiuè ab hoſte illo ſecuros reddamus.

SERMO XXIV.

XI. Angeli ſancti morientium Clientum animas deducunt, & comitantur in cælum.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, vt cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paraui. Exodi 23.

Exordium. A viarum ductoribus qui viatores per Principum ſuorum territoria, ſecuritatis ergò ſolent comitari. I. Conductus Angelorum in Patriam cæleſtem. I. Summa Dei gratia quod nos Angeli in cælum comitentur. I. Exemplum Lazari mendicis & diuitis epulonis, vtriuſq; ſtatus cataſtrophe. 2. Elias in cælum eleuatus. 3. Angeli paranymphi animarum noſtrarum ad cæleſtes nuptias. II. Plurima exempla eiuſmodi Angelici comitatus. 1. S. Pachomius. 2. S. Simeon Stylites. 3. S. Paulus primus Eremita. 4. S. Antonius. 5. S. Ammon. 6. Sæcularis quidam Prothocomes. III. S. Hieronymus inter Angelorum jubilantium Choros defertur in cælum. IV. S. Martinus ſimiliter. V. S. Simeon Salus cognomẽto ſtultus. 2. S. Amelberga. 3. S. Margaretha. 4. S. Philibertus Abbas. VI. S. Benedictus Abbas videt animam ſancti Germani Epiſcopi Capuani in globo igneo, per Angelos deportari in cælũ. VII. Eodẽ obſequio Angelico potitus eſt S. Seruulus paralyticus. VIII. Et S. Arnulphus Sueſſionenſis Epiſcopus. IX. S item Dominicus. X. Et S. Siſinandus. S. Anſelmus & S. Wilhelmus. XI. B Ioannes Canonicus. 2. S. Nicolaus Tolentinus. 3. Iuuenis patiens. 4 S. Bernardus. XII. S. Romula. 2. B. Hilda. 3. Catharina Manriquia. XIII. Adoleſcens Scotus. XIV. Aliorum plurimorum Martyrum & Confeſſorum Exempla. XV. Adoleſcens infirmus. XVI. Medium Angelicam deductionem impetrandi. Epilogus. ad id capeſſandum Exhortatio.

SERMO XXV.

XII. Alia complura circa & poſt mortem obſequia præſtant hominibus Angeli ſancti.

Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Pſalm. 90.

Exordium ab amicitia humana quæ durat vſque ad aras: ſed Angelica amicitia continuatur vltra aras, & continuatur etiam poſt mortem. I. Curant & honorant funera clientum. I. Angelus oſtenſa Moyſi terra promiſſionis ſepelit eum in valle Moab. I. Cur. 2. Quod Moyſi olim idem ſpiritualiter exhibet clienti Angelus cuſtos. II. Angeli honorant funus cuiuſdam Religioſi vidente S. Roberto. III. Diſponunt ad benè moriendum. II. Eripiunt quandoque ab ipſis mortis faucibus. I. S. Wilfridus Archiepiſcopus, cui S. Michael apparet. II. S Radegundi longiorem vitam vouent Angeli III. Conſolantur in purgatorio incarceratos. I. Ex doctrina Theologorum. II. Anima cuiuſdam Regis per Angelum è tormentis liberatur. Ex reuelationibus S. Brigittæ.

Digitized by Google

gittæ. III. Animæ in purgatorio non ſubduntur Dæmoni ad libitum. IV. Soluitur Objectio: Quod ſint in gratia Dei, & ideò non debeant à Dæmone torqueri. V. Einolphi pueri ex hac vita euocati, & poſtea in vitam ab Angelo redire juſſi, purgatorium ob leue furtum. Epilogus, Obteſtatio vt nos juuant ne in altera vita in horrendas Diuinæ Iuſtitiæ manus incidamus.

SERMO XXVI.

XIII. Vti Sanctorum Lipſana & Reliquias honorant Angeli ſancti. XIV. ſic & animas pereuntium propemodum peccatorum, à ſua beneficentia non excludunt, XV. quin potius vſque in diem judicij, & in omnem Æternitatem extendunt.

Exibunt Angeli & ſeparabunt impios de medio Iuſtorum. Matth. 19.

Exordium à fonte perenni, è quo dum bibitur, plus ſemper ſcaturit & abundat. I. Honorant Reliquias Sanctorum. I. Hiſtoriæ complures. 1. S. Iuliani & Cæſarij. 2. S. Othmari. 3. S. Catharinæ. 4. S. Agathæ. 5. Chryſanthi & Dariæ. II. Conuertitur Soldanus Iconij per Matrem occultè Chriſtianam, cuius ſepulchrum Cruce inſignitum, mirabiliter honorant Angeli contra Saracenos. III. Angelus tradit Reliquias S. Ioannis Baptiſtæ cuſtodiendas. II. Animas iam iam peribundorum vindicant ab æterna damnatione. I. Hiſtoria terribilis de Euervvacho qui ſe Dæmoni homagio deuinxerat, quales pænas in altera vita pertulerit, donec ab Angelo ad corpus redire, Deo permittẽte, iuberetur, vt pænitentiam ageret. Ibidem Quæſtio an pænas illas protulerit in inferno vel purgatorio. Opinio Cæſarij paſſum eſſe pænas inferni delata adhuc eius damnationis ſententia. III. Colligunt cineres reſurgentium in die Iudicij. I. Probatur è Scripturis. II. Qua gratulatione excepturi ſint Clientes Iuſtos in gloria reſurgentes. IV. Annotant opera noſtra, vt procurant præmia. I. Sunt Actuarij & Notarij noſtri. II. Hiſtoria de Eremita cuius greſſus Angelus numerabat. R. P. Hiremiæ Drexelij verbis recenſita. Epilogus. Exhortatio S. Bernardi, vt ſimus grati tantis benefactoribus.

SERMO XXVII.

Amicitia & familiaritas cum S. Angelis ineunda.

Quam mercedem dabimus ei (Angelo cuſtodi) aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius. Tobiæ 12.

Exordium à conuerſatione cum illis à quibus redamamur & multis beneficijs afficimur. I. Familiaritas & amicitia cum ſanctis Angelis commendata. I. Eius fundamentum beneficia Angelica à Scripturis declarata. II Scripturæ Exempla. III. Angelus ſtricto gladio minatur ruinam Angliæ. IV. Angelus cruentum gladium in vaginam recondens, indicat peſtem ceſſaturam. V. Angelus offenſus quomodo placandus. II. Modi quibus familiaritas cum ſanctis Angelis ineunda. I. Conſilium S. Bernardi. II. Exercitium huius familiaritatis. III. in templis potiſſimum venerandi Angeli ſancti. III. Duplicis reſpectus Angeli duplex modus familiaritatis. I. Vt eſt Miniſter Diuinæ Iuſtitiæ Exemplum, Ioſuæ, & cuiuſdam è ſanctis Patribus Eremi Thebaidis. II. Vt eſt Miniſter diuinæ Miſericordiæ. I. Familiaritatis huius fundamentum Amor. 2. Eius quatuor conditiones. II. Scipionis Africani prudens factum. III. S. Onophrius Eremita.

Digitized by Google

mita. IV. S. Martinus Epiſcopus. V. S. Adelgundis & S. Landrada. VI. Ioannes Carrera. VII. R. P Petrus Cottonus vir ſpectatiſſimæ ſanctitatis & eruditionis. Epilogus. Obſecratio vt nos Angeli ſancti in familiaritatem & amicitiam ſuam admittant.

SERMO XXVIII.

Quænam in homine oderint Angeli ſancti? Quænam ſummo amore complectantur.

Ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat te & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem præparaui. Obſerua & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris, & eſt nomen meum in illo. Exodi 23.

Exordium à Parentibus qui licet Barbari ſint, proniores ſunt ad benefaciendum filijs, quàm ad nocendum, I Angelis exoſa. I. Obliuio Dei & Nouiſſimorum, II. Calor & æſtus iracundiæ. 2. Iræ friuola excuſatio reijcitur, è Sanctorum Patrum doctrina. III. Odit flammam inuidiæ. 2. Eſt execrabilis ſanctis Patribus IV. Fumum ſuperbiæ. 2. ſuperbiam non tolerant Angeli ſancti. V. Fætorem luxuriæ. 2. Hiſtoriæ de Eremita & Angelo, ſimul ambulantibus & de fætore libidinoſi Iuuenis. II. Quæ in nobis diligant Angeli ſancti. I. Præſentiam Dei ſemper ante Oculos poſita 2. Obliuio Dei quàm noxia? II. Præſentiam & iugem memoriam ipſorummet Angelorum. III. Maturatam cotritionem de peccatis. IV. Conuerſio mirabilis magni cuiuſdem peccatoris. Epilogus. de gaudio Angelorum ſuper peccatoribus pænitentiam agentibus.

SERMO XXIX.

Sanctis Angelis gratiſſimus Cultus, eorum virtutes imitari, Pietatis & Charitatis exemplis inſiſtere, bonorum operum exercitijs vacare.

Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis. Ioan. I.

Exordium: Homo incrementa profectionis capit ex labore & induſtria: non Angeli. I. Spiritualis oblatio munerum facta in honore ſanctorum Angelorum ex S. Auguſtino. I. Honorantur ſpiritualium munerum oblatione votiua. I. Oleo obliuionis iniuriarum. 2. Cera candida propoſiti caſtitatis. 3. Aureo calice abiectionis inuidiæ. 4. Aræ velut erectione dum iniuria compenſatur. 5. Æreæ ſtatuæ erectione, id eſt linguæ refrænatione. 6. Aurea veſte ſacra, id eſt liberalitate in pauperes. 7. Periſtromate, iactantiæ fuga. 8. Sobrietate cado vini veteris. 9. Lampade argentea feruoris in pietate. II. Honorantur imitatione ſuæ Humilitatis. I. Poſt Incarnationem Chriſti non ſinunt ſe ab hominibus adorari, 2. Apparent habitu & ſpecie mendici. III. Imitatione amoris in proximos, I. Eius exempla. 2. B. Virgo Deipara, & S. Ioannes Baptiſta ſæpius ab Angelis viſitati & cibati. IV. Tolerantia laborum pro noſtra aliorumque ſalute. I. Damnandos etiam non deſerunt. 2. Iulianus Apoſtata tantum monitionis ergò ab Angelo deſeritur. 3. Exemplum Ioannis Thebæi. V. Caſtitatis eorum imitatione, I. S. Theophilam Angelus in Lupanari defendit. VI. Gratiarum actione, II. Methodus honorandi S. Angelum cuſtodem. I. Octo puncta velut in tabella. II. Precibus Eleemoſynis Ieiunijs. III. Templorum ædificatione I. Conſtantinus. 2. Otto Imperator. 3. S. Henricus eiuſque viſio jucundiſſima in Monte Gargano. Epilogus. Obteſtatio vt ſancti nobis Angeli omnem apparatum cælitus impetrent, quò eos dignè ac debitè poſſimus, in omni vita honorare.

SERMO

Digitized by Google

SERMO XXX.

In quo omnia quæ de ſanctis Angelis hactenus dicta, vno veluti faſce comprehenſa Methodicè explicantur.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei. Matth. 18.

Exordium. Omnipotentiam ſuam & Sapientiam Deus oſtendit quando Mundum propter hominem creauit, magis autem Bonitatem ſuam cum Angelos ad eius cuſtodiam deputauit. I. Natura Angelorum. I. Viſio Ezechielis Prophetæ, in qua Naturam & qualitates Angelorum deſcribit. II. Angeli ignis ex multis rationibus & ſimilitudinibus. III. Angelorum pulchritudo. IV. Numerus. V. Tres Hierarchiæ & Nouem Chori. VI. Picturæ & imagines Angelorum. VII. Aſſumptio corporum. VIII. Locutio. II. Officia Angelorum. I. E Scripturis. II. Ex Patribus. III. Beneficia Angelorum ex multis Hyſtorijs. Epilogus: Obſecratio vt S. Angeli tam promptè pro nobis auxiliari dignentur, quam promptè laudibus eorum fuimus hactenus occupati.

Finis Indicis Synoptici.

Digitized by Google

†

INDEX APPLICATIONIS
ad Conciones de Tempore & Sanctis per Annum.

Dominica I. Aduentus.

Thema. *Dicite Filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus Matth. 21.*

1. Attributa Dei pro nobis incarnati, & neceſſitas noſtra Serm. 1. parte 3.

Dominica II. Aduentus.

Thema. *Virtutes cælorum mouebuntur, Luc. 21.*

Angeli præſunt non ſolum cæleſtibus quos mouent, ſed & ſingulis, rerum creatarum ſpeciebus & Elementis. Serm. 6. parte 1.

Dominica III. Aduentus.

Thema. *Cum audiſſet Ioannes in vinculis. Matth. 11.*

1. Angeli patientes pro Chriſto & afflictos diligunt, Serm. 10. p. 6.

2. Thema. *Ecce ego mitto Angelum meum, Matth. 11.*

1. De Natura, numero & viribus Angelorum, Serm. 3, p. 1 2. 3.

Dominica IV. Aduentus.

Thema. *Ego vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, Ioan. 4.*

1. Ioannes Angelo ſimilis. Nam Angeli amant homines, & ad pænitentiam eos inducunt, Serm. 3. p. IV. & V. Serm. 14. & 19. toto.

2. Ioannes Religioſus. Ab Angelis impenſiſſime diliguntur Religioſi, Serm. 11. toto.

In Feſto Natiuitatis Chriſti.

Thema. *Facta eſt cum Angelo multitudo cæleſtis Exercitus cantantium Gloria in excelſis Deo, Luc. 2.*

1. Angeli præcipue ad laudandum Deum creati, Serm. 1. p. 1.

2. Thema. *Angelus ad Paſtores ait, Luc. 2.*

1. De locutione Angelica, Serm. 7. p. 2.

In Feſto Circumciſionis pro Xenio dandus

Sanctus Angelus cuſtos.

Thema. *Et vocatum eſt Nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur, Luc. 2.*

1. Poſt incarnationem Filij Dei Angeli homines impenſius amant, quam antea, Serm. 9. Exord.

2. An Chriſtus habuerit Angelum Cuſtodem? Serm. 5. p. 3.

In Feſto Epiphaniæ.

Thema. *Ecce Stella antecedebat eos, Matth. 2.*

1. Angelus Stella ducens in cælum, Serm. 2. toto.

Dominica I. poſt Epiphaniam.

Thema. *Sedens in templo docebat, Luc. 2.*

1. Angeli ſedent in templo cordis noſtri & nos illuminant, Serm. 18. p. 1. & 2.

Dominica II. poſt Epiphaniam.

Thema. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, Ioan. 2.*

1. Angeli fecundant Matrimonia, Serm. 13. p. 1.

Dominica

Dominica III. poſt Epiphaniam.

Thema. *Et ſanatus eſt ſeruus illius ex illa hora, Matth.* 8.

1. Angeli ſanant morbos, Serm.13.p.3.
2. Contagioſos morbos & peſtem depellunt, Serm.14.p.3.

Dominica IV. poſt Epiphaniam.

Thema. *Et Nauicula operiebatur fluctibus, Matth.*8.

1. Non ſolum Eccleſiæ Naui præeſt Chriſtus, ſed & S. Michaël Archangelus eam gubernat, Serm.6.p.5. tota.

Dominica V. poſt Epiphaniam.

Thema. *Vis vt eamus & eradicemus Zizania?*

1. Angeli eradicant Zizania ex hominis corde, triplici via, Purgatiua, Illuminatiua, & Perfectiua, demùm ſeminant bonum ſemen, Serm.17. toto.

Dominica Septuageſimæ.

Thema. *Ite & vos in Vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis. Math.*20.

1. Angeli amant laborantes pro aliorum ſalute, pro fide Chriſti, & erga proximos miſericordiæ opera libenter exercent, Serm.10.p 1.2.3.

Dominica Sexageſimæ.

Thema. *Semen eſt verbum Dei, Luc.*8.

1. Angeli per verbum Dei conuertunt Infideles, Serm.18.p 1.

Dominica Quinquageſimæ.

Thema. *Et ipſi nihil horum intellexerunt, Luc.*18.

1. Angeli pellunt cæcitatem ignorantiæ humanæ, Serm.18.p.2.

Dominica I. Quadrageſimæ. Inuocauit,

Thema. *Angelis ſuis mandauit de te, Matth.*4.

1. De Angelis cuſtodientibus homines, Serm.5.p.1.2.3.
2. Thema. *Acceſſerunt Angeli & miniſtrabunt ei, Matth.* 4.
3. De hominibus cuſtoditis. Ibidem p.2.3.4.
4. De Natura & numero Angelorum, & de amore erga nos, Serm.3. toto.
5. Sathanæ mille fraudes, ſerm.22.p.1.&2.

Dominica II. Quadrageſimæ. Reminiſcere.

Thema. *Filia mea malè à Dæmonio vexatur, Matth.*15.

1. Angeli arcent omnis generis mala ab hominibus; Serm.14.p.2.
2. Iniquè oppreſſos ſubleuant, Serm. 14.p.1.
3. In agone maximè iuuamur ab Angelis, Serm.23. totto.

Dominica III. Quadrageſimæ. Oculi.

Thema. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidit, Luc.*11.

1. Angelorum contra Sathanam ſubſidium, Serm.22.p.3.

Dominica IV. Quadrageſimæ. Lætare.

Thema. *Vnde ememus panes vt manducent hi, Ioan.*6.

1. Angeli cibant homines. Serm.13 p.2.

Dominica V. Quadrageſimæ. Iudica.

Thema. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan 8.*

1. Angeli ad pœnitentiam inducunt peccantes, Serm. 19. toto.

Dominica Palmarum.

Thema. *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, Matth. 21.*

1. Angeli ad ſacram Communionem diſponunt Clientes, Serm. 19. num. 8. 9. 10.

Dominica Reſurrectionis.

Thema. *Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, Marci 14.*

1. De picturis & imaginibus Angelorum, Serm. 9. p. 2.

Feria II. Paſchatis.

Thema. *Qui ſunt ſermones iſti, quos conuertis ad inuicem? Luc. 24.*

1. Libenter vnà cum Chriſto adſunt colloquentibus de rebus pijs, Serm. 10. p. 4.

Feria III. Paſchæ.

Thema. *Ego ſum, nolite timere, Luc. 24.*

1. Colligunt cineres Angeli reſurgentium in Iudicio, Serm. 26. p. 3.

Dominica Quaſimodògeniti.

Thema. *Spiritus carnem & oſſa non habet, Ioan. 20.*

1. De Apparitionibus Angelorum, Serm. 9. toto.

Dominica II. poſt Paſcha.

Thema. *Bonus Paſtor Animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, Ioan. 10.*

1. Angeli pugnant pro fidelibus, etiam contra viſibiles hoſtes, Serm. 16.

Dominica III. poſt Paſcha.

Thema. *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium, Ioan. 16.*

1. Angeli ſolantur mœrentes, Ser. 20. p. 2.

Dominica IV. poſt Paſcha.

Thema. *Et cum venerit ille arguet Mundum de peccato, Ioan. 16.*

1. Angeli reprehendunt & caſtigant peccantes, Serm. 21. p. 3.

Dominica V. poſt Paſcha.

Thema. *Vſque modò non petiſtis quidquam, (ſcilicet per S. Angelos) Ioan. 16.*

1. Angelus Cuſtos offert Deo noſtras orationes, Serm. 20. p. 1.
2. Orationes noſtras turbaere ſolet Sathan, Serm. 22. p. 2. num. 9.

In Feſto Aſcenſionis Domini.

Thema. *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cælum, Marci 16.*

1. De alis quibus in cælum euolare poſſumus, Serm. 4. p. 4. & 5.

Dominica infra octauam.

Thema. *Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur, obſequium ſe præſtare Deo, Ioan 16.*

1. Angeli ſanctos Martyres in tormentis conſolantur, Serm. 15. toto.

Feſtum Pentecoſtes.

Thema. *Veniemus & manſionem apud eum faciemus, Ioan. 14.*

1. Caſtitatis amatores Templa Spiritus ſancti, Serm. 1. 12. toto.

In Feſto Sacroſanctæ Trinitatis.

Thema.

Digitized by Google

Thema. *Niſi quis natus fuerit ex Aqua & Spiritu ſancto, &c Ioann. 3.*
1. Angeli ad laudem Dei præcipuè creati, Serm. 1. & 30.
2. Si tàm pulchri Angeli, quantò pulchrior ipſe Creator, Serm. 30. p. 1.

In Feſto Corporis Chriſti.

Thema. *Caro mea verè eſt cibus & Sanguis meus verè eſt potus, Ioan. 6.*
1. Angeli honorant Chriſtum in ſacroſancta Euchariſtia, Serm. 20. p. 1.

Dominica I. poſt Trinitatis.

Thema. *Et portatus eſt ab Angelis in ſinum Abrahæ: Luc. 16.*
1. Angeli morientium Clientum animas deducunt cum gaudio in cælum, Serm. 24. toto. & Serm. 30. p. 2.
Item curant funera Clientum, Serm. 25. p. 1.

Dominica II. poſt Trinitatis.

Thema. *Miſit ſeruos ſuos, hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, Lucæ 16.*
1. Animas pereuntium præſeruant ab æterna damnatione, Serm. 26. p. 2.

Dominica III. poſt Trinitatis.

Thema. *Gaudium eſt Angelis in cœlo, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, Lucæ 15.*
1. Angeli gaudent de pœnitentia noſtra, Serm. 14. toto.

Dominica IV. poſt Trinitatis.

Thema. *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter cœleſtis miſericors eſt, Lucæ 6.*
1. Angeli diligunt miſericordes, Serm. 10. p. 2.

Dominica V. poſt Trinitatis.

Thema. *Sedens docebat turbas, Lucæ 5.*
1. Angeli docent nos, Serm. 18. p. 2.

Dominica VI. poſt Trinitatis.

Thema. *Dictum eſt antiquis non occides, Matth. 5.*
1. Angeli pugnant pro nobis contra hoſtes viſibiles, Serm. 16. toto.

Dominica VII. poſt Trinitatis.

Thema. *Vnde ememus panes vt manducent hi, Marc. 8.*
1. Angeli cibant homines in fame & ſiti, Serm. 13. p. 2.

Dominica VIII. poſt Trinitatis.

Thema. *Attendite à falſis Prophetis, Matth. 7.*
1. Diabolus omnium falſiſſimus Propheta & rapaciſſimus Lupus, Serm. 22. toto.

Dominica IX. poſt Trinitatis.

Thema. *Et adducunt ei ſurdum & mutum, Lucæ 16.*
1. De ſeptem miſerijs, quas incidit homo per peccatum, Serm. 1. p. 3. & 4.

Dominica X. poſt Trinitatis.

Thema. *Domus mea, Domus orationis vocabitur.*

Digitized by Google

cabitur, Luca 19.

1. Angeli præſunt Eccleſijs & Altaribus & ea defendunt, Serm. 6. p. 4.

Dominica XI. poſt Trinitatis.

Thema. *Deus propitius eſto mihi peccatori, Luca* 18.

1. Angelus peccati horrorem inſpirat, Serm. 21. p. 1.

Dominica XII. poſt Trinitatis.

Thema. *Abduxit eum à turba ſeorſum, Marc.* 7.

1. Angeli amputant occaſiones peccandi, Serm. 21. p. 2.

Dominica XIII. poſt Trinitatis.

Thema. *Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Hiericho & incidit in latrones, Luca* 10.

1. Homo, agonizans: Angelus cuſtos Samaritanus, Serm. 24. toto.
2. Angeli propulſant itinerum pericula.

Dominica IV. poſt Trinitatis.

Thema. *Et factum eſt dum irent, mundati ſunt, Luca* 17.

1. Angeli arcent mala, & ſanant morbos contagioſos, Serm. 14. p. 2.

Dominica XV. poſt Trinitatis.

Thema. *Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ, Matth.* 6.

1. Diabolus ſæuiſſimus Tyrannus præſertim in agone, cui minime ſeruiendum, Serm. 23. toto.

Dominica XVI. poſt Trinitatis.

Thema. *Ecce defunctus efferebatur filius vnicus Matris ſuæ, Luca* 7.

1. Angeli prædicunt diem obitus, Serm. 15. p. 1.
2. Angeli defendunt agonizantes contra Dæmonem, Serm. 23. p. 1. 2. 3

Dominica XVII. poſt Trinitatis.

Thema. *Si licet Sabbatho curare, Luca* 14.

1. Angeli diligunt diuinis laudibus, & ſacrificio deuotè audiendo vacantes. Serm. 10. p. 5.

Dominica XVIII. poſt Trinitatis.

Thema. *Magiſter quod eſt Mandatum magnum in Lege, Matth.* 22.

1. Angeli docent & inſtruunt ignorantes,

Dominica XIX. poſt Trinitatis.

Thema, *Confide fili, Matth.* 9.

1. Angeli conſolantur in mœrore, Serm, 20. p. 2.

Dominica XX, poſt Trinitatis.

Thema. *Miſſis Exercitibus ſuis perdidit Homicidas illos, Matth.* 22.

1. Exercitus Dei ſancti Angeli, Serm. 6. p. 3.

Dominica XXI. poſt Trinitatis.

Thema. *Niſi ſigna & prodigia videritis*

Digitized by Google

non creditu, Ioan. 4.

1. Angeli quandoquè reprehendunt ſuos Clientes, Serm. 22. p. 3.

Dominica XXII. poſt Trinitatis.

Thema. *Videntes autem conſerui quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè Matth.* 18.

1. Angeli conſerui noſtri honorandi vt Miniſtri diuinæ Iuſtitiæ, & Miniſtri eius miſericordiæ, Serm. 27. p. 2.

Dominica XXIII. poſt Trinitatis.

Thema. *Viam in veritate doces, Matth.* 22.

1. Angeli oderunt mala & amant virtutes, Serm. 28.

Dominica XXIV. poſt Trinitatis.

Thema. *Filia mea modò defuncta eſt, Matth.* 9.

1. Dæmonum furiæ contra agonizantes, & Angelorum Tutelarium ſubſidium, Serm. 23. p. 1.

Dominica XXV. poſt Trinitatis.

Thema. *Cum videritis abominationem deſolationis, Matth.* 24.

1. Peccata abominantur Angeli. Serm. 17. p. 1. & 3.

In Dedicatione Eccleſiæ.

Thema. *Hodie ſalus huic domus facta eſt, Luca* 19.

1. Eccleſia & Altaria dum conſecrantur Angelis commendantur, Serm. 6, p. 4.

In Feſto Annunciationis glorioſiſſimæ Virginis.

Thema. *Aue Maria gratia plena. Luc.* 1.

1. Angelorum amor erga virgines, Serm. 12. toto.
2. De apparitionibus Angelorum, Serm. 9. toto.

In Feſto S. Petri Apoſtoli.

Thema. *Miſit Dominus Angelum ſuum & liberauit me de manu Herodis.*

1. Angeli homines conſolantur in mœrore, Serm. 20. p. 2.

De Martyribus.

Thema. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum & eripiet eos,* Pſalm. 37.

1. Angeli adiuuant Martyres in Tormentis, Serm. 15. p. 2.

De Virginibus.

Thema. *Simile eſt Regnum Cælorum decem Virginibus. Matth* 25.

1. Angeli diligunt Virgines & caſtos.

In Feſto S. Michaëlis.

Thema. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, Matth* 18.

1. De cognitione Angelica reſpectu ſui Clientis, Serm. 7. p. 3.
2. De Tempore ac loco cuſtodiæ Angelicæ, Ibidem. p. 4.
3. De Officijs & Nominibus ſanctorum Angelorum, Serm. 8. toto.

4. Amicitiæ

Digitized by Google

4. Amicitia cum ſanctis Angelis ineunda, Serm 27. toto.
5. Quomodo honorandi ſancti Angeli Cuſtodes Serm. 29. toto.

In Feſto ſancti Angeli Cuſtodis.

Thema. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, Matth.* 18.
1. De tribus Hierarchijs & nouem Choris Angelorum, Serm. 4. toto.
2. Quinam Angeli cuſtodiant? Serm. 5. p. 1.
3. Quinam homines cuſtodiantur? Serm. 5. p. 2.
4. Spiritualia Angelorum beneficia, Serm. 17.

In die Animarum.

Thema. *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Iob.* 19. *cap.* 21.
1. Conſolantur in Purgatorio exiſtentes, Serm. 25. p. 3.

In Feſto omnium Sanctorum.

Thema. *Beati mundo corde, Matth.* 5.
1. Reliquias Sanctorum honorant Angeli, Serm. 26. p. 2.

FINIS.

Digitized by Google

SERMONES
DE CVSTODIA SANCTORVM ANGELORVM.

SERMO PRIMVS

Angeli præcipuè ad laudem ſeruitiumq; Dei creati, ad hominum quoque cuſtodiam deſtinantur.

Benedicite Domino omnes Angeli eius: Potentes virtute facientes verbum illius; ad audiendam vocem Sermonum eius. Pſalm. 102.

ILLVSTRIOR ab Imperatore, aut Rege, vel quolibet alio Monarcha, homini cuipiam plebeio, vel etiam nobili, gratia & fauor, exhiberi haud poterit, quàm ſi is, ad obſequia & ſeruitia illius, ex aulico ſuo famulitio, non quoſcunque, inferioris gradus & ordinis Miniſtros, atque Domeſticos ſeruos, ſed intimos quoſque Cubicularios, ſecretiſſimos Conſiliarios, & ſummos Regni Cancellarios, Prouinciarum Gubernatores, ac Satrapas, deſtinaret, qui hinc inde ambulaturientem comitarentur, qui ducerent ex aula diſcedentem, & reducerent eò reuertentem, qui ſtiparent, & ſi opus eſſet, à quibuſcunque hoſtilitatibus, & periculis defenſarent, ac propugnarent, qui victum & amictum, pro dignitate Principis alicuius, omnia ei neceſſaria, honorificè affluentiſſimeque ſubminiſtrarent; quin etiam ſi quando aduerſitates nonnullæ, caſu occurrerent, mœrore affectum, omni ſolatiorum genere, ſubleuarent. & omnia, quæcunque in votis eſſent, liberaliſſimè, vtraque manu ſuppeditarent. Inæſtimabilis honor, gratia, qua nulla præſtantior, reputatio, qua nulla ſublimior, hæc vulgò iudicaretur. Verũ enimuerò, quod nec Rex, nec Imperator, nec Monarcha terrenus, vnquam alicui præſtitiſſe creditur, nec ſimile quid literarum monumentis, facilè deſcribitur, aut memoratur, tametſi Ioſephi, Mardochæi, Danielis & ſimilium, ad ſummos honorum titulos, euectio, in medium producatur, id ſummus orbis Monarcha, Deus hominum Creator, miſerculis terræ Vermiculis, nobis, in quam, mendi-

Quanta Dei gratia ſanctos Angelos ad ſeruitia noſtra deſtinatos.

Digitized by Google

mendiculis, ærumnarum atq; calamitatum huius vitæ,mancipiis, incredibili planè munificentia,lubens volensq; obtulit & cõceſſit,quando,ſine omni merito noſtro, *Angelis ſuis mandauit, vt nos in omnibus vijs* noſtris *cuſtodiant,ne fortè offendamus ad lapidem pedes noſtros*,neuè damnationis æternæ periculo,ex agnata imbecillitate ſuccumbamus,quin potius,omni,bonorum & beneficiorum genere, ipſorum opera & opitulatu, affatim cumulemur,ac tandem,ad æternæ beatitudinis ſcopum,infallibili euentu, feliciſſimè proueharnur. *Magna dignitas animarum*,fateri cogimur,cum S.Hieronymo,*vt vnaquæq; ab ortu Natiuitatis, in cuſtodiam ſui proprium habeat Angelum deputatum.* Cum itaque Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus noſter, *Dominus Ioannes Georgius Epiſcopus Bambergenſis*, decreto publico ſanciuerit,Tutelarium Angelorum Feſtum, iam pridem ab Apoſtolica ſede inſtitutum, atque confirmatum, in Diœceſi Bambergenſi,ſumma celebritate atque deuotione,proxima,poſt Feſtum S.Michaëlis, Dominica,perpetuis deinceps temporibus,annuatim celebrari,præmeditato,nec ſine ratione,multiplici,ſed conſultò, animum induxi, Sermonibus aliquot,veluti catechreticis ſanctorum Angelorum ſtatum, cuſtodiam ac beneficia,in nos collata,& ad extremum vſque halitum, donec in cœlum perueniamus, indubitatò conferenda,cultum denique ac venerationem, ipſis meritò viciſſim impendendam, quàm maxima perſpicuitate, Angelis à Deo lumen & intelligentiam impetrantibus, explicare; Tùm vt ad reuerentiam & amorem, debitamque erga ſanctos illos & cæleſtes Spiritus,deuotionem inflammemur; Tùm etiam, vt ſanctorum Angelorum memoria,atque præſentia,tantò efficacius imbuamur, tùm vt *Principis Tenebrarum*,Diabolicam Idolomaniam, & execrandam Magiæ abominationem, vbique Dominicæ Meſſis prouentui, nefariè immiſcere ſatagentis,fraudibus,tantò fortius à nobis reſiſtatur; Tùm denique, vt ſanctorum Angelorum, qui ad cuſtodiam noſtram, ſolertiſſimè, omni momento,inuigilant,ope & induſtria,à varijs,tàm corporum, quàm animarum diſcriminibus eruamur,cæleſtiumque beneficiorum affluentia pleno deinceps copiæ cornu,locupletemur.

Pſal. 90.

Tobiæ 12. In cap. 18. Matthæi.

Inſtitutio Feſti S. Angeli cuſtodis in Eccleſia Bambergenſi.

Vt autem omnia,quæ de ſanctorum Angelorum cuſtodia, in medium proferri poſſent,eò luculentiori claritudine,à vobis percipiantur, Auditores mei, dilectiſſimi, ſermonis veluti præambuli loco, præmittemus, ineffabile, Numinis æterni beneficium, Angelos,ad ſuum præcipuè obſequium creatos, ad noſtram tutelam, incredibili benignitate aſſignantis. Obſecramus vos Angeli Tutelares, effectum date, vt tantæ gratiæ magnitudinem,probè capiamus,& ad largitoris amorem, piamq; in vos obſeruantiam,efficaciſſimè accendamur.

Benedi-

Digitized by Google

Benedicite Domino omnes Angeli eius; Potentes virtute, facientes Verbum illius; ad audiendam vocem ſermonum eius. Primarius enim veſtræ Creationis finis eſt, aſſiduis Dei laudibus, vacare, bonitatem & miſericordiam eius deprædicare; *Laudate* igitur *eum omnes Angeli eius, laudate eum, omnes virtutes eius*: Te enim, O potentiſſime hominum & Angelorum Plaſmator, *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & Miniſtros tuos, ignem vrentem, te,* inquam, *decet hymnus in Sion, & tibi,* par eſt, vt *reddatur votum in Hieruſalem* cæleſti, *quæ ſurſum eſt, Mater & Patria noſtra.* Vidit Daniel Angelos, diuinæ laudationis officium exequentes, & in hanc, admirationis & ſtuporis plenam, vocem erupit: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia, aſſiſtebant ei,* vt Maieſtatem eius diuinam, condecentibus encomijs celebrarent. Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta, immò & illuminatiſſimus Propheta, in cælum raptus; *Et vidi,* inquit, *& audiui vocem Angelorum multorum, in circuitu throni & animalium & ſeniorum; & erat numerus illorum, millia millium, dicentium voce magna: Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & Diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem: Sedenti in Throno & Agno, benedictio & honor & gloria & poteſtas, in ſecula ſeculorum.* Sic Deum aſſiduè ſimul *laudant Aſtra matutina, & iubilant omnes Filij Dei,* Angeli ſancti. Perpetuus hic eorum iubilus eſt in cælo: *Gloria in altiſſimis Deo; Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quod ſi hoc officium veſtrum eſt, O feliciſſimi Spiritus, ad quod à Mundi Fabricatore, ante Solem & Lunam, cælos & terram, antequam primus parens noſter Adamus, lucis huius vſuram acciperet; Ergò, quantum in vobis virium, quantum ſcientiæ, quantum poteſtatis & valoris eſt: *Laudate Dominum quoniam bonus eſt Pſalmus: Deo noſtro* & veſtro pariter *ſit iocunda decoraq; laudatio: Benedicite Domino omnes Angeli eius; Potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius,* vt *ſoli Regi ſeculorum, inuiſibili & immortali, ſoli Deo honor & gloria, in ſecula ſeculorum*, à vobis pariter & nobis perſoluatur.

[Margin: I. Laus Dei finis Creationis Angelorum. I. Scriptura. Pſal. 148. Pſal. 103. Pſal. 64. Galat. 4. Dan. 7. Apoc. 5. Iob. 38. Luc. 2. Pſal. 146. Pſal. 102. I. Timoth. 1.]

Audiantur, ſi placet, aliqui ſaltem, è ſanctorum Eccleſiæ Doctorum choro, quid ſentiant, de hoc Angelorum præcipuo munere? Quid doceant aut decernant? Primum obtineat locum vetuſtiſſimus Martyr Irenæus, Apoſtolorum ætati vicinus: *Multi ſunt,* inquit, *& innumerabiles, circa factorem Angeli, quemadmodum omnes confitentur Prophetæ: Millia millium aſſiſtunt & miniſtrant ei; decies millies centena millia, laudant eum; & quis numerauit Encomiaſtas eius, qui gloriam & magnificentiam ſanctitatis eius, perpetuò loquuntur, virtutem terribilium eius deprædicant, & memoriam abundantiæ ſuauitatis eius, plenis faucibus eructant?* Hunc pone ſequatur ſanctus Ephrem. Quid ille? paucis multa: *Inuiſibilis eſt natura, conditionis Angelicæ; In supernis demorantur, Deitatis miniſtri; ſemper* DEO *adſtant,*

[Margin: II. S. Patres. Lib. 2 contra Hæreſ. cap. 6. In eos qui ſcrutari volunt Naturam Filij Dei. cap. 2.]

Lib. 2. Fidei Orthodoxæ cap. 3.

eumq́; cum tremore glorificant ac dilaudant. Huic ſuccedat S. Ioannes Damaſcenus; Quid ille de proprio, & connaturali officio, Angelorum? *In cœlo degunt,* inquit, *Angeli; nec aliud ibi munus habent, quàm vt Deum laudent, Diuinaq́; ipſius voluntati, obſequantur.* Audiatur deniq; Lactantius; Et quid ille? *Angelorum vnum, ſolumq́; officium eſt, Deum aſsiduè laudibus, & præconijs concelebrare, nutibus omnibus inſeruire, nec omninò quicquam, niſi eius iuſſu facere.* Et venerabilis Beda; cuius hæc ſunt verba: *Superna cœlorum Regna, Deus Angelicis ſpiritibus inhabitanda, miro ordine, in perpetuum elocauit, ad laudem & gloriam, atque honorem ſui Nominis, & Maieſtatis:* Hæc omnia & mille alia, ſanctorum Patrum teſtimonia, in quem nam alium collimant ſcopum, quàm in Deum ipſum, Creatorem, Angelicam Creaturam, primariò ad laudem Nominis æternæ gloriæ ſuæ, propagationem, ordinantem.

Lib. 2. Diuin. Inſtit. cap. 4.

Homil. 2. de ſolennitate omnium ſanctorum.

De vitis Patrum, Surius 13. Octob. Venantius audit Angelos cantantes.

Non eſt quod veritatem iſtam, prolixius deducamus; vel vnicum ſancti Venantij Abbatis teſtimonium ſufficiat, ex Gregorio Thuronenſi: *Cum beatus,* inquit, *Venantius, Abbas, de Baſilicis Sanctorum, die Dominica, expleta oratione reuerteretur, ſuper bacillum ſuſtentatus, in medio Confeſſoris atrio, erectis auribus, oculisq́; ad cœlum diutiſsimè intentis, ſtetit immobilis; Deinde motus à loco, cœpit dare gemitus & ſuſpiria longa producere, interrogatusq́; à ſuis, quid hoc eſſet? aut ſi aliquid diuinum fuiſſet intuitus? reſpondit: Væ nobis inertibus & pigris: Verè dico vobis, quod ego audiui voces Angelorum, in cœlis, ter Sanctus, in laudem Domini proclamantes.* Diuinis laudibus concinendis Angelos libenter occupari, memorabilis hiſtoria, quam Nicephorus de cruce Conſtantinopoli à Conſtantino in Artopolio erecta, recenſet, conteſtatur: *Ad eam,* inquit, *Angelus Domini, ter quotannis per altiſsimum intempeſtæ noctis ſilentium, perinde atque micans quoddam cælitus fulgur, cum ſplendore inſuſtentabili venit, Crucem circumiens, thuribulo ſuffitum faciens, ſuauiq́; voce, quaſi cuiuſdam ſubtiliſsimæ melodiæ indicis, præſentiam ſuam illis, qui puritate vitæ à vitijs abhorrent, talia & videre & audire idonei ſunt, indicat. Atque vbi cantu ineffabili diuinum carmen, ter ſancti hymni, pſallens concinuerit, rurſum veluti ſtella magnificè micans, ad cœlum ſe extollit.* Iſta Nicephorus de Angelo certis anni temporibus ad ſanctæ Crucis ſignaculum, diuinas laudes perſoluente, cui officio iugiter ſine omni intermiſſione vacant in cælo. Atque vtinam in deceſſu noſtro ex hac vita, digni inueniamur, qui Angelicas laudes, in cælo iugiter audiamus. Quod itaque veſtri eſt officij, *Benedicite Domino, omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius; ad audiendam vocem ſermonum eius.*

Niceph. li. 1. cap. 32. Angelus iuxta crucem Conſtantinopoli auditur cantare laud Maria.

II. Angeli ad noſtram cuſtodiam deputati.

Quemadmodum porrò terreni Reges, ac Principes, eos, aulæ ſuæ Miniſtros quos ad peculiare obſequium ſuum, homagio ſibi obligarunt Amicorum quandoque ſeruitijs atque Protectioni applicare conſueuerunt: Pari modo Deus *cæli terræq́; potentiſsimus Monarcha*, Sanctos Angelos ſuos cuſtodiæ atque tutelæ noſtræ, non dedignatus eſt, applicare. Agnouit

Digitized by Google

hoc patrocinium famulitiumq; cæleſte, S. Patriarcha Iacob, cum ait: *Ange-* 1. *Scriptura.*
lus qui eruit me, à cunctis malis, benedicat pueris iſtis: Probauit re ipſa tutelam *Gen. 48.*
ſuam, Angelus, ad defenſionem Iſrahelitici populi, cælitus ordinatus: *Tol-* *Exod. 15.*
lens ſe, inquit ſcriptura, *Angelus Domini, qui præcedebat caſtra Iſrael, abijt poſt eos*
& cum eo ſimul columna nubis; priora dimittens, poſt tergum, ſtetit inter caſtra Æ-
gyptiorum, & caſtra Iſraël. Docuit hanc Angelorum cuſtodiam verbis di- *Pſal. 90.*
ſertis, Regius vates: *Quoniam Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te,*
in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas, ad lapidem pedem
tuum. Agnouit Propheta Daniel, Propheticam ſuam viſionem reuelans: *Daniel 7.*
Et ait ad me Angelus: Noli timere Daniel; quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum
ad intelligendum, vt affligeres te, in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua, &
ego veni, propter ſermones tuos. Princeps autem Regni Perſarum reſtitit mihi, vi-
ginti & vno diebus. Et ecce Michael vnus de Principibus primis, venit in adiutorium
meum. Et ego remanſi ibi, iuxta Regem Perſarum. Veni autem vt docerem te, quæ
ventura ſunt, populo tuo, in nouiſſimis diebus. Non ignorauit Angelicam iſtam
defenſionem, Heroina Iudith: *Viuit Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus* *Iudith. 13.*
eius, & hinc euntem, & ibi commemorantem, & inde huc reuertentem, & non per-
miſit me Dominus, ancillam ſuam, coinquinari. Et quis eam abnuat? quis in du-
bium vocet, cum Saluator ipſe, tàm clarè ac dilucidè confirmet? *Videte,* in-
quit, *ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis minimis: Dico enim vobis, quia Angeli* *Matth 18.*
eorum in cælis, ſemper vident faciem Patris. Vos ô ſancti Apoſtoli, annon à Iu-
dæis, in carceres & vincula detruſi, liberatorem Angelum, ſortiti eſtis? Im-
mò & Conſolatorem, ſenſiſtis, *vt nomen Domini IESV, liberè*, audacter &
imperterritè *in templo prædicaretis?* Dic nobis digniſſime Apoſtole Petre, *Actor. 5.*
quis te ex Herodiano *carcere, & ab omni expectatione plebis Iudæorum*, decuſſis *Actor. 12.*
compedibus & cathenis, per medios excubitorum cuneos, & ferreas por-
tas eductum, libertati priſtinæ aſſeruit, & vindicauit? Te ipſum audimus
profitentem: *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, qui eripuit me de* *Ibid.*
manu Herodis; Rectè ſenſiſti, & docuiſti, ſumme Apoſtole Paule: *Omnes ſunt* *Hebr. 1.*
adminiſtratorij Spiritus, in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capient
ſalutis. Nobiſcum itaque *benedicite Domino, omnes Angeli eius, Potentes virtu-*
te, ad faciendum verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius, qui vobis cu-
ſtodiam hominum demandauit.

Sanctorum Patrum teſtimonia exquiritis? mille forent in promptu: II. *Patrum*
vos modò, pauca delibate: Iuſtinus ait: *Omnes Angeli, tùm qui regunt, tùm qui* *teſtimonia.*
reguntur, functionem ſuam implent, cælis & hominibus vtilem. Quibus verò mini- *Quæſt. 30.*
ſterium mandatum eſt, vt homines ſequantur cuſtodes, ſemper augentur, minuuntur *Cuſtodia*
nunquam: aut enim vtrunque ſimul, animam, inquam, & corpus, aut animam, poſt *Angelorum*
diuortium eius, à corpore ſequuntur, vſque ad reſtituendi, ſiue renouandi mundi tem- *non ceſſat*
pus. Prius autem, vt hominum ſunt aſſeclæ, & Cuſtodes conſtituantur: alijs muneri- *vſque ad di-*
em Iudicij.

Digitized by Google

bus,pro hominibus obeundis, Principibus ſuis miniſtrant. Ecce Angelicam cuſtodiam, ad diem vſque Iudicij extremi,tàm quoad corpus , quàm animam tuam,ſe extendentem. Quæ tua de hac tutela , ſententia eſt, ſancte Pater Baſili? Excipite eius verba:

In Pſal. 33.
Peccatum pellit cuſtodes Angelos ſicut fœdus odor columbas.
Angelus vnus ingentem æquat exercitum.

Omni in Chriſtum credenti, Angelus aſſiſtit,niſi illum à nobis,per improbas actiones, profligauerimus. Velut enim fumus apes , & fœdus odor columbas expellit: ſic Angelum , vitæ noſtræ cuſtodem , abigit , multa lachrymarum aſpergine dignum,ac graueolens peccatum. Si enim, in anima tua, ea quæ digna ſunt Angelica cuſtodia,habueris,tutores,præſidialesq́; cuſtodes , qui tibi aſſiſtant,collocabit Deus. Conſidera igitur, quanta ſit Angelorum Natura: quoniam vniuerſo exercitui & caſtris , numeroſæ hominum multitudinis , vnus Angelus aſſimilatur: ob magnitudinem itaq; eius,qui te cuſtodit,caſtra tibi, munitionesq́; præbet Deus: Propter Angeli verò virtutem , veluti circumuallat te vndique ſecuritate,quæ eſt per illum.

Serm. de aſcenſione Domini.
Angeli cur caſtra Dei?

Et te ſancte Pater Ioannes Chryſoſtome, de hoc Angelico præſidio perorantem,placet audire: *Meritò,*inquit, *à Iacob Patriarcha,Angelorum caſtra, videntur in terra: Nam ſicut Imperatoris optimi, prouiſione,vrbes omnes, vniuerſæ ciuitates caſtella ſingula, manu militari, aduerſus hoſtilem, muniuntur aduentum, & omnia loca diligenter armantur, ne barbarica incurſione deleantur: Ita & Deus,quoniam barbara & agreſti mente, rabientes Dæmones,ad pacis euerſionem,vbique verſantur,ad tutelam noſtram conſtituit, exercitus Angelorum,vt eorum præſentia, Dœmonum confringatur audacia , & per eos nobis,pacis gratia miniſtretur.* Plures alios audire collubet? Affirmat S. Ioannes Damaſcenus:

Lib. 2. Orthod. Fidei. cap. 3.
Angeli præſides hominum contra Dæmones.
In cap. 18. Matthæi.
Soliloquiorum cap. 27
In cap. 18. Matthæi.
Soliloquiorum cap. 27.

Ad explendam Dei voluntatem, fortes ac prompti ſunt Angeli,& prout à ſummo illo Pontifice deſtinati,& collocati ſunt, certas quiſque terræ partes cuſtodiunt,gentesq́; & Regiones, tuentur,ac noſtras res gubernant, nobisq́; opem ferunt. Scribit Theophylactus: *Angeli ſunt hominum Præſides, ne damnum illis fiat à Dæmonibus: Omnes enim homines, & maximè fideles, ſuos habent Angelos. Puſillorum autem & humilium in Chriſto , Angeli vſque adeo ſunt Deo familiares, vt faciem eius ſemper videant, coràm eo ſtantes.* Fixum ac ſolidum eſt, verbum tuum ſancte Pater Ambroſi: *Angeli ſunt nobis ad præſidium dati.* Tecum ſentio ſancte Pater Hieronyme : *Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu Natiuitatis, in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.* Approbo, ſancte Pater Auguſtine, quod cùm Deo ſermocinans,de Angelica tutela ſenſiſti,& ſcripſiſti:

S. Angelorũ ſedulitas in cuſtodia noſtra.

Diligunt conciues ſuos, per quos ruinæ ſuæ ſciſſuras, reſtaurari expectant: Ideoque magna cura , & vigilanti ſtudio,adſunt nobis, omnibus locis & horis, ſuccurrentes & prouidentes, neceſſitatibus noſtris , & ſolliciti diſcurrentes, inter nos & te Domine; gemitus noſtros & ſuſpiria,referentes ad te,vt impetrent nobis facilem, tuæ benignitatis , propitiationem, & referant ad nos,deſideratam, gratiæ tuæ , benedictionem. Ambulant enim nobiſcum, in omnibus vijs noſtris; intrant & exeunt nobiſcum, attentè conſiderantes,

Digitized by Google

tes, quàm piè, quàm honeſtè, in medio nationis prauæ, conuerſemur. Adiuuant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes. Quis noſtrum tàm fideles Laterones, ac ſocios, offendere auſit? Fit nihilominus, quod tu B. Petre Damiane, quondam redarguiſti: *Angelos ad noſtram cuſtodiam deputatos, quotidie multipliciter offendimus, & offenſam negligentia cumulamus. Ipſi autem, licet frequenter à nobis iniurias patiantur, ſuſtinent tamen & compatiuntur peccantibus; nec minor illorum, circa nos cuſtodia; immò maior ſollicitudo, cum boni cuſtodis ſit, infirmis magis, quàm ſanis, operam exhibere.* Hanc ob cauſam ſanctus Eligius Nouiomenſis Epiſcopus, Clericos ac Diſcipulos ſuos, in agone inſtruens, admonebat: *Semper in Dei timore permanete, certi, vnumquemque noſtrum, habere Angelum Dei, qui obſeruet iugiter, quid agamus: Et ſiquidem benè agimus, gaudium afferimus Angelis noſtris: ſi verò, malis operibus vocamus, Angelos ſanctos repellimus, & malignos Dæmones accerſimus.* Sed abſit tantum à nobis malum, abſit, benigniſſimos illos Spiritus, iuratis, humanæ ſalutis hoſtibus permutare. Quin potius, eos omni reuerentia & veneratione ſuſpiciamus, vt eorum beneficas & liberales manus, de die in diem, vberius experiamur: Sunt enim *potentes virtute, facientes verbum*, & obedientes voluntati illius, *ad audiendam vocem ſermonum illius*, quem omni tempore benedicunt.

Serm. de exaltat. S. Crucis.

Angeli etiã à nobis iniuria affecti cuſtodiam ſuam non interrumpunt.

Audoënus in eius vita cap. 16.

Quid, obiectitabit aliquis, opus erat Angelica tutela? annon ad humanam cuſtodiam, ſola potentia ac prouidentia Dei ſufficiebat? nunquid non ſolus ipſe, inſolentiam Dæmonis, ſemel pro ſemper, refrænare, & eius Regnum atque Imperium, potuiſſet euertere ac diſturbare? nunquid non, vel ſolo nutu, ex quocunque diſcrimine, nos poterat eruere, ac liberare? Vt quid igitur, eius Maieſtati, noſtri cauſa, tantum numerum, ſupernorum Spirituum, placuit occupare? Reſpondemus cum S. Bonauentura: *Cæleſtem militiam ad hominum defenſionem, ideo voluit Deus aſſignare, vt omnipotentiæ ſuæ, peculiare ſpecimen ederet, quæ non contenta, Angelicas illas acies, Throno Maieſtatis ſuæ aſſiſtere, ad euidentius, Magnificentiæ Diuinæ argumentum, iuſsit cæteris quoque creaturis, inſeruire, vt ita laudetur & glorificetur Deus, non tantùm in ſe ipſo; verùm etiam, in ſuorum perſona ſeruorum.* Nec indecorum aliquod ſubeſt Angelicæ huic delegationi, creaturas nimirum, adeò nobiles, cùm præiudicio ſtatus ſui, ignobilioribus inſeruire: Nam licet in ſententia Æterni verbi, *Maior ſit qui recumbit, quam qui miniſtrat*; aliud tamen eſt Miniſterium, quod cum ſubiectione impenditur; Aliud quod præſidentiam quandam & gubernationem importat. Saluatoris autem verba, referuntur, ad primum Miniſterij genus, non ad ſecundum, quod Cuſtodibus noſtris Angelicis, incum-

III Cur hominum cuſtodia fuerit Angelis impoſita?

In 2. Sent. diſt. vlt.

1. Cauſa omnipotentia Dei.

1. Magnificentia Dei.

Miniſteriũ hominum haud officit Angelicæ dignitati.

Luc. 22.

Miniſterii duplex, præſidentiæ & ſubiectionis.

Digitized by Google

Simile. incumbit. Qua ergò ratione in aulis Principum, Oeconomi proſpiciunt neceſſitatibus inferiorum ſeruorum, vſque ad viliſſima mancipia, nec tamen ex huiuſmodi ſeruitute, detrimentum aliquod honoris patiuntur, ſed omnia ex præſcripto Principum, operantur, quibus ipſi pariter, cum omni familia inſeruiunt: Sic Angeli Cuſtodes, iuuant nos ac dirigunt, & in omni neceſſitate, præſto ſunt, præardenti deſiderio, quo tenentur, illius voluntatem pleniſſimè exequendi, cui omnes, tàm illorum quàm hominum ordines famulantur. *Benedicite* ergò *Domino omnes Angeli eius, Potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius.*

Angeli velut Oeconomi in aula cælesti.

I. Infinita Dei potentia.

Manifeſtatur etiam hoc pacto clariſſimè, potentia Dei infinita: Cum enim infernalibus caſtris à cœlo, reſiſtentiam ſatis validam opponi conueniat, multò ſe potentiorem teſtatur Deus, dum præcipit, damnatorum ſpirituum ſuperbiam, conculcari ab Angelis, quàm ſi propria dextera, diuinæ iuſtitiæ mucronem in eos vibraret. Neque interim hac cura Angelis commendata, homines deſerit, quod terrenis Regibus vſuuenit, qui præcipuam ſolicitudinis partem in humeros, officialium ſuorum deuoluentes, ipſi aut quieſcunt, aut alijs negotijs occupantur. Quin potius vniuerſali & particulari prouidentia ſua, cuncta gubernat: Ac proinde ſicut omnes creaturas, per continuam diuinæ voluntatis ſuæ operationem, fouet ac vegetat, & nihilominus omninò non impedit aut diminuit, vlla in parte, operationem cauſarum ſecundarum. Et quod amplius, tali ordine ac dependentia, cauſas ſecundas connexuit, cùm potentia ſua increata, vt nec illæ à Philoſophis ſuperfluæ iudicentur, nec ſupremi Motoris operatio ſuperuacanea aut imperfecta æſtimetur. *Benedicite* itaque *Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius*, & eius omnipotentiæ ſubſeruientes, *ad audiendam vocem ſermonum eius.*

Deus non deſerit homines etiãſi eos Angelis commendarit.

III. Cauſa ſapientia Dei.

Ordo inſuper diuinæ ac infinitæ ſapientiæ poſtulabat, humani generis cuſtodiam Angelis committi, tàm propter naturalia, quàm propter ſupernaturalia, & gratuita dona, quibus eminent & præpollent. Lex etenim diuina, talem communiter in operationibus ſuis, ordinem ſeruat, vt res infimæ ſubleuentur, & perficiantur, per medias: Mediæ per ſupremas: Inter Deum autem, qui ſummus eſt, & vltimus finis animarum noſtrarum, & nos mortales medij intercedunt Angeli cæleſtes: cùm, quia confirmati ſunt in gratia, tùm quod conſtent Natura immortali, & ſubſtantia ſpirituali. Neceſſarium igitur erat, vt ad perfectam, cum Deo vnionem, auxilio ſanctorum Angelorum, eueheremur. Vnde affirmat Panthaleon Diaconus, Carthophilax Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ: *Simulatque conſtitutum fuit humanum genus, iuſſi ſunt Angeli, eius vita curam gerere. Et vnumquemq; hominem fidelem, ſortitus eſt bonus Angelus, vt eius vitam componeret & animam perficeret. Multi autem cum eo luctantur Dæmones, à via recta eum facientes aberrare*

In Encomio S. Michaelis apud Simeonem Metaphraſten. & Sur. Tom. 5.

Digitized by Google

tare · Immundis enim Dæmonibus, nō ſunt curæ infideles, ſed ij, qui piè viuunt: Eis enim inuident, & cum eis bellum gerunt. Quando autem ambulat quidem in ſanctitate, & iuſtitia homo fidelis, lætatur Angelus, qui fuit datus ad cuſtodiendum. Quando verò à via recta declinauerit, triſtis quidem eſt bonus Angelus, Dæmones autem tripudiant. Addit S. Baſilius: *Sunt Angeli cuſtodes noſtri, à Deo deputati, in vnaquaque Eccleſia, qui deſcribunt eos, qui orant & ieiunant. Vide ô homo ne propter paruam voluptatem & breuem ſomnum, hoc damnum accipias, quod te non deſcripſerit Angelus. Hac illi.* Et vos itaque Angeli ſancti, *benedicite* nobiſcum *Domino*, vos, inquam, qui *potentes virtute, facitis verbum illius*, accuratiſſimè nos cuſtodiendo, *ad audiendam vocem ſermonis eius*, quibus tutelam noſtram, vobis diligentiſſimè commendauit.

Dæmones omniū maximè ijs fidelibus inſidiantur.

Orat. 2. de ieiunio.

Angeli Notarij noſtri.

Quod ſi iam ad ipſoſmet Angelos, nos conuertamus, quis abnuat, eos hoc priuilegium, hominibus præſidendi, promeruiſſe? Promeruerunt, inquam, non tantùm, quia *Natura* ſunt admodum *potentes & ſapientes*, ſed ſingulariter etiam, quia in primo illo conflictu, contra Luciferum, Diuinæ Maieſtati, fideles permanſerunt, eundemq; amorem, Creatoris, vſque ad finem ſæculi, pari ſemper ardore, in fauorem generis humani, continuant, iugiterque exercent. Vnde S. Gregorius, illa, ſancti Iob, verba explicans, *Maledicant ei, qui maledicunt diei*, ſcribit: *Diem quippe, iſte ſuperbiens Spiritus, oſtentare, etiam Angelicis poteſtatibus voluit, cum ſe ſuper cæteros, quaſi in potentia Diuinitatis extollens, tot poſt ſe legiones, ad interitum traxit: ſed hi nimirum, qui in authore ſuo, humili corde perſtiterunt, cum errori eius, noctem ineſſe, conſpicerent, diem claritatis illius, de ſemetipſis humilia ſentientes, calcauerunt; qui nunc nobis doli eius tenebras indicant, & quam ſit illius deijcienda ficta claritas, demonſtrant.* Hæc S. Gregorius, de priuilegio ſanctorum Angelorum. *Benedicite itaque Domino, omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonis eius*, quo vobis tutelam noſtram commendauit.

IV. Priuilegium præſidentia promeruerunt in conflictu cum Dæmone.

Lib. 4. Mor. cap. 4.

Si denique, extremam noſtram neceſſitatem ſpectemus; Naturam noſtram per peccatum adeò debilitatam eſſe, comperiemus, vt niſi creator eam peculiari auxilio ſubleuaſſet, Angelicaque tutela communiuiſſet, nec finem ſuum conſequi, nec inferorum hoſtium, violentiæ, vel minima ſaltem ex parte, reſiſtere potuiſſet: ait enim S. Gregorius: *Homo per peccatum, incidit in ſeptē miſerias; quæ ſunt, Stultitia, Hebetudo, Præcipitatio, Timor, Ignorantia, Duritia, Superbia. His debilitatæ ſunt potentiæ, motiua & cognitiua.* Quæ nam ſtultitia maior, noſtra *ſenſualitate*? Leuiſſimi cuiuſque doloris, aut difficultatis, vitandæ cauſâ, mox vbi ab obiectis, apparenter tantum, delectabilibus, ſeſe inuitari ſentit, infami præcipitantia, Appetitui ſenſitiuo ſubſcribens, ipſam quoque rationem, Principem hominis

V. Neceſſitas noſtra fragilitatis.

Li. 1. Moral. in Iac.

Septem hominis miſerias ſubleuat Angelica tutela.

1. Stultitia noſtra ſenſualitatis.

 partem,

Similia. partem,trahi in ruinam: Eſt enim velut Equus teneri morſus, qui prius generoſo bellatori in prælio obſequens, magnam hoſtium ſtragem edit: Si deinde ab hoſtibus intercipiatur,non ſecus ab his,quàm ante,à Domino ſuo circumagitur,in omnem partem:Ita vt qui illi inſidet,miſerabiliter,in medias hoſtium acies,inferatur:Idem vſuvenit homini,à ſenſualitate ſe regi permittenti. Quàm deploranda *hebetudo & obſcuritas intellectus?* Dum enim mentem,ad altiſſimorum fidei Myſteriorum contemplationem,erigimus,ſæpiſſime,propter intelligentiæ imbecillitatem,in lutum ſenſuum prolabimur,vt cum Propheta conqueri cogamur: *Adhæſit pauimento anima mea.* Quid de *præcipitantia* noſtra proferam? Similes ſumus domui,quæ ſpectabili artificio,intus foriſq; ædificata,fundamentis tamen caret; Vnde tota quidē æſtate conſiſter,quando & venti miteſcunt, & pluuiæ rariores cadunt,& flumina placidiori murmure labuntur. Aſt hyeme, ſuperueniente imbrium affluxu,exundantibus fluuijs ac torrentibus,malè fundatum ædificium,ruinam minatur, & mox irreparabilem diſſoluitur in ruinam. Talis eſt conſcientia noſtra, quę tametſi varijs exculta ſit virtutibus, quia tamē fundatur ſuper debilitatem partis inferioris,quæ eſt obnoxia perpetuæ commotioni, ſemper ad ruinam propendet,id quod aperte S.Iob ſignificauit: *Ecce qui ei ſeruiunt,non ſunt ſtabiles,& in Angelis ſuis reperit prauitatem: quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea?* quibus addit S.Gregor. *Luteas quippe domos habitamus, qui in terrenis corporibus ſubſiſtimus.* Nec exigua ſane miſeria eſt, *ſuperfluus Timor*: quo miſerandum in modum affecti,ſimiles ſumus,Equo meticuloſo, cuius ſeſſori militi, parum,aut verius nihil proſunt arma: Nam is Calcaribus incitatus, tàm diu huc illucque refugit,donec excuſſo fræno, Equitem in terram proſtrârit. Idem Equus ſi vmbraticus ſit, ad primum ſonitum bellicæ tubæ, & armorum ſtrepitum, primumq; impetum,illico retrocedit, neq; calcaribus vllis,promoueri poteſt, vt antrorſū procurrat:Sic nos *trepidantes timore. Vbi non eſt timor*,ad ſingulos animæ paſſus,*timoris* inſiti, vanitate retardamur. *Timori* ſuccedit *Ignorantia*,quæ nos aſſimilat Equiti, ab armis parum inſtructo,ſed inermi: nam huic Equus, peritiſſimi licet Equiſonis manu inſtructus,parum contra hoſtes afferet emolumenti: Sic ignorantia noſtra, impedit, ne nos ad infernalis hoſtis ſtratagemata elidenda,conuenienter prę muniamus,vt citius circumuenti & victi,quam prouocati videamur. Ignorantiam excipit, *Durities cordis*, qua cum æquiparamur,Equo duri & calloſi oris, qui iniecti fræni duritiem,non ſentiens,ſi in campo exerceatur,tanquam à lupato liber,effuſiſſimè, manifeſto cum periculo ſeſſoris,excurrit:Sic qui duro ſunt corde,frænum diuini amo-

Margin notes: *2. Hebetudo & obſcuritas intellectus. Similitudo. Pſal. 118. 3. Præcipitatio. Similitudo. Iob 4. Lib. 5. Mor. cap. 27. 4. Timor. Similitudo. Pſal. 13. 5. Ignorantia. Similitudo. 6. Durities cordis. Similitudo.*

Digitized by Google

ni amoris, haud ſentientes, adeò tardè, ſalutis æternę pericula declinant, vt priuſquam pedem è loco diſcriminis, moueant, ab hoſtibus, velut præda, diu quæſita, intercipiantur. Omnium denique peſſima eſt *Superbia, maledicta,* qua inflamur & velut inanes Veſicæ extumeſcimus, ſupra nos ipſos, alios præ nobis contemnentes, innocentes dicterijs ac ſalibus inceſſentes, rixas & diſcordias fouentes, & mille alia mala diſſeminantes. Quid ni miſeriæ iſtæ in cumulum conglomeratæ, Angelicæ Cuſtodiæ expetendæ, neceſſitatem nobis imponant? *7. Superbia.*

Cogita, obſecro, ſi Rex aut Princeps aliquis, circumueniretur, â perduellibus, ac ſeditioſis ſubditis, totus inermis, nõ niſi lineo veſtitus habitu, & ſubtili induſio amictus, equo inſidens, aut nimium delicato & facili, aut nimium duro aut meticuloſo, idque in paluſtri, ac lubrico campo; an is ſperare poſſet, aut, præſumeret, de manibus circumfrementium inimicorum ereptum ſe iri ac liberatum, niſi cælica, ſolius Dei ope, ſubleuatum? Et tamen omnes, proh dolor, ad eas anguſtias redacti ſumus, vt qui à ſtulta, cęca, præcipiti, timida, ignorante, effræni, & rebelli ſenſualitate, non tantum crebro & periculoſe ſeducimur, verum etiam iuratis & infenſiſſimis hoſtibus, Dæmonibus, inquam, prodimur, qui dies noctes, nil aliud, quam noſtrum exterminium quærunt. Imaginare tibi, deniq; Ciuitatem, à numeroſo Exercitu obſeſſam. Sit intus plena factionibus, conſpirationibus contra gubernatorem, ſint præſidiarij debiles, ac ſaucij, & ex diuturna obſidione, ſint perpauci: an Ciuitas in hiſce miſerijs conſtituta, ſine potentiſſimi alicuius Principis ſuccurſu, cui ſe ſpontè tributariam ſubiugaret, ſeruari poſſet, aut defendi? cogita animã tuam iugiter obſeſſam, ab hoſtibus illis, de quibus nos præmonet Paulus Apoſtolus: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus Carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Mundi Rectores tenebrarum harum.* nec deeſt, immanis proditor, *Caro concupiſcens aduerſus Spiritũ:* Et pars Rationalis quæ pręſidij loco, defenſionem præſtare obligata, quã eſt infirma, quã imbecillis? Eſt igitur impoſsibile, vt ſine cæleſti, Sanctorum Angelorũ præſidio, quod Deus nobis aſsignauit, à tot grauiſsimis diſcriminibus, eripiatur. *Benedicite* ergo, *Domino omnes Angeli eius, potentes Virtute, ad audiendam vocem ſermonum eius.* *VI. Deductio neceſſitatis. Similitudo.* *Sumus in hac vita veluti ciuitas obſeſſa.* *Epheſ. 6. Galat. 5.*

Veritatem quam aſſerimus admirandis duabus hiſtorijs, ſtabilitam ſaxo; quarum prima, vetuſtiſſima è vitis Sanctorum primitiuæ Eccleſiæ Patrum, eſt decerpta. Sanctiſſimi tres Anchoretæ: Syrus, Iſaias & Paulus, conuenerant, vt alium quendam, magnę ſanctitatis eremi incolam, nomine Anuph, de quo ijs Dominus Deus reuelauerat, quod poſt triduum ex hac vita eſſet emigraturus, viſitarent. Cumque ad flumen veniſſent, quod vt transfretarent, nauigij copia deerat. Dant ſe Ora- IV. Hiſtoriæ duæ veritatem cõfirmantes. *1. De S. Anuph Eremita.* *Ruffinus Presbyter Aquilenenſis, li. 2. c. 10*

Palladius Helenopolitanus ca. 55. & 56. apud Heribertum Roſvveidum. lib. 2. de vitis Patrum vita 26.

tioni,& ecce ſanctorum Angelorum opera, nauigium ad littus appellitur,quod ingreſſi, vna hora, tantum itineris aduerſo etiam flumine emenſi ſunt,quantum expeditus pedes, vix tridui ſpacio,conficere potuiſſet. Hiſtoriæ ſeriem, verbis ſuis, Ruffinus proſequatur: *Cum ergo, inquit,iter quod ducit ad Monaſterium Anuph,à ripa fluminis incedere cœpiſſent, occurrit eis ſupradictus vir ſanctus, ad quem viſitandum pergebant, & ſalutans eos ait: Benedictus Dominus qui vos mihi nunc in corpore, & iam antea in ſpiritu oſtendit; Et tunc cœpit,de vniuſcuiuſque eorum meritis, quæ habebant apud Deum,atque actibus memorare. Tunc Paulus ait: Quoniam & nobis Dominus reuelauit, quod poſt triduum, te de hoc mundo aſſumat, petimus à te vt etiam de tuis nobis virtutibus & actibus,quibus Domino placuiſti,enarres,nec verearis iactantiæ notam: Abſceſſurus enim de hoc mundo,ad imitationem poſteris,geſtorum tuorum memoriam,derelinque. Tunc ille: Nihil inquit magnum feciſſe memini: hoc tamen cuſtodiui, Ex quo nomen Saluatoris noſtri,in perſecutione confeſſus ſum, ne poſt confeſſionem veritatis,mendacium ex ore meo,procederet, neque poſt amorem cœleſtium,terrenum aliquid amarem. Sed nec gratia Domini in his defuit mihi: Nunquam enim egere me fecit aliquo terreno;omnem quem deſideraui cibum, Angelorum mihi deferens miniſterio. Nihil eorum occultauit à me Dominus, quæ geruntur in terris. Nunquam defuit cordi meo lux eius, per quam ſuſcitatus, ſomnum corporis non requirebam,deſiderium habens ſemper videndi eum. Sed & Angelum ſuum mihi ſemper aſſiſtere fecit,edocentem me,de ſingulis quibuſque virtutibus mundi. Lux mentis meæ nunquam extincta eſt. Omne quod petij à Domino, ſine mora conſecutus ſum. Oſtendit mihi frequenter multitudines Angelorum aſſiſtentium ſibi, & laudantium nomen ſuum ſanctum. Vidi quoque cœtus iuſtorum congregationesque Martyrum,omniumque Sanctorum,quorum opus non eſt aliud, niſi laudare ſemper, & benedicere Dominum, cum Angelis,in ſimplicitate cordis. Vidi econtrario Sathanam & Angelos eius, æternis ignibus tradi; & rurſus iuſtos æterna lætitia perfrui. Cumque hæc & multa alia, per totum triduum enarraſſet eis,tradidit ſpiritum. Et continuò vident ipſi, ab Angelis ſuſcipi animam ipſius,atque ad cœlos ferri,ita vt vocem hymnorum audirent, etiam ipſi, quibus vnà cum Angelis,anima eius abſcedens,Dominum laudabat.* Hæc de S. Anuph, Ruffinus, ex Palladio Epiſcopo Helenopolitano. Ex quibus liquidò ad oculum patet, Angelicos ſpiritus, non ſolum, ad laudandam Creatoris æterni Maieſtatem,verùm etiam,ad inſeruiendum hominibus, conſeruis ſuis, eſſe ordinatos. *Benedicite* ergò *Domino omnes Angeli eius potentes virtute facientes verbum illius.*

B. Hildegundis puella poſt varios caſus Religionem ingreſſa.

Mirabilem alteram hiſtoriam,ſed priori mille circiter annis recentiorem, ipſiuſmet ſcriptoris verbis, ſubiungo, ex qua pariter humanarum miſeriarum,non ſolum certa multitudo, verum etiam Angelorum defenſio

defenſio, atque tutela, euidentiſſime innoteſcat. *In ciuitate Nuſsia, quæ quinque miliaribus diſtat à Colonia, ciuitate magna, ciuis quidam habitauit, filiam habens formoſam ac dilectam, nomine Hildegundem; quam, vxore defuncta, cum adhuc eſſet in ætate tenera, orationis gratia ſecum Ieroſolymam duxit. In reditu verò, infirmatus Pater, apud Tyrum, diem clauſit extremum. Moriens autem, filiam & omnia quæ habuit, Miniſtri ſui fidei commendauit; ſed fidem non ſeruans, ſeruus, Domino, neque miſericordiam exhibens defuncto, cum eſſet impius & auarus, puella nocte in domo relicta, clàm nauigauit, multis illam miſerijs exponens. Quæ manè ſurgens, cum intellexiſſet, tutorem infidum, cum Patris ſui ſubſtantia nauigaſſe, vehementer doluit, & quid ageret, vel quo ſe verteret, penitus ignorauit; non intelligens idioma terræ, fame cœpit tabeſcere, mendicando tamen, ſcholas in eadem ciuitate, anno vno frequentauit. Poſt hæc peregrinis de Alemannia aduenientibus, calamitatem ſuam expoſuit, & vt ſui miſererentur, lachrymabiliter exorauit. E quibus vnus cæteris ditior, vir bonus & nobilis, conſolans deſolatam, aſſumenſque in nauim ſuam derelictam, datis neceſſarijs, ad patriam reduxit peregrinam. Eodem tempore, cum orta fuiſſet controuerſia, in Eccleſia Treuirenſi, inter duos Electos, Volmarum ſcilicet, eiuſdem Eccleſiæ Archidiaconum, & Rodolphum maiorem Præpoſitum, Dominus Papa Lucius, priori fauebat, partem alterius Fridericus Imperator, defenſabat. Et quia nulli erat tutum, literas ad Apoſtolicum, qui tunc temporis apud Veronam morabatur, deferre, propter inſidias Imperatoris, Eccleſia Colonienſis, cum vni partium faueret, & ob hoc literas, ad iam dictum Papam, deſtinaret, baiulus earundem vitæ ſuæ timens, præfatam puellam, propter tonſuram & habitum adoleſcentem æſtimans, prece ſimul & pretio, eò quod minor ſuſpicionis nota foret in pedite, quam in equite, clauſas in baculo literas, vt portaret, obtinuit. Quæ cum iuxta Auguſtam deueniſſet, furem offendit: rogata ab eo, vt ſocius eſſet eius itineri, nihil mali ſuſpicans, libens annuit. Cumque paululum proceſsiſſent, & fur quaſi ſonum perſequentium excepiſſet, onus cum furto, penes puellam repoſuit, ipſe verò, ad ſeceſſum ſe ire ſimulans, inter frutetа, ſe abſcondit. Quid morer? Illa à perſequentibus comprehenditur, cum ſacco ad iudicium trahitur, & per ſententiam laqueo adiudicatur. Quæ cum ob furti præſentiam nullam ſibi prodeſſe cerneret allegationem, nullam excuſationem, ſacerdotem petiuit, & obtinuit, cui exceſſus ſuos confitens, ſatis ſimpliciter expoſuit, per ordinem viæ ſuæ cauſam, & furis nequitiam, & vt ſacerdoti verborum fidem aſtrueret, arundinem, literas Pontificales continentem, oſtendit, & adiecit: Si fuerit fur quæſitus, ocius inuenietur. Mox ad conſilium ſacerdotis, nemus retibus & canibus ambitur, fur quæſitus comprehenditur, ad iudicium vterque trahitur. Cum miſer ille ad criminis confeſsionem cruciatibus compelleretur, ait, iniuſtè compellor confiteri, quod non feci, iſte cum furto deprehenſus, ſecundum ius ciuile, damnandus eſt. E contra, cum puella diceret, ſibi onus doloſè fuiſſe commiſſum, & reſtituere vellet*

Cæſarius li. 1. cap 20. hiſtoriarum ſui temporis.

Ducitur à Patre Hieroſolymam.

Defuncto parente, ſpoliatur ab infido ſeruo, & pupilla relinquitur in Palæſtina.

Redit in patriam & mittitur ad Pontificem cum literis.

Furti falſo & innocens inſimulatur.

depoſitum; reſpondit ille: Onus iſtud meum eſſe nego, vox vnius teſtimonium eſt nullius. Ad hæc virgo obmutuit. Tunc accedens ſacerdos, pro ipſa allegauit, & quod eſſet innocens, doloq́; hominis circumuenta, ſatis affirmauit, &, ſi minus, inquit, verbis meis creditur, examine ferri candentis: quis reus ſit, quis innocẽs, facile comprobabitur. Quod cum omnibus placuiſſet, manus furis exuſta eſt, puellæ verò manus illæſa apparuit. Tunc fure celerius ſuſpenſo, confeſſor & liberator virginis gaudens, illam in domum ſuam recepit. Et ecce, Diabolo inſtigante, qui ſaluti virginis inuidit, cognatio furis, de tàm turpi morte eius furens, innocuam, & Dei iudicio liberatam, de domo Sacerdotis extraxit, reoq́; depoſito, loco eius illam ſuſpendit. Mox Angelus Domini adfuit, qui & virginem, ne laquei ſentiret anguſtias, ſuſtentauit, & mirifico vultus ſui odore refecit, & cum nihil ſentiret doloris, imò maximis ſe putaret intereſſe delitijs, in ipſa nocte, tàm ſuauem audiuit melodiam, & ſymphoniam, tàm diuerſam, tamq́; iucundam, vt nullus chorus, ſiue corporalis, ſiue inſtrumentalis, tantæ dulcedini poſſet comparari. Sciſcitante ea, quid hoc eſſet? Reſpondit Angelus, anima ſororis tuæ Agnetis cum hoc concentu Angelico, in cœlum defertur, & tu poſt biennium feliciter ſequeris. Sic beata illa, per biduum pendente, paſtores in vicinia paſcentes, miſericordia moti, condixerunt, vt corpus deponerent, ac ſepulturæ commendarent. Inciſo verò laqueo, non, vt conſuetudo eſt cadauerum, cum pondere cecidit, ſed paulatim, angelo ſuſtentante, ad terram demiſſa, ſtetit; quo viſo, territi paſtores, fugerunt, dixitq́; ei Angelus Domini: Ecce libera es, vade quo libet. Reſpondit illa: Domine mi, Veronam ire propoſui. Statimq́; in momento translata eſt Veronam. Et ait Angelus: Verona hinc diſtat tribus milliaribus, inter Auguſtam verò, & Veronam, ſeptem dietæ numerantur. Proſpere verò apud Veronam negotio peracto, cum rediens intraſſet Diœceſin VVormatienſem, non ingrata diuinæ miſericordiæ, prece, & ope, cuiuſdam venerabilis incluſæ, obtinuit, vt à Domino Theobaldo Abbate, Sconauiæ, in nouitium ſuſciperetur. Eſt autem Sconauia locus amœniſſimus, nomen trahens à re. Putans eam eſſe adoleſcentulum Abbas, poſt tergum ſuum in eodem Equo, ſedere iuſſit: quæ cum loqueretur voce feminea, & gracili, dixit ei Abbas: Frater Ioſeph, nondum mutaſti vocem tuam? reſpondit illa, Domine, nunquam illam mutabo: Adoleſcentem ſe ſimulans, nomen ſancti Ioſeph, ſibi impoſuerat, vt eum, quem validas tentationes viciſſe nouerat, contra duplicem hoſtem pugnatura, Carnem ſcilicet & Diabolum, memoriæ ſuæ, arctius imprimeret, & per auxilium, plenius ſentiret. Et videtur in ea illud Salomonis impletum: Mulierem fortem quis inueniet? Non eſt inuentum ſimile in ordine noſtro, & ideò ſine exemplo, Mulierem, ſimilem, ex omnibus non inueni. Ingreſſa probationem, manum ſuam miſit ad fortia, inter viros dormiuit, cum viris comedit, bibit, viris ad diſciplinas, dorſum ſuum nudauit: & cum eſſet iuuencula, multæ grauitatis, tamen ne ſexus eius notaretur, quandoque ſuis ſocijs in probatione, ſigna aliquot oſtendit leuitatis, nam abſente magiſtro,

Ferro candenti ſuam purgat innocentiam.

Præter omnem culpam in patibulo ſuſpenditur.

Suſtentatur ab Angelo ne ſuffocetur.

Ex Angelico cantu ſororis ſuæ obitum cognoſcit.

E patibulo haud ſine miraculo deponitur, Angeli opera.

Auguſta, per Angelum in momento Veronam tranſportatur.

A Theobaldo Schonaugienſi Abbate in ordinẽ fratrum recipitur.

Incognita inter viros viuit.

Digitized by Google

magiſtro, monachum, qui hoc nobis retulit, Hermannum nomine, tunc puerum quatuordecim annorum, ad ſcyphum ſuum ducens, ait; conſideremus in hoc vino, quis noſtrum ſit formoſior, & cum relucentem in ea faciem attenderent, iterum aiebat: Hermanne quomodo placet tibi facies mea? reſpondit ille: Videtur mihi mentum tuum diſpoſitum, ſicut mentum mulieris. Tunc illa, quaſi indignabunda, receßit. Cum appropinquaret tempus reſolutionis eius, cœpit infirmari, & cum præ nimia debilitate ad lectum ſuum portaretur, vocant Priorem, cui cum peccata quædam leuia confiteretur, & ille interrogaret, ſi vnquam aliquam cognouiſſet mulierem, reſpondit illa: Nunquam Domine, reus fui alicuius mulieris, ſiue viri, hoc adijciens propter ſexum. Deinde recitauit ei, per ordinem, eo modo, quod prædictum eſt, vniuerſa, quæ circa ſe facta ſunt, tacito ſexu. Priore ſtupente ac dicente; Frater quæ loqueris fidem excedere videntur, & quo argumento probare potero, illa eſſe vera? Reſpondit puella: Hodie biennium effluxit, ex quo Angelus Domini, pendenti mihi, reſolutionis meæ diem prædixit; ſcio cui credidi, fidem ſeruaui, curſum conſummaui: de reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ: Si ea feria, qua prædixi, ante obitum meum non depoſuero officium linguæ, in ſpacio vnius miſſæ legendæ, non mihi credatis. Et adiecit: cum defunctus fuero, apparebit in me, vnde ſtupeatis. His dictis, quarta feria hebdomadæ paſchalis XII. Calendas Maij, Anno Domini, milleſimo centeſimo, octogeſimo octauo, ſole tendente ad occaſum, ſancta illa anima, de corpore Virgineo egreſſa, migrauit ad Dominum. Percuſſa tabula, cum tàm Abbas, quàm cæteri fratres, ad eius exequias conuolaſſent, & corpore exportato ad lauandum, detectum fuiſſet, ſexus fœmineus apparuit. Tunc omnibus in ſtuporem verſis, miraculi nouitate, nunciatum eſt, Sacerdoti, commendationes legenti, qui cognito ſexu, textum mutauit, & pro monacho monacham, pro fratre ſororem nominauit. Poſtea cum breuia pro ea ſcribenda eſſent, & nomen eius ignorarent, ſub tali forma ſcripta ſunt. XII. Calendas Maij, obijt ancilla Chriſti in Sconauia. Elapſis aliquot diebus, cum fratres nomen illius beatæ ſcire deſiderarent, miſerunt in viciniam Coloniæ, vnde ſe oriundam dixerat, & cum ſtudioſe circumquaq; de eius cognatione inueſtigarent, nutu diuino inuenta eſt, quædam anus, quæ ſe eius cognatam fuiſſe diceret, aſſerens eam Hildegundem vocatam. Cum ante hos annos conſecraretur nouum oratorium in Sconauia, ex diuerſis Prouincijs ad dedicationem, populi confluentes, & prædictas, beatæ Hildegundis virtutes audientes, tumulum eius frequentauerunt, matronæ maximè, Sanctis eius orationibus ſe commendantes, Deumq; ſuper tantis mirabilibus glorificantes. Et nos fratres cum illis gratias referamus, Saluatori noſtro, qui hæc fieri voluit noſtris temporibus in ordine noſtro, ad gloriam ſuam, & ædificationem noſtram, qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto, in ſæcula ſæculorum Amen. Hæc ad longum Cæſarius, cuius verba attexere placuit, ne quis hiſtoriæ tàm mirabili, fidem abrogaret, in qua fere tot Angeli Cuſtodis Beneficia, quot ſententiæ continen-

Sub mortē, confeſſario aperit, mirabilem vitæ ſuæ cataſtrophen.

Obitus horam prædicit.

Migrat ad Dominum.

Sexus fœmineus deprehenditur.

Digitized by Google

Angelica beneficia Hildegundi exhibita.

continentur. *Angelus Custos*, Hildegundem, defuncto Patre, in peculiarem tutelam ſuam, in tranſmarinis partibus ignotam, & linguæ ignaram, ſuſcepit, fouit, aluit, & conſeruauit. *Angelus Custos*, Patronum, nobi-
1. lem virum ei procurauit, qui pupillam aſſumeret, & ſecum in Germani-
2. am è Palæſtina reduceret, ac tranſportari curaret. *Angelus Custos* eam,
3. per ſacerdotem, cui peccata detexerat, in iudicio defendit. *An-*
4. *gelus Custos*, eius innocentiam, candenti ferro probauit. *Angelus Custos*,
5. 6. ſuſpenſam in patibulo, ne laquei ſentiret anguſtias, ſuſtentauit. *Angelus*
7. *Custos*, procul diſſitæ, ex Angelico cantu, ſororis ſuæ Agnetis, obitum
manifeſtauit. *Angelus Custos*, eam de patibulo placidiſſimè dimiſit, & in
8. pedes, viuam & incolumem, ſtitit. *Angelus Custos* in momento eam cum
9. literis Veronam, ſeptem dierum itinere, tranſportauit. *Angelus Custos* in-
ter viros, in tot itineribus conſtitutam, inter Religioſos, illibatam virgi-
10. nem conſeruauit. *Angelus Custos* biennio ante mortem, huius vitæ finem,
11. virgini prædixit. *Angelus Custos*, eam haud dubiè ad cæleſtia regna tan-
dem euexit, vbi virtutum ſuarum præmio, in æterna beatitate per-
12. fruens, iucundiſſimè lætatur. Affirmo, quod ſentio, videntur mihi in hac vnica virgine, priſca, veteris & noui Teſtamenti miracula renouata: Quis non videt, eam inſtar Abacuc in momento, ad diſtantiſſimum locum translatam? Quis non intelligit, eam inſtar Eliſæi, quæ alibi fierent cognouiſſe, cum Angelus ei ſororis obitum manifeſtârit? Vidit S. Benedictus abſens vt præſens, ſororem ſuam Scholaſticam, columbæ inſtar, cæli ſecreta penetrare. Vidit S. Seuerinus Coloniæ poſitus, animam S. Martini, inter Angelorum melodias, in cælum eleuari: nec illa ſingulari hac gratia fuit deſtituta: Angelus Domini tres pueros, in media fornace, ab ignis exuſtione liberauit: Et illa per Angelum ignis vredine ſuſpenſa, candens ferrum manibus illæſis, tractauit: Gloriatur S. Iudith: *Viuit Dominus, quia cuſtodiuit me Angelus eius, nec permiſit me, ancillam ſuam coinquinari*: Et ipſa inſignem hanc gratiam virginitatis, inter tot pericula ſeruatæ, cum gratiarum actione, Deo in acceptis referre potuiſſet. E quibus omnibus & multis alijs, in hanc vnicam virginem, collatis donis, Angelicæ tutelæ certitudo, non ſolum roboratur, ſed & nos omnes fideles Chriſtiani, ad ſimilia beneficia, per ſanctos Cuſtodes noſtros, ſperanda erigimur & animamur, atteſtante S. Hieronymo: *Angeli ſancti ad Dei ſeruos iugiter mittuntur & per eorum manus, non ſolum à periculis eripiuntur, ſed & quæcunque neceſſaria, crebrius eis adminiſtrantur.*

Veteris & noui Teſtamẽti miracula in hac virgine quodammodo renouata. *Daniel. 14.* *Lib 2. Dial. cap. 34.* *Seuerus Sulpit. Epiſt. ad Baſiliam.* *Daniel. 3.* *Iudith. 13.* *Lib. 1. de vitis Patrum. in vita S. Pachomij c. 5*

Nos itaque tibi, *O potentiſſime hominum & Angelorum Creator*, immenſas grates, ex corde agimus, qui Angelos ad ſeruitutem tuam, præcipuè conditos, noſtræ nihilominus imbecillitatis ſuſtentatores eſſe voluiſti.

Illud

Digitized by Google

Illud autem, quàm obnixiſſimè rogamus, da vt eos, debita reuerentia, in omni loco ſuſpicientes, vti par eſt, veneremur, & eorum fideli manu ductu, ad faciei tuę contemplationem, ęuiternam, merito ſanguinis & Vulnerum vnigeniti Filij tui, feliciſſimè perueniamus. Amen.

SERMO II.

Diſcrimen inter homines & Angelos, & aliquot cauſæ, ob quas ſancti Angeli, poſt ſacroſanctam virginem Deiparam, omnium maximè colendi.

Ipſi enim ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Hebr. 1.

VVlgò dictitare ſolemus: Ein dienſt iſt deß andern werth: Obſequium tibi præſtitum, alio viciſſim obſequio, haud immeritò compenſatur; idque potiſſimum habet locum, vbi beneficium impendens, ſummam obtinet dignitatem, & accipiens è contra, infimi ordinis eſt homuncio, vilis & abiectus. Nulla planè, vt verum fatear, eſt proportio, inter Angelicorum ſpirituum excellentiſſimam ſublimitatem, noſtramque vilitatem: Tàm nihilominus, erga nos ſunt liberales, tàm benefici, vt omni momento, plenis riuis & alueis, dona & auxilia ſua, in nos largiſſimè effundant. Meritiſſimo itaque iure, in deprædicanda eorũ beneficentia, ſingulariq; erga nos Clementia, vlterius occupamur. Et hac quidem vice, quantopere nos homines ab Angelis differamus, quantoq; diſcrimine & interuallo ſecernamur, primùm declarabo: Deinde indicabo, cur ſancti Angeli, poſt virginem Deiparam, Angelorum Reginam, à nobis præcipua pietate colendi, Fauete, ô ſancti Angeli Cuſtodes, honori veſtro, vt vnde gloria Dei Creatoris quæritur, nos animarum noſtrarum lucra exinde reportemus: Vos enim eſtis *adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

Eſt equidem verum, vtramque rationalem Naturam, tàm carnis expertem Angelicam, quàm corporeæ molis ergaſtulo, velut incluſam, ad Dei Creatoris laudem atq; ſeruitium, eſſe productam, & ad æternam demùm beatitudinem, ordinatam: Humanam nihilominus Angelis inferiorem eſſe, Dauid hominis dignitatem, propter quem cælum, terram, Elementa omnia, Creaturas omnes, tàm animatas, quàm inanimatas, à Deo conditas eſſe, fatetur, admirabundus expendens, inter alia, vehe- I. Angeli & hominis diſcrimen.

 menti

Pſal. 8. menti ſtupore commotus, in hæc verba erumpit: *Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum quidem, paulò minus ab Angelis* nihilominus *gloria & honore coronaſti eum,* quando Angelorum tuorum cuſtodiæ, commendaſti, *& conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum,* omneſque Creaturas, ei ſubiecisti, vt in omnibus & ſingulis, te quærat, perueſtiget, inueniat, te glorificet, tibi ſeruiens, tandem ad Angelorum conſortia, perueniat, diuinamque faciem tuam, iugiter contempletur. *Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam,* alloquor vos, verbis S. Leonis Papæ, *& diuinæ, immò & Angelicæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem, degeneri conuerſatione redire.*

Serm. 1. de Nat. Dom.

I. Diſcrimē, Angelus Filius Regis, Homo miles.

Vis porrò videre, quantum diſcrimen, hominem inter & Angelum, mutuò collatos, intercurrat? *Angelus* velut Filius, in arce Regia, id eſt in cælo natus & educatus Rex eſt, & verus Regni cæleſtis Princeps, & Hæres, nunquam contra Patrem Regem, aliquid deliquit, nihil ei diſplicens admiſit: Maieſtatem eius nunquam læſit, aut offendit. Quid *Homo?* Natura ex Adamo propagata, *Filius iræ*, ignobili origine, quoad corpus, in vtero matris formatum, licet anima imagine Diuinitatis inſignita, & per Baptiſmum renouata, & à peccatis, in Chriſti ſanguine emundata, ſit præditus, non tamen, ſine ingenti labore, ſine aſſiduo certamine, periculoſiſſimaq; lucta, continuis miſerijs & ærumnis, perpetuo labore ac ſudore, Dei fauorem, & cæleſte Regnum, quærere cogitur, & emereri: Quinimò, niſi poſt longos, vitæ mortalis dolores, ærumnas & miſerias, finis optimus, omnem anteactam vitam coronet, omnia fruſtra tulit & fecit: omnia ſine remuneratione eſt perpeſſus. Annon iſthic deprehendis, Angelis, vt Regis morigeris Filijs hominibus, vt Regis militibus, obtenta victoria, Regnum cælorum, obtingere & conferri? *Non enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*, *& qui perſeuerauerit vſque ad finem. Ipſi enim ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

Homo Filius iræ.

Sine ſine bono fruſtra certat.

2. Tim. 2.

II. Incolunt arcem Cæli nos corporis ergaſtulum.

Angeli excelſiſſimam, & ab omni hoſte ſecuram, cæli arcem, inhabitant: Nos Exules Paradiſi, in corpore, velut vliginoſo ſordidoq; vicuIo, ac pago degimus, & tamen genus & proauos, & palatia noſtra iactamus. Intuere corpuſculum tuum, ô homo: Annon animam corpori Deus ſic affixit, vt ſuum illa carcerem, perpetuò circumferat, miſerè compedita? E contra verò; annon Angelus è cælo in terram, è terra in cælum, & quaquà vult, liberrimè, & in momento, mira velocitate commeat? Annon Angeli ſubſtantia nobiliſſima eſt, Et tu ex dimidia parte, quę eſt corpus, merum lutum, ſed artificioſè compactum? Quid plura? Angelus ab omni

omni tabe immunis, nullum corruptioni mortis, pendit vectigal: At tu ô Homo; dic putredini, *Pater meus es: Mater mea & ſoror mea vermibus*, qui te gratiſſimum epulum, expectant. Quid aliud quam ſola ſpes te alit, cum *mortale* tuum corpus *induerit immortalitatem*, tum tandem te talem, quales modo ſunt Angeli euaſurum? Et nihilominus ecce, Angeli ſancti te longè digniores, *ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* *Iob.17.* *1.Cor.15.*

Angeli ſuo Nectare & Ambroſia in cælo, gaudijs nunquam deſituris, ſuauiſſime perfruuntur; Nam vt Pſalmographus vates aſſerit: *Inebriabuntur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potantur:* Tu *in ſudore vultus tui, veſceris pane tuo*, Regio vate, ad Deum ſuſpirante & ingemiſcente: *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis in lachrymis in menſura*; & ita fit, quod Eſaias Propheta prædicit: *Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem*; Nam etiamſi gulæ delitijs, non rarò affluamus, morborum tamen moleſtiæ, & cruciatus, è nimia ciborum ingluuie, & potus ingurgitatione, prodeuntes, dolorum acerbitates, minimè adæquant, vt vel ex hoc capite, Angeli ſint nobis longè præſtantiores. Et nihilominus *ſunt adminiſtratorij ſpiritus, miſſi in miniſteriũ eorum, qui hæreditatem capiũt ſalutis.* *III. Angelorum Cibus.* *Pſal.35.* *Eſai.30.*

Angelicus intellectus, vnico intuitu, altiſſima quæq; cæleſtium arcanorum Myſteria peruidet, omnia penetrat & apprehendit: quid nos rudes ſcioli, qui vnum ex alio colligimus, nec ſine tædio, & moroſè ratiocinamur? Adeò anguſti oris eſt mens noſtra, vt ſi quid pluſculum ſublimius occurrat, id ei guttatim ſit inſtillandum. Terra cælo comparata, verè punctum eſt: Homo Seraphino collatus, formica eſt: Theologorum eruditiſſimi ac ſubtiliſſimi, infimi Angeli intuitu, ſunt pueri balbutientes: Multa ſcrutamur & indagamus, & nec ea quidem penetramus cogitando, quæ oculos incurrunt; Et quomodo recondita illa cæli arcana, rimando capiemus? terrena non intelligimus, cæleſtia quomodo arctiſſimis, cerebri noſtri loculamentis, includemus? *Cunctæ res difficiles*, inquit Sapiens, *non poteſt eaſdem homo explicare ſermone:* & nihilominus, blanda & ſuaui cæcitate, noſmetipſos fallimus, & crebro vaniſſimas coniecturas, pro ſummis ſcientijs veneramur. Longè penetrantiori acumine intellectus, vigent Angeli, nihil eſt proinde, quod illos fugiat & fallat. Et nihilominus, *ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* *IV. Angelicus intellectus omnia penetrat.* *Ioan.3.* *Eccl.11.*

Angeli voluntas efficaciſſima eſt; memoria tenaciſſima; Iudicium & Electio rerũ planè immobilis & inconcuſſa. Sed quid nos, in hac parte: Infantulo ſum⁹ rudiores, vertumno incõſtantiores. Male iudicamus, peius eligimus, peſſimè operamur. Equum pro fiſtula, aureum nummum *V. Angelica voluntas efficaciſſima. ſimilia.*

pro nuce commutare, in lucro ponimus: Caduca æternis anteferre, conſultam, & facilem iacturam, cenſemus. *Velle noſtrum inſtabile eſt, vult enim, & non vult piger.* Memoria noſtra in retinendo quod bonum & ſalubre eſt, cribro magis perfluit: in obſeruando quod malum, & peruerſum eſt, chalybis aut ſilicis ſculptura, tenacior: Quoties enim, à ſacro Confeſſionis tribunali, vix recedimus, & eiurata ſcelera, mox repetimus? Iam peccaſſe dolemus, mox iterum hilariter peccamus: Iam nos coram Deo excuſamus, & ſcelera deteſtamur, mox noſtrimet obliti, *canes ad vomitum, ſues ad volutabrum luti* redimus, vt verè dixerit S. Iohannes Chryſoſtom. *Accuſare ſe, nec ſe tamen emendare, eſt Deum, ad ſumendum de ſe ſupplicium, incitare.* Quanta inter nos & Angelos diſtantia? Et hi tamen *ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

Prou. 33. *2. Petr. 2.* *Homil. 3 ad pop. Antiochenum.*

VI. Angelica fortitudo & potentia.

Angelorum Fortitudo, noſtræ imbecillitatis reſpectu, tanta eſt, vt ipſi gigantes cenſendi ſint, nos imbecilles & paruuli pumiliones Stellis & orbibus cœleſtibus, imperant, Angeli, & admiranda facillimè patrant. Ventos, pluuias, niues, frigora, tempeſtates, fulmina, tonitrua, coruſcationes, chaſmata, & alias aëris impreſſiones, momento producunt, flumina ſiſtunt, fontes exiccant, montes diſſipant, ſydera extinguunt, Elementa immutant, formoſiſſimum corpus ex aëre, in puncto efformant, & æquè celeriter, in auras diſſoluunt. Claues habent ad omnes ſeras, & repagula, incredibili celeritate aperienda. Ceſſo omnia commemorare. Vnicus Angelus ſummum Cœlum, tot millibus annorum, velut per ocium circumducit, rotatu tàm celeri, vt Sol vnica hora 260000. ducenta ſexaginta milliaria Germanica conficiat. Et hic ſupremi cæli, quod eſt primum Mobile, curſus eſt ac motus, ab Angelo ei impreſſus. O lacertoſa brachia, quæ tantam molem, tanta velocitate, ſine omni difficultate rotando, circumgyrare valent. Abſit, ô Sancte Angele, abſit, vt nos tuam contra potentiam eleuemus, dicendum nobis foret, cum Sancto Iob: *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris.* En tàm potentes, tantaq; virium neruoſitate pollentes, Spiritus, ad noſtram cuſtodiam deputari, non erubeſcunt; Sunt enim *adminiſtratorij ſpiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt æternæ ſalutis.*

Iob. 13.

VII. Pulchritudo Angelica. *Ezech. 28.*

Angelorum denique pulchritudo, tanta eſt, vt eam humana mens, ne quidem procul & à longè, attingat. Eorum ſingulis quadrat illud Ezechielis: *Tu ſignaculum ſimilitudinis Dei, plenus ſapientia, perfectus decore, in delitijs Paradiſi Dei.* Hoc illi: Quis tu, ô Homo? quæ nam formæ tuæ venuſtas? quam facilè, vel leuiſſima febricula, purpuriſſo rubicundulas genas

genas decolorat? Quàm citò, omnem oris ac faciei, purpuram cæreo lurore, morbus aliquis deſædat? Veniant formoſiſſimi Adonides, accedant laudatiſſimæ Helenæ, ſiſtant ſe Saræ & Rebeccæ, ſiſtant ſe Rachaëles, Heſther & Iudith, Abiſag & Berſabęa, conferant humanas elegantias omnes, in vnum eundemq; aceruum, & ex ijs, vnica & ſola venuſtas conflecur, Quid inde? pro certo compertum habeto, nondum ſat erit digna, quæ infimi Angeli pulchritudini, vel in minimo adæquetur. Nitet equidem aurichalcum; ſed quam illud exiguæ dignitatis eſt, auro collatum? Angelorum autem pulchritudini, cum hominum forma minus conuenit, quàm auro cum aurichalco, vt neque iſthic inter hominem & Angelum, proportio reperiatur. Quanta igitur gratia, tui Conditoris, qui tàm præſtantes, tàm perſpicaces, tàm potentes, tàm venuſtas ac formoſas creaturas, ad ſeruitium tuum deputauit? Ipſi enim *ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Agnoſce, ô miſer homo, tàm illuſtre beneficium, & creatori nō eſto ingratus.

Reſpectu Angeli homo eſt Orichalcum auro collatum.

Sed cur ſancti Angeli, præ alijs ſanctis Ciuibus, & Domeſticis Dei, potiſſimum colendi ac venerandi? Occurrunt innumerabiles propemodum cauſæ, & rationes, ſed pauciores delibando, breuiter perſtringo. Venerandi præ alijs Sanctis Angeli, quia plena eſt vtriuſque Teſtamenti ſcriptura, eorum Elogijs, & innumera hominibus, in varijs caſibus præſtita beneficia, à Spiritu ſancto paſſim commemorantur. Quod ſi gratitudinis iure, magnum aliquem benefactorem tuum reuereri, & omni obſequiorum genere, proſequi teneris: Quanto magis Angelos ſanctos, qui te tot ſibi beneficijs, quotidie obſtringunt?

II. Cauſæ cur colendi præ alijs ſanctorum ordinibus, Angeli?

I. Eorum encomia & beneficia, tota ſcriptura deprædicat.

Venerandi præ alijs Sanctis, Angeli, præcipuè tutelares, nam ad miniſteria tua, peculiariter ſunt deputati: In Principis aula ſi diuertiſſes, cuius præcipui officiales, atque Conſiliarij, tibi quam accuratiſſimè inſeruirent, & de omnibus neceſſarijs, affluentiſſimè prouiderent; nonne ipſorum beneuolentiæ, tanto lubentius, mutuæ viciſſitudinis compenſatione, reſponſurus eſſes, quanto illi apud Principem, maiori authoritate præualent & præcellunt? Quid ni ſanctos Angelos, Cæleſtis aulæ miniſtros, omni conatu venereris, qui tot ſuis officijs, ac meritis te præueniunt, vt ſalutem tuam, ſartam, tectamq; conſeruent?

II. Ad miniſterium tuũ conducti.

Simile.

Venerandi præ alijs cælitibus Angeli ſancti, quia cum eorum numerus ſoli Deo perſpectus, ſit infinitus, aſſerente Propheta: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia, aſſiſtebant ei,* vnde S. Iob interrogat: *Nunquid eſt numerus militum eius*? Hinc eos impenſius honorando, & eorum, tàm multiplicia beneficia, gratæ mentis intimatione perſoluendo, innumerabiles cæleſtis Hierarchię Principes amicos tibi conciliabis.

III. Numerus amicorũ infinitus.

Dan. 7.

Iob. 25.

BIBLIOTECA ... ROMA ...

Digitized by Google

Simile. Noſti quam cupidè mundani homines magnorum Principum gratiam, & fauorem ambire ſoleant ac prenſare, à quibus promotionem, ſicubi opus eſt, conſequi ſperant? Tantò magis captanda, & venanda eſt amicitia Sanctorum Angelorum, quanto illi nobis conſeruis ſuis, ad benefaciendum ſunt procliuiores.

IV. Vices Dei agunt. Exod. 23. Pſal. 33. Venerandi præ alijs Domeſticis Dei, Angeli ſancti, qui tàm in priſca, quam in noua lege Deum repræſentant, & eius vices obeunt, dum diuina iuſſa, hominibus aperiunt, & exequuntur: Hinc Dei vox: *Ecce mittam Angelũ meũ*: *Præcedet te Angelus meus.* Hinc Dauid affirmat: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Quod ſi legatus Regis, eodẽ honore præueniretur, quem Rex ipſe, ſi præſens eſſet, acciperet, facile æſtimatu, S. Angelos, omni honore ac veneratione, à nobis afficiendos.

V. Nobis beneuolentiſſimi. Simile. Venerandi præ alijs Dei amicis, ſancti Angeli, quia nobis beneuolentiſſimi ſunt, & impenſiſſimè nos diligunt; Idq; vnum omnibus officijs agunt, vt breui eis, quam ſimillimi efficiamur, & inter eorum Choros, accenſeamur. Si itaq; amicum, tibi adeò propenſum, qui nihil aliud, quã bonum tuum quærit, & te modis omnibus exaltatum cupit, merito in precio habes, & magni æſtimas, eodem ſanè, immò longè arctiori debito, ſanctis Angelis, extra vllam æquiparationem, obligaris.

VI. Centena millia Patronorum nobis comparamus. Simile. Venerandi præ alijs, cæleſtis patriæ incolis, Angeli ſancti: Nam vnico venerationis actu, innumera centena millia, beatiſſimorum Spirituum, ita tibi obſtringis, vt in omni neceſſitate tua, tibi apud Deum patrocinentur. Quod ſi cauſam in iudicio dubiam, ſi non periculoſam dicens, tanta ſollicitudine Patronos & Aduocatos quæritas, tantum in eos pecuniæ profundis, ignorans adhuc, quàm fideliter partes tuas ſint acturi, quàm te ſtrenuè defenſuri, an aliquid, vel nihil prorſus obtenturi: quantò efficacius ſuſpiciendi, & gratæ mentis recognitione extollendi ſancti Angeli, tàm benigni ad amandum, tàm proni ad opitulandum, tàm apud Deum grati, ad exorandum, tàm potentes ad impetrandum? Ipſi enim *ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

VII. Excubitores & vigiles noſtri. Simile. Venerandi præ alijs, æternæ illius Patriæ, inquilinis, Angeli ſancti; Nam vt experientia teſtatur, aſsiduas circa nos excubias agunt, interdiu noctuque contra Dæmones dimicant, ne quæ nobis, omni momento, corporis & animæ mala, intentant, ac machinantur, effectui dare valeant, ſed omnem eorum perniciem à nobis auertant. Gratum ei te exhibes, qui lethale à te periculum propulſat, qui te contra potentiſsimum hoſtem tuetur: Eſto gratior Angelicis Spiritibus Angelis tuis Cuſtodibus, qui omnia Principis tenebrarum, molimina, à te profligant, & contra

Digitized by Google

tra corporis & animæ pericula, te ſaluum & incolumem, conſeruat. Verum enim verò fit nobis, quod B. Petrus Chryſologus meritò arguit & reprehendit: *Quotidie illos ad noſtram cuſtodiã deputatos offendimus, & offenſam negligentia cumulamus. Ipſi autem licet frequenter à nobis iniurias patiantur, ſuſtinent tamen & compatiuntur peccantibus: nec minor illorum circa nos cuſtodia: immò maior ſollicitudo, cum boni cuſtodis ſit, infirmis magis, quàm ſanis operam exhibere: ſunt quippe adminiſtratorij Spiritus in miniſterium noſtrum miſſi vt hæreditatem æternæ ſalutis capiamus.* *Serm. de exaltatione S. Crucis.*

Venerandi præ alijs omnibus Diuis, Angeli ſancti: Non ſolum enim, plusquam paterno, imò Materno amore, nos diligunt, verum etiam noſtri ſunt Magiſtri & Pædagogi, ſunt noſtri Doctores, ac Profeſſores, qui nos in ſcientijs ſpeculatiuis & practicis inſtruunt, qui nos in ſapientia cæleſti, informant, qui noſtram ignorantiam illuminant, ne à ſcopo ſalutis aberramus, ſunt noſtri viæ Duces, ac Ductores, *dirigentes pedes noſtros* omni tempore *in viam pacis*, in ſemitam ęternę ſalutis; dummodò illis promptè obſequamur, & eorum veſtigia, preſſo pede conſectemur. Quod ſi Ariſtotele exigente, *Parentibus & Præceptoribus, nõ poteſt reddi æquiualens*, vt illis promeritũ Mineruał exſoluatur; Expende ô anima Chriſtiana, quid adeò innumera Sanctorum Angelorum beneficia, quibus te quotidie vbertim accumulant, à te flagitent & requirãt, cũ ſint adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium tuum, vt æternæ ſalutis hæreditatem accipias? *VIII. Pædagogi, Magiſtri, viæ Duces.* *Luc. 1.* *In politicis.*

Illam ipſam, Sanctorum Angelorum, in omni neceſſitate opem atq; defenſionem, indicauit Eliſæus Propheta, famulum ſuum, Regis Syriæ Exercitum, expaueſcentem, conſolans: *Noli timere*, inquit, *plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis*; qui diſpenſatione diuina illuminatus, montem plenum curruum & Equorum, in circuitu Eliſæi, eſt conſpicatus, legiones nimirum, cæleſtium militum, qui ad defenſionem illorum, deſuper aduolarant. Vnde anima tua, ô Chriſtiane, tàm fida ſocietate cincta, non eſt quod metuat, ab hoſte illo, *Dæmonio meridiano, ac timore Nocturno* infeſtari: Nam eam Sponſus affatur: *Equitatui meo, in curribus Pharaonis, aſſimilaui te, amica mea*, in quæ verba S. Bernardus: *Anima nunquam eſt ſine Angelorum cuſtodia, & ne dixeris in corde tuo, vbi ſunt? Quis eos vidit; vidit eos Eliſæus Propheta, & fecit orando, vt etiam videret Giezi: Tu non vides, quia non es Propheta, neque puer Prophetæ: Vidit Patriarcha Iacob & ait: Caſtra Dei ſunt hæc: Vidit & Doctor gentium, qui dicebat: Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus: Ergo Angelicis ſuffulta miniſterijs, & ſuperno ſtipata agmine Sponſa incedens ſimilis, eſt Equitatui Domini:* Sed quo pacto Equitatui Domini ſimilis, cum Dominus, Exercitum Pharaonis, non Equitatu, ſed fluctibus maris rubri, apprehendit? reſpon- *IX. Angelorum defenſio è ſcripturis & Patribus probata.* *4. Reg. 9.* *Pſalm. 90.* *Serm. 34 in Cantica.*

Orat. 5. in Cant.
Abacuc. 3.

reſpondet S. Gregorius Nyſſænus: *Equitatum Domini, non niſi exercitum Angelorum arbitramur, de quo vates ille: Aſcendens in Equos tuos, & Equitatus tuus ſaluatio.* Sic S. Hieronymus, explicat Eſaiæ Prophetiam: *Adducent fratres veſtros, de cunctis gentibus in Equis, & in quadrigis, & in lecticis, ad montem ſanctum meum: Diuerſi generis vehicula,* inquiens, *miniſteria intelliguntur Angelica. His equis & curribus, Elias raptus eſt, & Eliſæus ſe ſeruari, puero demonſtrauit. Et Zacharias vidit in nocte Equos rufos, nigros varios, albos & dixit: Qui ſunt iſti Domine mi? Et ait Angelus: Iſti ſunt quos miſit Dominus vt perambulent terram, vt hominibus in neceſſitatibus ſuccurrant, & contra infernales, malignorum hoſtium inſultus tueantur, cum ſint adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Hæc S. Patres Angelicam tutelam præconizantes.

X. Teſtimonium Hæreticorum.

Quin etiam, quod me magis conuincit, ipſimet Hæreſiarchæ, Caluinus & Lutherus, tametſi alicubi negent, ſanctos Angelos eſſe venerandos, & inuocandos, vi tamen veritatis adacti, alibi expreſſe idipſum concedunt, & licite ac pie fieri, ſuos condocent aſſeclas, & auditores. Inprimis Caluinus, cuius hæc verba: *Angeli poſſunt inuocari, vt cauſidici & Patroni noſtri.* Veritas cogit te ô Caluine, vt verum fatearis, quod aliàs rotundo pernegaſti: Stat enim Apoſtoli verbum: Ipſi *ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

Lib. 3. Inſtit. cap. 20 §. 23

III. Hiſtoriæ.
I. Eius vita. cap 9.
S Franciſci deuotio erga S. Angelos.

Vtinam, ô dilecti mei auditores, vos omnes, eadem pietate atq; deuotione, erga ſanctos Angelos inflammare poſſim, qua mirandum in modum ardebat S. Franciſcus, de quo iſta S. Bonauentura: *Angelicis Spiritibus ardentibus igne mirifico, ad excedendum in Deum, & animas electorum inflammandas, inſeparabilis erat amoris vinculo copulatus B. Franciſcus Aſſiſias, & ob deuotionem ipſorum, ab Aſſumptione Virginis glorioſæ, quadraginta diebus ieiunans, orationi iugiter inſiſtebat. Beato autem Michaeli Archangelo, eò quod animarum præſentandarum haberet officium, ſpirituali erat amore deuotior, propter feruidum, quem habebat zelum, ad ſalutem omnium ſaluandorum.*

II. Franciſcus de Sales Epiſc Genuenſis de vita piè inſtituenda. cap 16
P. Petri Fabri deuotio erga S. Angelos.

Eadem erga ſanctos Angelos deuotione, mirificè affectus erat, *Petrus Faber*, vnus è primis ſocijs, ſancti Patris Ignatij, Patriarchæ Societatis Ieſu, cui moris erat, quotieſcunque locum aliquem, aut Paræciam, licet hæreſeos lepra infectam, atque contaminatam, viator pertranſiret, omnium locorum Præſides & tutelares Angelos, diligentiſſimè ſalutare, & animas incolarum, Patrocinio illorum, accuratiſſimè commendare; Senſitque ex hac Angelorum veneratione, ſe non ſolùm omnes Hæreticorum inſidias, feliciter declinaſſe, verùm etiam, ſeductas plurimorum animas, ad ſalutaris doctrinæ perceptionem, longè capaciores euaſiſſe. Adeò nempe compertum eſt, Sanctorum Angelorum honorem, nunquam

Digitized by Google

quam incaſſum cecidiſſe: *Ipſi enim ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, & Angelorum Choris inſerti, Luciferi & complicum eius ruinas implebunt, ac cæleſtem illam Hierarchiam reſtaurabunt.

Vti porrò omni hominum generi ſumma obſeruantia colendi ſunt Angeli ſancti; Ita præcipuè Imperatoribus, Regibus, & Monarchis huius mundi, ſtudium iſtud, Chriſtianæ pietatis incumbit: nam fidam eorum tutelam, incredibili ſolertia obeunt, & ſi quandoque aberrent, à veritatis ſcopo, ad frugem reducere contendunt. Exemplo ſit, Ludouicus Imperator, cuius temporibus Sanctorum Martyrum Petri & Marcellini corpora in Germaniam ſunt tanslata. Memorat enim Einhardus inter alia miracula, quæ per illorum reliquias patrata ſunt, cæcum à natiuitate, Albricum nomine apparente ſibi S. Marcellino, illuminatum, & ab alijs inſuper morbis integerrimè percuratum; qui cum biennio integro, à Sanctis illis Reliquijs non diſceſſiſſet, Angelus Domini in ſpecie S. Marcellini ei apparuit, & ſecreta quædam, Ludouico Imperatori patefacienda manifeſtauit. rei ſeriem verbis hiſce deſcribit Einhardus: *Ante paucos dies cum in Eccleſiam ad agendum nocturnum officium, ex more conueniſſemus, adijt me cæcus ille quem noſtis, rogans, vt in partem aliquam ſecretiorem cum illo ſecederem. Feci vt volebat, & cum eo cellulam in qua quieſcere ſolebam, ingreſſus ſum. Tunc ille prius: hac inquit nocte paulò ante quàm ſono ſignorum excitati ſurgeremus, apparuit mihi per viſum, quidam vir, canitie venerabilis, veſte candida indutus, virgam auream manu tenens, ac talibus me verbis compellauit. Vide inquit Albrice vt cuncta quæ dixero tibi, bene intelligas, eaque adeò tenaci memoria retineas, vt etiam aliis qui ea ſcripturi ſunt, exponere valeas: Volo enim vt ſcribantur, & Ludouico Imperatori, ad legendum, per ſeniorem veſtrum oſtendantur, ſunt quippe valde neceſſaria non ſolum ad agnoſcendum, verum etiam ad faciendum Principi, in cuius regnum, iſti Martyres diuina iuſſione venerunt. Tunc incipiens duodena vel eò amplius capitula per ordinem pronunciauit, mihique præcepit, vt tibi & aliis, quatuor, quos tibi dicturus ſum, illa exponam. Et poſt hæc tu libellum facias, eumque ſeniori tuo, qui nunc in palatio moratur, deferas, eique ex Martyrum auctoritate præcipias, vt eum, quantò celerius offerat Imperatori. Deinde ſubiungens, noſti, me inquit, quis ego ſim qui tibi iſta præcipio? Tum ego nihil hæſitans, S. Marcellinum eſſe reſpondi. Et ille: Non ita eſt vt opinaris. ſed Gabriel Archangelus, ego ſum, perſonamque ac formam Marcellini ideo aſſumpſi, quia Dominus Deus, rerum & cauſarum, ad iſtos Martyres pertinentium, mihi curam commiſit. Tum ego: Nemo eſt inquam, qui mihi credat, quod Angelus mecum locutus ſit, aut me iſta nunciare mandauit. Non erit inquit ita: ſed dabo ſignum, quod facies coram eis; nec amplius dubitabunt. Proinde dic vt exhibeant tibi duos cereos*

Einhardus lib. 3. de translatione SS. Martyrum Petri & Marcellini cap. 11. & 12. apud Baron Tom. 9. An. 827.

S. Gabrielis Archangeli ſolicitudo pro Ludouico Caſare.

nouos, qui nondum accenſi fuêre; ſtans coram altari, vnum in dextra, alterum in ſiniſtra tene, & cum quæ præcepi tibi, narrando compleueris, dic vt credant, vera eſſe & ab Angelo prolata, ſi hi cerei ſine adhibitione ignis viſibilis, fuerint illuminati & accenſi. Et ita factum eſt, in omnium conſpectu. Præmonitus eſt autem Imperator ab Angelo, vt mala illa, quæ ipſi imminebant, anteuerteret, & in iucundiam diuinã placaret. Hæc Einhardus, vnde facilè conſtabit, quæ cura ſalutis Principum inter S. Angelos vigeat, & de die in diẽ magis magiſq; effloreſcat.

Vos iſthic compello, ô ſancti Angeli Cuſtodes, *omnium Parochianorum meorum, tàm præſentium, quàm abſentium*, immò & vos tutelares Angelos, omnium huius Ciuitatis, ac Diœceſis Magiſtratuum addo omnium planè Chriſtianorum, per totum orbem, quàm latè Chriſtianiſmus ſeſe extendit, ſuſcipite Clientes veſtros, in ſingularem curam, & vigilantiam veſtram, ab omnibus corporis & animæ malis, defendite, à peſte, fame & bello præſeruate, Sanguinis effuſiones diluite, Hæreſes ac Rebelliones extinguite, errantes à via ſalutis, reducite, Sathanæ tentationes, & varia contra ſalutem noſtram, fraudulenter adinuenta molimina auertite, & omnes tandem ac ſingulos, cuſtodiæ veſtræ, à Deo concreditos, ad æternæ ſalutis portum promouete, vt per vos pariter, & illos, laudetur Deus benedictus, in ſæcula, Amen.

SERMO III.

Natura, Numerus, Qualitates & vires Sanctorum Angelorum.

Qui facis Angelos tuos Spiritus; Et Miniſtros tuos Ignem vrentem. Pſal. 103.

TAnta eſt cæleſtium Spirituum Dignitas & Poteſtas, tàm eximia, & modum omnem excellens ſublimitas, vt nullis, Angelicæ, nedum humanæ facundiæ viribus, queat explicari: Vnde tacita potius admiratione, quàm tenui orationis ſtilo, haud immeritò foret explicanda, ſiquidem *ineffabilibus Myſterijs*, S. Gregorio atteſtante, *nulla res magis, quàm ſilentium quadret.* Nihilominus tamen, cum ea, quæ in mortales affatim collocant, beneficia, iugi, aſſiduaque memoria, celebrari poſtulant, cum, quò fideliùs prædicantur, eò ſenſibiliùs, de die in diem frequentata increbeſcant, precium operæ duxi, antea quàm ad illa commemoranda, me conferam, eorum *Naturam, Qualitates, & Vires* paucis explicare, vt ipſorummet benefactorum ſtatu, & Excellentia, probè perſpectis, Beneficiorum copiam, tantò maioris æſtimemus, ac tàm munificos Tutores, vti par eſt, redamemus. Aſpirate conatibus noſtris, Angeli ſancti, & vt omnia, quæ dicturi ſumus, & audituri,

audituri, ad honorem, laudemq́; veſtram, ac noſtram inſuper ſalutem, feliciter cedant, effectum date. Et tu, ô Angelorū Creator, *qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos, ignem vrentem*, annue, gratiamq́; ſubminiſtra.

Non inſcitè ratiocinatus eſt, qui dixit: *Angelum perfectiſſimum Hominem, E contra, Hominem imperfectum Angelum eſſe*: Vis Angeli Naturam penitius inſpicere? Audi S. Ioannem Damaſcenum, accuratiſſimè deſcribentem: *Angelus, eſt eſſentia intelligens, perpetuo motu, atque arbitrij libertate prædita; corporis expers, Deo ſeruiens, naturæ immortalitatem, diuinitus conſecuta; cuius formam ſubſtantiæ ac definitionem, Creator ſolus, perſpectam & exploratam habet. Beatiſſimè viuūt, ſine omni corporea face; omnis corruptionis expertes. Summa inſuper præditi ſunt, rerum omnium notitia, & abditiſſima cognitione, excepto ſolo, cordium humanorum ſecreto: Nam vni Deo dicitur: Tu ſolus noſti corda filiorum hominum. Et quamuis arcana pectoris penetrare non poſſint, facile tamen eſt illis, è ſignis plurima rimari. Si autem ſigna deſint, Deum cuncta ſcientem, & videntem, vident, & in Deo quæcunque volunt, illis reuelantur. Patent eis vniuerſa, naturæ myſteria, nec vnum ex alio, vti nos, ratiocinando deducunt; momento, & ſimul, innumera apprehendunt. In gratia Dei firmati, Deum ſine velo, facie ad faciem, perpetuo vident. Amoris diuini pleniſſimi, voluntate Deo ſemper adhærent.* Hæc Damaſcenus, de Sanctorum Angelorum Natura.

I. Natura Angelorum
Lib. 2. Fidei orthodox. cap. 3.
I Natura Angelica pulcherrima deſcriptio.
2. Paral. 6.

Quinimò ſunt quaſi *Stellæ Matutinæ*, in medio ignorantiæ humanæ, ſplendidiſſimè collucentes. Sunt *puriſſimi Soles*, radios ſuos, vndiq; ſpargentes, & animas noſtras, in amore Dei calefacientes: Quin etiam in omni bono fæcundantes. Quod ſi ſolem beatorum quilibet ſepties auctiori ſplendore vincet; quantò magis hi proximè Deo Aulici, immenſo iubare præ beatis alijs radiabunt? Sunt *terſiſſima nitidiſſimaq́; ſpecula*, in quibus æterna Sapientia, Bonitas, Potentia & Amor, Conditoris, omni ſplendore Stellarum clarius elucent. Sunt *Lilia candidiſſima*, inter quæ cæleſtis Sponſus, *qui paſcitur inter Lilia*, ſupra omnem humanam paſcitur amænitatem. Sunt *Montes optimorum aromatum*, & mille beneficentiarum, pleniſſimi. Sunt velut *florentiſſima prata*, in quibus mille millia florum, inter quos tamen, quod obſtupeſcendum, duo eiuſdem coloris, formæ, odoris, nuſquam reperiantur, cum omnes ſpecie inter ſe diſtinguantur, vt meritò Sophronius, ad illos exclamet: *O vos omnes Angeli & Archangeli, cætus cæleſtis, corona impenetrabilis, phalanx præſtantiſſima, multitudo immenſa, Exercitus innumerus, Celſitudo inacceſſa, magnitudo incomprehenſa, Chorus incomparabilis, notitia omni indagatione ſuperior, lætitia inexplicabilis, pompa ſummè admirabilis, quantitas cogitationem omnem excedens, ſubtilitas menſuram ignorans, agilitas, cui nulla alia ſimilis, ordo infinitè multiplex, celeritas infanda, ſubſtantia quæ circumſcribi nequit,*

II. Similitudines.
1. Stellæ.
2. Soles.
3. Specula puriſſima.
4. Lilia.
Cant 2.
5. Montes aromatum.
Cant. 8.
6. Florentiſſima prata.
III Sophronij de eorum excellenti natura Teſtimonium.
Orat. de SS. *Angelorum atq; Archangelorum excellentia*

Digitized by Google

gloria mentis cogitatione comprehendi neſcia, vis omni virtute & robore maior. Vos omnium Regis eſtis adminiſtri: Vos venti & Spiritus; Vos ignis & aqua; Vos Principes & Gubernatores; vos Equi & Equites; vos Exercitus & Phalanges; vos rerum diuinarum interpretes; cuſtodes & Præſides, & Conſeruatores, & Actores; vos viæ Duces & conductores. Quibus omnibus & ſingulis Angelorum Elogijs, vt eorum Naturæ præſtantia magis illuſtretur, vix æſtimo, quicquam ſuperaddi poſſe. Sic rerum omnium Plaſmator, *fecit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem.*

II. Numerus. *Orat 38. quæ eſt Panegyrica in Chriſti Natiuitatem.* *I. Sunt innumerabiles* *Iob. 25.* *4. Reg. 19.*

Si numerum ſpectes, tantus eſt, vt ſancto Gregorio Nazianzeno aſſeuerante, mundum nouum conſtituant, qui noſtrum numero longiſſimè ſuperet & excedat: Nam vti cælum, ea omnia, quæ complectitur, amplitudine ſua concludit: Sic beati illi Cælites, vniuerſas res creatas, numero vincunt. Et hunc Angelorum numerum, nec intelligentia comprehendi, nec lingua pronunciari poſſe, diuinis ſcripturis probari poteſt. Iob interrogat: *Nunquid eſt numerus militum eius?*

II. Innumerabilitas Angelorum à ſcripturis & Patribus deducta. *Dan. 7.* *Lib. 6. in Dan.* *In Iob. c. 27.* *Pſal. 67.* *Matth 26.* *In cap. 26. Matth.* *Luc. 2.* *Hebr. 12.* *Apoc. 5.*

Spartanorum Reges ſelectiſſimorum militum trecentos Macedonum Reges, mille in corporis cuſtodiam adhibebant; Sennacherib, trecenta millia; Xerxes Perſarum Monarcha, decies centena millia in campos educebat: Sunt tamen hi numeri, hominibus numerabiles. Audi numerum militum Dei, ad calculum aliquem à Daniele vocatum: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia, aſſiſtebant ei; Non quod iſte miniſtrorum Dei numerus, infinitus ſit*, inquit S. Hieronymus, *ſed quod maiorem multitudinem, humanus ſermo, nequiuerit explicare, cum Angelorum numerus penitus innumerabilis à ſcripturis dicatur.* Adſtipulatur S. Gregorius: *Supernorum* inquit, *Ciuium, numerus, apud S. Iob infinitus eſt, & apud Danielem definitus exprimitur, vt qui Deo numerabilis eſt, hominibus innumerabilis eſſe demonſtretur:* Accedit etiam Regius Propheta, dum ait: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis.* Chriſtus porrò in monte Olìueti, præferuidum Apoſtolum Petrum cohibiturus: *An putas*, inquit, *quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim Legiones Angelorum*, qui iuxta S. Hieronymi conputum, attingunt ſeptuaginta duo millia Angelorum, à quibus, vt loquitur Albertus Magnus, *ſatis defenſus fuiſſet, ſi ſic defendi voluiſſet.* In Chriſti Natiuitate, *facta eſt*, inquit S. Lucas, *cum Angelo multitudo cæleſtis exercitus.* Paulus Apoſtolus ait: *Acceſiſtis ad Ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem, & multorum millium Angelorum frequentiam.* Ioannis Euangeliſtæ, de hoc numero, teſtimonium eſt: *Et vidi*, inquit, *& audiui vocem Angelorum multorum, in circuitu Throni, numerus eorum millia millium*: ad quid *millia millium*, niſi ad indicandum numerum, qui nequeat humanitus computari?

S. Am-

III S. Ambroſii & S. Brigittæ, de Numero eorum ſententia.

S. Ambroſius cenſet, Numerum Angelorum, nonagies nouies maiorem eſſe, omnium hominum numero, idque confirmari, in parabola ouis perditæ, vbi cæleſti Paſtor, *nonaginta nouem oues deſerit*, vt errabundam vnicam reperiat. Ita ſentit etiam S. Hilarius, Et S. Brigitta affirmat: *Tot millia millium ſeruiunt Deo, vt ſi ab Adamo primo, homines vniuerſi vſque ad vltimum numerentur, omnibus & ſingulis, plures quàm decem Cuſtodes Angeli aſſignari poſſent.* Et hoc quidem de ſolo infimo Angelorum Choro, dictum voluit. Quod ſi, quò chorus altior, tantò decies auctior, in quem Deus bone, Cherubinorum & Seraphinorum ordines numerum excreſcent? Quot autem eorum Legiones, quot Milliones ſint, nouit Rex ille, *qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Contendamus eò feliciter appellere, vbi non tantum Angelorum numerum videre, ſed & ipſorum Societati aggregati, tàm nobiles Creaturas, familiariter noſſe, & eorum conuerſatione, in æuum omne, perfrui valeamus.

In c. 14 Luc. In cap. 18. Matth. Lib. 4 Reuelat cap. 11. Pſal. 146.

IV. Maieſtas Dei in tanto numero Angelorum.

Si denique iuxta Salomonis aſſertum: *In multitudine populi, dignitas eſt Regis*, æquiſſimum prorſus, vt *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, in ampliſſimo cæli Regno, copioſiſſimam alat familiam, quam obſtupeſcens Dauid, exclamat: *Deus qui glorificatur in concilio Sanctorum, Magnus & terribilis, ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt.* nec ſine prodigio: Nam Rex terrenus, à ſua cuſtodia defenditur: Illic Rex ſuam defendit cuſtodiam. Regum noſtrorum vires, in militum multitudine conſiſtunt: Rex ille ſupernus, vires militibus elargitur: *Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem*, vt ſuo erga nos miniſterio, rite probeque perfungantur.

Prou. 14. Pſal. 88.

III. Potentia, Angelorum.

I. Incredibilis, & ſupra modum formidabilis.

Angelorum potentiam luſtrare perplacet? Tam ea eſt ineffabilis, vt ſtrages populorum rebellium, deſtructiones vrbium, tranſportationes montium, ab vno loco ad alterum, conquaſſatio terræ, detentio Sphærarum cæleſtium, aut factæ legantur, aut ab Angelis, ſine vlla illorum fatigatione, vno nutu perficiantur: Quin etiam, vel vnicus Angelus, totam terram euertere, totum mundum & omnia Elementa, in vnico momento, diſſipare, omnes homines, & animalia enecare, omnia ſaxa & petras, veluti minutiſſimum puluerem, per aërem iactare poſſet: Hinc docet S. Thomas Aquinas: *Tantum vnus Angelus poteſt, vt gubernare ſufficiat, omnes Creaturas corporeas ac Materiales, totius mundi, idque per motum localem duntaxat, tanquam omnium motuum aliorum, perfectiſſimum, operando maximè in illis, tales effectus, qui excedant vires naturales, & communiter miraculoſi reputantur, nunc per remotionem, vel debilitationem contrarij & noxij, nunc per aggregationem rerum conformium & ſimilium; atque ita multifariam*

1. parte q. 110. art. 1.

II. Deducta è ſacra ſcriptura. *riam creaturas, iuxta voluntatem Dei, quandoque lædit, quandoque defendit.* Sic in Geneſi legimus, tres Angelos, deſtruxiſſe quinque *Ciuitates Sodomæ & Gomorrhæ.* Sic legimus, vnius Angeli manu, *vnicâ nocte*, totum Regis Aſſyriorum Senacherib, Exercitum, fuiſſe conciſum. Et inſuper, qualitate aliqua venenoſa, & mortifera, quaſi inſtrumento vtendo, ſiue per ſeparationem localem, aut diſcontinuationem membrorum, animam hominis à corpore poſſunt diuidere, ac ſeparare, id quod Dæmonibus, à Deo minimè eſt conceſſum, vt apparet in S. Iob, de quo illi mandabatur: *Veruntamen animam illius ſerua*: Nam manus ipſis ligantur ab Angelis Cuſtodibus, ne nobis pro libitu officiant, & ſiue animam, ſiue corpus lædant. Eandem porrò Virtutem & Dæmones poſſident; ſed ne pro libitu exerceant, à Deo, per ſanctos Angelos cohibentur. Teſtis eſt Tobias iunior, quem cum omnes exiſtimarent, ab Aſmodæo *ipſa nocte nuptiarum*, quemadmodum, & ſeptem alij Saræ mariti, ante ipſum perierant, *ſuffocatum* iri, qui tamen illæſus euaſit. Nam Angelus Dæmonem diſpeſcuit, & irreſolubili vinculo, in deſerto alligauit. Teſtis eſt ſacerdos ille, à Zacharia conſpectus, quem Diabolus ita fœdè afflixerat, vt *atro carboni* ſimilis, videretur, nec tamen ceſſabat opprimere & accuſare, quouſque redigeretur in cinerem, niſi Angelus Domini, in auxilium eius, properaſſet, vt hoſtem coërceret. Hoſce nihilominus, tàm potentes Spiritus, Angelorum Creator, *qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem*, in cuſtodiam tuam deſtinauit, vt te contra Sathanam, vbique protegant, & quæ tibi noxia molitur, diſijciant, atq; repellant. Quanti hoc ipſum beneficij loco reponendum? En tibi Deus tuus eſt, *qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem.*

Geneſ. 19. — 4. Reg. 19. — Iob. 1. — Tobiæ 8. — Zachar. 4.

IV. Velocitas. I. Simile. Sanctorum Angelorum velocitatem noſſe deſideras? Superat Angeli motus, celeritatem Falconis in aëre, Pardi in nemore, Delphini in mari, curſum nauis flante vento, plenis velis remigantis, pernicitatem ſagittæ & fulminis; Vnde in ſacra ſcriptura volatus illis attribuitur: *Et volauit ad me vnus de Seraphin*, inquit Eſaias, quorum duos viderat, vtrumq; præditum *ſex alis*, quibus mira eorum celeritas innuebatur. Eſt etiam cum S. Thoma, Theologorum doctrina, ſi Angelus à ſpacio ſiue Sphæra, quam occupat virtute naturali, alium in locum aut ſpacium, ſiue ab Oriente in Occidentem, ſiue à ſummo cælo in terram ſe transferre cupiat, breuiſſimi tempuſculi ſpacio, id effectum dare poſſe. ſicut Propheta Abacuc ab Angelo Domini, cum prandio ſuo, quod meſſoribus allaturus erat, translatus eſt, à Iudæa in Babilonem, vt Daniel in lacu leonum eſuriens, cibaretur. *Poſuitq́; eum in Babylonem ſuper lacum leonum, in impetu Spiritus ſui.* Quin etiam, quam citò tu poſitus hîc Bambergæ, men-

Eſai. 6. — II. Admiranda celeritas Angeli. — Daniel. 13.

mente & cogitatione tua eſſe potes Norimbergæ, Auguſtæ, Romæ, in Italia, in Hiſpania, in Gallia, vel India, apud Antipodes: tàm facilè, ac tàm celeriter, tempore prorſus imperceptibili, poſſunt à ſummo cælo, in terras deſcendere, & ſe, vbicunque voluerint, quibuſcunque collibuerit, præſentes exhibere.

Neq; verò re aliqua corporali, ſiue ſit Ignis, ſiue Aqua, poſſunt impediri, in hac ſua celeritate; Nam cum Angelus Domini, Babylonicam fornacem, cui tres Hebræorum Principes, iniecti erant, ingrederetur, non ſolum à flammis nihil offenſus fuit, ſed in medijs inſuper ardoribus, ventum roris produxit, qui Iuuenes, contra Ignis æſtum, iucundiſſimè refrigeraret. Nec etiam impediuntur tenebris opacæ noctis; Nam cum Apoſtoli à Iudæis in carceres compacti eſſent, Angelus Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit: *ite & ſtantes in templo, loquimini plebi omnia verba vitæ*; Nec aliud cuiuſcunq; generis obſtaculum, nec murus quo Chinenſes à Tartaris diſterminantur, centum vlnis craſſior, eos remoratur: Nam Petro ſimiliter captiuo, idem Angelus Domini, ianuis clauſis, carcerem intrauit, portam ferreã, vi propria, ſine omni inſtrumẽto, aperuit, & saluũ, atq; illęſum Apoſtolũ, eduxit. Hoc modo Angelorũ Creator, *qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos ignẽ vrentem*, hiſce tutelaribus noſtris, tantã contulit velocitatẽ, vt omni momẽto nobis adeſſe, & in neceſſitatibus patrocinari poſſint: Annõ hęc ineffabilis gratia? Beneficiũ, nulla vnquã, grati animi ſignificatione, reponendũ?

III Nulla re poſſunt impediri.

Daniel. 13.

Actor. 5.

Actor. 12.

Sapientiam porrò, & ſcientiam Angelorum, in dubium vocas? Nihil eſt in tota rerum creaturarum Natura, quod perſpicaciſſimo & capaciſſimo intellectu ſuo, non capiant, non perfectiſsimè penetrent, & cognoſcant, vnde ob hanc intelligendi perfectionẽ *puræ mentes, & ſimplices intelligentiæ*, à Platone & Ariſtotele, appellantur: Omnes planè callent artes, quas humana induſtria vnquã excogitauit & adinuenit; ſunt optimi *Aſtrologi*, optimi *Practicantes, Prognoſtici*, qui tutius, de Anni temporibus, quàm qui Calendaria cudunt, ratiocinari poſſunt. Sunt optimi *Geometræ*, Viſierer optimi *Arithmetici*, optimi *Pictores*, optimi *Sculptores*, optimi *Ædiles*; Nihil eſt in mundo quod non norint. Sic etiam in quamcunq; rem mentis aciem intendunt, mox totam, eodem inſtanti, perfectiſsimè intuentur. Sic etiam, omnes actiones noſtræ, quæ imperio voluntatis extrorſum prodeunt, in intellectu Angeli, tanquã in lucidiſsimo ſpeculo, apparent. Et licet ſecretas cordium cogitationes nõ agnoſcant, quod ſoli ſibi Deus reſeruauit. dicente ſcriptura: *Omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentium cogitationes, intelligit.* Et Salomon orans Dominum ait: *Redde vnicuique ſecundum vias ſuas, quas noſti eum habere, in corde ſuo; Tu enim*

V. Sapientia & ſcientia rerum noſtrarum.

I. Sunt ingenio perſpicaciſſimo.

II. Norunt omnes ſcientias & artes.

III. Secreta noſtra Deo reuelante agnoſcunt.

Paral 28.

2. Paral. 6.

Hierem. 11. *Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum*; *Tu ſcrutaris corda & renes, & noſti abſcondita cordis*: *Tu probas corda & renes*, nihilominus, ſi ad noſtram cuſtodiam opus ſit, ad facilimam animarum noſtrarum directionem, *Deus in Eſſentia ſua*, tanquam in ſpeculo, in quo omnia præterita, præſentia & futura, clariſſimè relucent, eis manifeſtat. Atque ita *vident in verbo*, vt Theologi loquuntur, quidquid ad tutelam noſtram, ritè perfectiſſimèque adminiſtrandam ſpectat. Hinc vt Sapientiſſimi Spiritus, intelligunt omnes defectus & neceſſitates noſtras; Vt potentiſſimi quibuſcunque in periculis nobis opitulari poſſunt; vt velociſſimi Spiritus, opem celerrimam, ſine cunctatione, præbere poſſunt. O mira Bonitas, ô ineffabilis benignitas Conditoris, *qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem*, quos tàm variè, ad noſtram tutelam, ſalubriter obeundam, inſtruxit, diſpoſuit, præparauit.

VI. Amor. Sed quid de Amore Angelorum, erga nos miſeros mortales? Quomodo afficiuntur erga res noſtras? Num deſiderium habent, aut voluntatem, nobis ſuccurrendi? Adſtruo, pro certo, & pro comperto aſſeuero: Qui de Angelorum, erga ſibi commiſſos, amore dubitaret, potiori Iure, num ſol in die, & ſereno cælo, luceat, ambigere poſſet. Lege totum Tobiæ librum, & videbis affectum Raphaelis Archangeli, erga Seniorem & Iuniorem Tobiam, quot eos beneficijs, etiam non rogantes, aut flagitantes, vltrò ſucceſſiuè exornârit. quē ſpontanea illa beneficentia, non rapiat in admirationem? Expende pariter, Patriarchæ Iacob viſionem, *ſcalam ad cælos vſque pertingentem, & in ea deſcendentes & aſcendentes Angelos* conſpicantem: Annon pari velocitate, aſcendebant ſurſum, vbi viuentem Deum contemplabantur, dicente Chriſto: *Angeli eorum, ſemper vident faciem Patris*, qua properabant deorſum, vbi quieſcentem Iacob muniebant, in quo ipſum Deum, de ſemine Iacob aliquando naſciturum venerabantur? Vtrobique eadem celeritas, eadem Charitas, eadem promptitudo: Sufficiebat vnicus Angelus, ad defendendum Prophetam Heliſæum, contra Exercitum Regis Syriæ, Dothain obſidentem, vt Prophetam caperet, & ſecum in Syriam abreptum, trucidaret; Sed integri Angelorum Exercitus, non rogati, præſto ſunt, in eius defenſionem. Nam cum Giezi ſeruus eius manè ſurgens, vidiſſet Exercitum in circuitu ciuitatis, & equos & currus, nunciauit ei dicens: *Heu, heu Domine mi, quid faciemus?* Propheta reſpondit: *Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis*: cumque Dominus Deus ad orationem Prophetæ, oculos Giezi illuminaſſet, vidit: *Et ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Heliſæi.* quis iſte Exercitus? Sanctorum Angelorum, qui ad ſerui tutelam parati, hoſtes abigebant, & eos cæcitate percutiebant, ne Prophetam viderent.

Margin notes: I. Amoris Exempla. Tob. 3. 8. 12. — Geneſ. 28. — Matth. 18. — 4. Reg. 6.

Nec

Nec fruſtra apparent in forma ignis; Nec ſine cauſa, & abſque my- *II Cur ap-*
ſterio, ait Regius Vates: *Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & Miniſtros ſuos ignem* *pareant in*
vrentem; indicauit enim, Angelos ſanctos, tanto in nos amore, tantaq́; *forma ignis*
ſalutis noſtræ cupidine, flagrare, vt meritò, vrenti flammæ, valeant com- *igni ſimiles*
parari: Nam ſicut vbicunque materiam inuenit ignis, velociſſimè ope- *in operatio-*
ratur: Sic Angeli ſancti, vbicunque occaſionem inueniunt, nobis be- *nibus varijs.*
nefaciendi, illicò ad opem ferendam, ſeſe accingunt. *Ignis* nos calefacit; *Pſal. 103.* *Simile.*
Angeli nos, extinctis ſceleribus noſtris, Charitate frigeſcentes, in amore 1.
Dei accendunt. *Ignis* purgat ferrum, & excoquit rubiginem; *Angelus Cu-* 2.
ſtos, noſtrorum abſumit ſcoriam peccatorum. *Ignis* liquat cæram & om- 3.
nia metalla; *Angelus Cuſtos*, emollit ærea, & metallina corda, obſtinato- 4.
rũ in peccatis, vt in lachrymas reſoluta, de peccatis doleãt, & reſipiſcant.
Ignis conſolidat & roborat; *Angelus Cuſtos*, puſillanimes conſolando, & in 5.
ſpẽ erga Deũ erigendo, cõfortat. *Ignis* expellit tenebras, & illuminat; *An-* 6.
gelus Cuſtos, expulſa ignorantiæ cæcitate, mentes noſtras inſtruit & infor-
mat, quid fugiendum, quid amplectendum. Hinc S. Auguſt. *Angelos ad* *Lib 2. Me-*
adiuuandum nos, attrahit ſupereminens Charitas propter Deum, propter nos, pro- *ditat. cap 3.*
pter ſeipſos. Propter Deum vtique, cuius tanta erga nos viſcera pietatis, ipſi quo-
que vt dignum eſt, imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam ſimilitu-
dinem admirantur. Propter ſe ipſos, quorum ordines, inſtaurandos ex nobis, toto
deſiderio, præſtolantur. Et rurſum: *Grandis eſt eis cura de nobis, magnus eſt affe-* *Soliloq. c. 29.*
ctus dilectionis eorum erga nos. Et hoc totum, propter honorem, tuæ ineſtimabilis
Charitatis, qua dilexiſti nos: Diligunt enim, quos tu diligis, cuſtodiunt quos tu cu-
ſtodis. Nec mirum, cum *facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem*
vrentem.

Et quod nos magis, erga ſanctos Angelos Cuſtodes, ad piam affectio- *III Poſt in-* *carnationẽ*
nem, atque deuotionem flectere deberet. Origenes aſſerit, poſtquam *filij Dei nos*
Dei Filius incarnatus, humanam aſſumpſit naturam, Amor & ſollicitu- *feruentius*
do Angelorum, erga homines, maximis incrementis accreuit, & auctior *amant.*
euaſit, ita cum olim in lege Naturæ, & Moſaica, ſe ſe promptiſſimos, ad *Hom. 28 in*
opitulandum hominibus oſtenderint & comprobârint, nunc id multò *Geneſin.*
celerius, & procliuiori voluntate, præſtent, cum videant Regem ſuum,
hominem factum, ad Patris dextram, in Throno gloriæ conſidere Quin *Marc. 14.*
etiam, ab eo tempore, tanti æſtimare cæperunt, homines, vt quidam il- *Actor 1.*
lorum, poſt incarnatum verbum, à S. Ioanne noluerit adorari: Nam *Apoc. 19.*
cum ante ipſum in genua procumberet, ſupplex: *Caue*, inquit, *ne feceris,*
conſeruus enim tuus ſum. Quid plura memorem? Parati ſunt omni tem-
pore, & loco, in omni neceſſitate, vt nobis ſubueniant; Nos tamen è
contrario, in omni loco, ab illis recedimus, omni tempore, & in omni

Digitized by Google

occaſione, illorū luculentiſſima beneficia, obliuioni tradimus, illorum conſilijs obluctamur, & quod peſſimum factu, illorum ſubſidia, data opera, nolumus efflagitare, quæ incredibili nobis promptitudine offerunt. O ineffabilem gratiam tuam, Domine Deus, hominum & Angelorum Creator, *qui facis Angelos tuos Spiritus, & Miniſtros tuos ignẽ vrentem.*

VII. Hiſtoriæ. *Ex vitis Patrum. Platus lib. 2 de bono ſtatus Relig. c. 16. Franciſcus Albertinus de Angelo Cuſtode. I. S. Iſidorus, contra Dæmones ab Angelorum multitudine defenditur.*

Hiſtoriam accipite, vnde hæc omnia, liquidò conſtabunt. *Beato Moyſi Abbati, quodam tempore, tàm vehementem intulit impugnationem, Fornicationis Dæmon, vt quietus in cella ſua, nequiret permanere. Contulit ſe itaq; ad Abbatem Iſidorum, ac violentiam inſultus huius acerrimi, magna cum animi mæſtitudine narrauit. Cumq; è ſcripturis ſacris Iſidorus teſtimonia proferens, eum cōſolaretur, & vt in ſuam cellam reuerteretur, rogaret, isque vt id faceret, non poſſet induci, tunc illum Iſidorus Abbas, ad ſua manſiunculæ ſuperiora eduxit, eique dixit: Reſpice ad Orientem, & vide: Vidit autem, verſus illam mundi plagam, innumerabilem Dæmonum multitudinem, vehementi cum furore, quaſi ad prælium præparatos, in conflictum turmatim ruere, & ignita in illum iacula cōtorquere. Quamobrem horrendo iſto ſpectaculo, Moyſes conturbatus, altiſſima voce, Diuinam opem implorauit. quia ſibi impoſſibile iudicabat, nequiſſimorum hoſtium tela, elidere, excutere, aut euitare. At Iſidorus eum confortans, noli timere, inquit, ea quæ ad occidentem vidiſti, ſed deinceps ad Orientem reſpice. Verſa igitur facie ad Orientem, vaſtiſſimum Exercitum Angelorum conſpicatus eſt, qui ſole ſplendidiores, ad hoc ſolum armati apparebant, vt Chriſti milites, in ſpiritualibus prælijs tuerentur. Quo ſpectaculo Moyſes recreatus, ad cellam reuerſus, ab illa hora, tentationem, vtiq; Angelorum præſidio fultus, generoſiſſimè ſuperauit.* Ecce quàm nobis prompti, quàm benigniter, ſancti Angeli, contra malignos hoſtes, ſuccurrant.

II. Plurima à S. Angelis beneficia accipit S. Furſaus. Lib. 3. Eccl. hiſt. cap. 9. Baron. Tom. 8. Annal. Sur. Tom. 1. 16. Ianuarij. Zach. Lippelous. To. 1. hiſt. Sanct. 16. Ianuar. 1. Moritur S. Furſaus. 2. Defenditur ab An-

Veniam dabitis dilecti mei auditores, ſi hiſtoriam ab omni æuo admirandam, priori ſubnectam, & quidem ipſiuſmet ſcriptoris verbis, qui eam è prolixiſſima ſancti Furſęi vita, à Venerabili Beda, & Laurentio Surio, concinnata, breui compendio deſcripſit, ne quis putet, me aliquid ſupra fidem exaggerare: *Itaque confluente ad ſacra illa caſtra multitudine, Furſaus cum Parentibus conſilium inire decreuit, vt quàm commodiſſimè ſecuriſſimeq;, ſacer ille grex Chriſto militaret. Hac pia ergo ſolicitudine agitatus, itineri ſe dedit, ſed mox languente corpuſculo, ex itinere ad proximam quandam caſam delatus eſt. Ibi verò, præualente ægritudine, anima illius, è corporis ergaſtulo migraſſe, & mirificam viſionem hauſiſſe, fertur. Denſa enim caligine circumdata, vultus conſpexit angelicos, è quorum numero vnus, candido ſcuto, & fulgureo armatus gladio, reliquos præcedebat. Subſequebantur alij duo, pari candore fulgentes: qui mira ſuauitate, animam illius oblectabant. Quin & multorum Angelorum millium, viſus eſt ſibi, concentum audire, quo tàm ſuauiter afficiebatur, vt corporeæ planè conſuetudinis oblitus, cæleſti gloriæ, ſe intereſſe crederet.*

Digitized by Google

ret. Dum hæc fiunt, anima illius, iam contubernio corporis ſoluta, angeli vnius miniſterio, ad corpus reducta fuit. Quæ quomodo, quoue ordine confecta fuerint, intelligere non potuit, niſi quod corporis ſarcina ſe ante grauatum, quàm tàm dulci Angelorum ſocietate deſtitutum, ſciret. Tunc verò momento temporis, pro ſuaui melodia, planctum lugubrem, cum eiulatu audiuit; vnde attonito ſimilis, exclamauit: Quid agitis? At illi, reſuſcitati repentè corporis, ſtupore defixi, totam rei ſeriem, ei exponere cæperunt; conteſtantes, corpus exanime iacuiſſe, tumulo, de more, iamiam inferendum. Ille verò præter ſuſpiria nihil edens, languentes corporis vires, ſacris myſterijs refecit.

golis & audit eorum ſuauiſſimos concentus.

3. Ad corpus ab Angelo reducitur.

Porrò toto adhuc biduo languentem, & graui ægritudine periclitantem, Parentes & cognati, piè ſolabantur, cum ecce, irruentibus repentè tenebris, ille graui ſopore opprimitur, & à corporis conſuetudine, rurſus auellitur. Aderat ſplendidum Angelorum agmen, cum horribili valde Cacodæmonum caterua: quas pro humana fragilitate, vt vehementer formidare cæpit, Angeli mox hortatu confirmatus eſt, ne trepidaret: ſed vera fide, quæ in Christo Ieſu eſt, eorum calumnias, & improbos conatus, deſpiceret. Trepidantem nihilominus vrgebant hoſtes animarum, premebantq́;, & æterno ſupplicio digniſſimum, clamitabant. Non ſolum enim, dicebant, qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte. Ocioſos ſermones ſæpe protulit, & nullam de his rationem reddet? Dicit Chriſtus: Niſi remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cæleſtis, dimittet vobis, peccata veſtra. Vbi eſt iuſtitia Dei? Si Deus iuſtus, nunquam hic cæleſti gloria fruetur. Nunquid ſcriptum, niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum? Vbi aut quando hanc perfectionis virtutem declarauit? Et adhuc vos, noſtris eum manibus præripietis? Et adhuc in iniuria perſeuerabitis? His aliisq́;, cum Furſæum, aduerſarij, rationibus oppugnarent, Angelus ſua eos virtute conterens, ad iuſtum Dei iudicium, prouocauit, & Furſæo, vt oculos in mundum conuerteret, imperauit. Tunc vir ſanctus, vallem ſub ſe poſitam, è qua quatuor flammæ, in quatuor mundi partes ſpargebantur, vidit, quæ ſua ſæuitia, terram vndique populabantur. Tùm Angelus, noſti, inquit, viſionis huius myſterium? Furſæus cum ſe ignorare reſpondiſſet: Hæc, inquit, ſunt, quæ mundum, prauis cupiditatibus inflammant & homines in ſempiternam peſtem, perniciemq́; trahere omni tempore, nituntur. Cumq́; paulatim ignis magis magisq́; ſæuiret, tandem & ipſi Furſæo appropinquare viſus eſt. Qui periculi imminentis magnitudine pauidus, ſupplex ad Angelum ſe recepit, qui hinc inde diſcuſſis flammis, ſecuro eum animo eſſe iuſſit; nam, inquit, quod non accendiſti, nequaquã in te ardebit. Vniuſcuiuſq́; enim opus, ꝓ meritorũ ratione, ignis hic examinat. Cũq́; hoc modo, Angelo duce, per medias flammas graderetur, quatuor rurſus Cacodæmones, horrendũ vociferãtes, minutiſſima quæque & leuia delicta, replicabãt, ſupplicioq́; ſempiterno, ea plectenda, dicebant. Sed Angelus cõtritis deuictisq́; aduerſariis, ad iuſtũ Dei iudiciũ prouocauit. Cui calumniator: Si Deus, inquit, iniquus nõ eſt, & ſi mendaciũ,

4. Denuò à corpore abducitur, & videt Angelorũ agmina

5. Ab Angelo ne timeat Dæmones confortatur.

6. Quænam Dæmones obiecerint S. Furſæo.

7. Defenditur ab Angelo.

8. Videt 4. flammas homines inflammantes.

9. Flammæ corripiunt Furſæum quas Angelus diſcutit.

10. Dæmones iterum minutiſſima peccata ei exprobrant.

& mandatorum illius tranſgreßio, ei diſplicet, vir iſte pœnarum expers non erit. Cum enim ſaculi vanitatibus, ſemel nuncium remiſerit, adhuc ſe paſſus ſordibus eius inquinari. Et cum Deus vnicuique de proximo ſuo mandauerit, ille ſæpè diuinæ legis tranſgreſſores, neque de iniquitate proximos corripuit, neque diuini iudicij terrore, à ſcelere reuocauit. Hæc aliaq́ꝫ, improbi, magna contentione, vrgebant & inſtabant, & vim etiam interdum, inferre conabantur. Quos Angelus Domini, tanquam blaſphemos in Deum, fudit, fugauitq́ꝫ, & Furſeum, immenſa claritate, circumfuſum, Angelorum animabus ſociauit.

11. Angelus ſæpe fugat Dæmones.

12. Videt iterum innumera Angelorum agmina.

Is autem, ſublatis rurſum oculis, innumera Angelorum agmina, eximia claritate fulgentia, conſpexit, inter quæ, duos, venerabilis vitæ, Epiſcopos, qui non ita diu, ad illam gloriam, vita functi, commigrârant, obuios habuit. Horum nomina erant, Boëanus & Meldanus, qui ob inſignem vitæ ſanctitatem, miro omnium præconio, in Eccleſia illa, celebrabantur. Hi Furſeum, vt ad ſe relictum corporis contubernium reciperet, monuerunt, atque maxima vocis contentione, populum, infinitis ſceleribus inquinatum, à mentis furore, ad virtutis ſtudium, & diuinæ legis cultum reuocaret, hortati ſunt. Atque vt diligentius, & maiore cum fructu, in eo pietatis officio, verſari poſſet, de humani cordis prauitate, de virtutum vitiorumque natura, luculenter admodum multa diſſeruerunt. Et multis interiectis, quibus viri illi Sanctiſſimi, Furſæum variè informarunt: *His dictis, Sancti illi viri, cum vniuerſo Angelorum agmine, in cælum recepti ſunt: Furſæus verò, cum tribus Angelis, ad corpus redire iuſſus. Cumque voracibus iterum flammis, appropinquarent, per medium quidem, hinc inde diſcußis, gradiebatur, ſed vir quidam, illi non ignotus, ex igne proſiliens, maxillam eius, humerumq́ꝫ exußit, & Dæmone, vt eum acrioribus traderet ſupplicijs, cruciandum, vrgente & vim intentante, Angelus obſtitit, ac pertinacem, in flammas proſtrauit, conuerſusq́ꝫ ad Furſæum: Quod incendiſti, inquit, hoc in te arſit: Si enim viri huius veſtimentum, in peccatis mortui, non ſuſcepiſſes, nullam in te pœna illius vim, exercere potuiſſent. Sed iam hoc ſupplicio eruditus, caue, ne deinceps donis muneribusque, ex Teſtamentis ſceleratorum, & in peccatis morientium, contamineris; quin potius legata eiuſmodi pauperibus, iuxta ſepulchrum eroganda, curabis. His aliisq́ꝫ ſermonibus inſtructus, rurſus mortalitatis ergaſtulum, quamuis inuitus, intrare debuit. Cumque moras necteret, & corporeis iterum conſtringi vinculis formidaret:* Noli, inquit *Angelus, timere, ſed reuiuiſcens, corpus fontana abluatur, & dolor omnis concremationis, ſolo remanente veſtigio, fugabitur. Inde Furſæus, quaſi à profundo ſomno ſuſcitatus, ſublatis oculis, parentes, Vicinos & Clericos aſtare conſpiciens; viſa auditaq́ꝫ ex ordine narrare cæpit: cumq́ꝫ viua ſuperfuſus aqua fuiſſet, cicatrices incendij, quo illum vir iniquus afflixerat, & in facie, & inter ſcapulas eius apparuerunt: Nec mora, Eccleſiaſtæ officium aggreſſus, omnibus maxima contentione Diuini Iudicij ſeueritatem annunciauit.* Et rurſum interpoſitis nonnullis, ad ſcopum noſtrum,

13 A duobus Sanctis Epiſcopis iubetur ad corpus redire.

14. Ab Angelis denuo ad corpus deductus à Dæmonibus defenditur.

15. Executionis Teſtamentorum dilatio, quã periculoſa in altera vita.

16. Illibenter redit ad corpus.

non

Digitized by Google

non collimantibus. *Multis igitur viris, præſtantis Religionis præſentibus, rurſus haud vulgari languore corporis, proſternitur, eoq́ deducitur, vt in ſolo pectore, vitalis Spiritus palpitaret. Eo verò momento, Angelus Domini adfuit, & omnia, quæ ad diuini verbi miniſterium, ritè ſpectabant, diligenter expoſuit, hortatusq́ eum eſt, vt nullis periculis, vel laboribus, frangeretur: nam duodecim adhuc annos, multis ſudoribus ſuperandos eſſe, quibus expletis, optatiſſima beatorum requie, quam viderat, frueretur. Inſtitit igitur, multò ardentius, vir ſanctus, diuini verbi prædicationi, importunè, opportunè vnumquemq́, ſine perſonarum acceptione, commonefaciens.* huculque venerabilis Beda.

17. Iterum ægrotanti appares Angelus, eumq́ confortat.

Ex hac formidabili pariter & amabili viſione, Sancti Furſæi, ſatis apertè colligi datur, quam importunè maligni Dæmones, animas noſtras, non ſolum in mortali corporis ergaſtulo detentas, verum etiam exinde iam ſolutas, & liberas, impugnent, quàm hoſtilitèr infeſtent. Ex altera viciſſim parte, meridiano ſole, clarius apparet, quanta vigilantia, quàm ſolerti cura, quàm accurata prouidentia, ſancti Angeli, nos contra Diabolicos impetus, & aſſultus, protegant atq; defendant, vt reliqua inibi contenta, vobis penſitanda relinquam.

Addo Neotericam, & recentiſſimam hiſtoriam, quæ nudius quartus primùm contigit, in oppido Zeillenſi, Bambergenſis ditionis, quam habeo *ex ore Illuſtriſſimi Principis noſtri*, qui mihi ad maiorem rei certitudinem, ac fidem, literas, quas loci Præfecti, & Magiſtratus, ea de re perſcripſerant, exhibuit, & coram aſſidentibus, in menſa, perlegit: Mulier honeſta ſurrexerat, & Filiolam ſex annorum, in lecto, ſolam reliquerat, dormientem. Dum porrò illa de die, hinc inde per domum diſcurrendo, res ſuas ageret, domeſticosq; labores, obiret, audit paruulam aliquoties exclamantem, vt veniret. Negligit mater, fortè adhuc occupata, eius clamorem: Sed ecce paulò poſt, accurrit puer, ex alia domo, haud procul inde ſita, poſtulans, vt Mater filiolæ ſuæ induſium & veſtes afferat, eam enim nudam, in domo ſuo iacere. Obſtupeſcit Mater, occurrit ad lectulum, filiolam quæritat, qua non reperta, vt in lecto dimiſerat, cum interula ad ædes illas properat, & paruulam nimio frigore, propemodum enectam, & obrigeſcentem inuenit. Quam cum in calidum hypocauſtum detuliſſet, paulò poſt ad ſe redijt. Et quid ſibi accidiſſet, interrogata, reſpondit: *Nigerrimum quoddam monſtrum, me ex lecto abripiens, ſuper tecta domorum deportauit: ſed cum huc perueniſſet, vir albus, & valdè pulcher, adfuit, qui eum prohibuit, ne me vlterius deſerre poſſet; atque ita me reliquit.* Idque compluribus, vt audio, ita recenſuiſſe perhibetur. Hic iam quæro: Qua de cauſa Diabolus poteſtatem acceperit, in hanc puellam, adhuc ſexennem, innocentulam? Neſcio, Deus ſcit. An forte id factum

III. Moderni temporis hiſtoria.

Puella ab Angelo Dæmoni eripitur.

Cur Deus permiſerit Dæmoni puellæ abſportationem? 1.

 eſt,

eſt, fraude veneficarum & ſagarum, eam interimere cupientium? Non vacat id omninò pernegare, licet etiam non auſim, pro certo affirmare.
2. An fortè, per hoc factum, eos redarguere voluit, qui aſſerere & profiteri non formidant, omnia *Sagarum maleficia, non eſſe, niſi mera ſomniantium figmenta, & illuſiones ac Phantaſmata Dæmonis, & nullam earum, corporaliter*
3. *à Diabolo, à loco in locum deferri*? Non abnuo. An fortaſſe quis, ex Domeſticis puellulæ, Dæmonem imprecatus eſt, aut Parentes cubitum ituri-
4. entes, eam non prius, ſigno Crucis, munierunt? Et hoc probabile videtur. An fortaſſe Dominus Deus, *Magiſtratum legitimum animare voluit, & hoc Diabolico conamine inflammare, vt alacriter pergat, in eradicanda Diabo-*
Exod. 20. *lica Idolomania Sagarum*, de quibus ille præcipit: *Maleficos non patiaris vi-*
5. *uere*? Nec hoc in dubium temerè traho, ac reuoco. Illud autem vel maximè hîc notandum, quod *Angelus Cuſtos*, quem puella, in forma ſpecioſi iuuenis vidiſſe creditur, innocentulam illam animulam, tutela ſua defenderit, & Sathanæ prædam, quodammodo è faucibus extorſerit, vt omnes intelligant & agnoſcant, quantum ſpei & fiduciæ, in Angelica tutela, ſit reponendum, & vt parentes poſthac, ſe & liberos ſuos, ſanctis Angelis cuſtodibus, obnixius ac diligentius, omni tempore comendent.

Cautela parentibus apprimè inculcanda.

Epilogus. O Beatiſſimi Spiritus, Deo iugiter famulantes, & nobis nihilominus miniſtrantes, *ô Illuſtriſſimi, cæleſtis Aulæ Principes ac Proceres*, multitudine innumerabiles, potentia inſuperabiles, celeritate inuincibiles, Sapientia illuminatiſſimi, amore ardentiſſimi, veſtram, obſecro, in tutelam nos recipite; in omni noſtra indigentia, opem ferte & ſuccurrite; ab omni corporis & animi noxa nos præmunite; ab importuniſſimi tentatoris machinationibus, doloſis eripite; vias noſtras in cælum dirigite, & rectificate; coram Diuino Tribunali nos defendite; cæleſtis Regni, æternam poſſeſſionem, per Chriſti ſanguinem, & vulnera, nobis obtinete: vt veſtras, quantum in nobis eſt, ruinas inſtaurantes, vobiſcum perenniter collætemur, Amen.

SERMO IV.

Tres Angelorum ſanctorum Hierarchiæ, nouem ordinibus, & veluti Choris diſtinctæ.

Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. Dan. 7.

IN omni benè conſtituto, Monarchiæ Regimine, quale eſt, vt euidenti Exemplo vtar *Hiſpanicum*, quod non ſolum, plurima Europæ & Africæ, ſed & Occidentalium & Orientalium Indiarum Regna & Prin-

Principatus, potentiſſimos includit, licet, ſicut diuerſa Conſilia, ſiue, vt vocantur Parlamenta, diuerſi officiales, & miniſtri, obeuntes Gubernacula, diuerſi, negotiorum diuerſorum geſtores, Præſides & Rectores; Omnia tamen, ſibi inuicem, adminiſtratorum varietate, connexa, vnius Potentiſſimi Regis Maieſtatem ſpectant, & ad eius Authoritatem, atque Monarchiam, incolumen, ſartamque, contra hoſtium, & rebellantium ac perduellium, inſultus, conſeruandam, ordine pulcherrimo, diriguntur. De diuiniſſima illa, Æterni Regis, omnium Conditoris Monarchia, & eius Hierarchico, inter Angelos mira concinnitate & Harmonia, Supremorum, Mediorum, & Infimorum Spirituum, ſapientiſſimè conſtituto Regimine, antequam immortalis gloriæ, beatitudinem, Diuinæque faciei, cum Angelorum ſocietate, contemplationem perpetuam, indipiſcamur, ſi dignè loqui, rationabiliter diſcurrere, & aliquid explicare moliamur, vix quaſi balbutientes infantuli, & impeditioris linguæ locutulei, conceptum animo ſermonem, proferemus, niſi ad terrena, & eorum imagines, ſimilitudines & paradigmata, quæ in Regnis & Imperijs, Diuina prouidentia, in hoc orbe conſtitutis, ad ocularem inſpectionem, exhibentur, prouidè recurramus. Idque potiſſimum eò, *cum inuiſibilia Dei*, Apoſtolo teſte, *& ſempiterna eius Virtus, & Diuinitas, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur.* Secundum tres igitur Miniſtrorum Regionum, gradus, tres Angelorum Hierarchias, & in ſingulis, tres Choros, & Ordines, conſiderabimus, vt Deo, lumen & intelligentiam, elargiente, tantò clarius, Tutelarium noſtrorum, circa nos, officia & benè merita, capiamus, tantoque gratiori mentis ſignificatione, quotidiana illorum Beneficia, rependere ſtudeamus. Vos, ô ſancti Angeli, de veſtra dignitate & honore mutuò locuturis, & audituris, à Deo gratiam, & intellectus pariter capacitatem, & voluntatis, ad redamandum, procliuitatem ac promptitudinem, cælitus impetrate. *Rom 1.*

Millia millium, miniſtrabant ei, & decies centena millia, aſſiſtebant ei. Cum Daniel Illuminatiſſimus Propheta, Spiritu raptus, & mentis in exceſſu poſitus, Diuinam Maieſtatem, imaginaria tantùm viſione intueri iuberetur; *Aſpiciebam*, inquit, *donec Throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit: Veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli capitis eius, quaſi lana munda: Thronus eius flammæ ignis: rotæ eius, Ignis accenſus: Fluuius igneus, rapiduſque egrediebatur, à facie eius:* Eius denique Miniſtrorum ordinem, ac numerum referens, addit: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* Stupenda ſanè & admiranda viſio, & prorſus innumerabilibus myſterijs fæcunda. Conſpexit in ea Daniel, ingentem, & humano

I. Trium Hierarchiarum Conſtitutio.

I. Viſio Danielis.

Dan. 7.

Apoc. 5.

vix

vix ingenio, comprehenſibilem numerum, Sanctorum Angelorum, qui poſt Luciferi, & complicum eius, lamentabilem ruinam, in Dei gratia & amore conſtantes perſeuerarunt, eique iugiter famulantes, voluntati Numinis, in omni opere, promptiſſimè obſequuntur. Primarium quippe Sanctorũ Angelorũ officium eſt, illi ſupremę Maieſtati aſſiſtere, diuinam eius faciem, videre, & bonitatem eius haud vnquã inceſſanti ſtudio dilaudare. Aſſiſtentiæ munus probatum cupis? Audi ſanctum Ioannem Apoſtolum & Prophetam: *Et omnes*, inquit, *Angeli ſtabant in circuitu Throni*. Laudationis officium in dubium reuocas? Dauid nos ad hoc ipſum, Diuini cultus opus, inflammat: *Laudate eum omnes Angeli eius*. Longè minus ambiguum eſt, eos Deum facie ad faciem videre, quod os veritatis conſtanter aſſeruit & affirmauit: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*. Sublimis & excelſa dignitas, Natura Angelum eſſe: Gaudium incomprehenſibile Deum videre; præmium omni labore maius, ſummi boni, æterna poſſeſſione gaudere; Amplitudo incredibilis, Deo, *cui ſeruire, eſt pluſquàm regnare*, ad nutum promptiſſimè famulari. Omnia & ſingula iſta, Daniel Propheta, vno veluti faſce complexus eſt, quando dixit: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aßiſtebant ei.*

II. Primarium officium Angelorum Deum laudare.

Apoc. 7.

Pſal. 148.

Matth. 18.

Sed videamus, quàm eleganti ordine ac diſpoſitione, vnuſquiſque in gradu ſuo, *Regi ſæculorum, immortali & inuiſibili*, deſeruiant & famulantur. In Aula Imperatoris aut Hiſpaniæ Regis, omnes Aulici Miniſtri, in ſtatu gemino cenſentur: Quidam Palatio, & Regis miniſterio, iugiter ſunt affixi, vt ab eo non recedant: Quidam ad Regni negotia, & adminiſtrationes Prouinciarum remittuntur. Et hi rurſum ſubdiuiduntur. Quidam emittuntur ad regimen totius Regni: Quidam ad regimen locorum determinatorum, Regiæ voluntatis arbitrio, deſtinantur. Atque ita in Cæſaris, Hiſpaniæ Regis, aut cuiuſpiam alterius Monarchæ Aula, in ſpecie, tres miniſtrorum gradus, ab inuicem ſecernuntur. *Primus gradus* complectitur Aſſiſtentes Regi; *Alter gradus* includit deſignatos, ac miſſos, pro regimine generali; *Tertius gradus*, continet Miſſos pro regimine ſpeciali. Huius differentiæ intuitu, veluti ſpeculo, efficaciter illuminatus, qui aliquid de Sanctorum Angelorum ordinibus, in hac vita, capere exoptas, agnoſce tres Hierarchias, in Aula cæleſtis Monarchæ, totius mundi Creatoris ac Dominatoris, inter Angelos, nos ſolum Diuinis, ſed & humanis obſequijs & miniſterijs deputatos, de quibus eum Dauid alloquitur: *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem*. Prima igitur claſſis eſt, Aſſiſtentium Deo Conditori: Altera, deſtinatorum pro Regimine generali, totius mundi: Tertia eorum, qui deputantur, ad regimen ſpeciale. Sicut porrò quælibet iſtarum Claſſium, in Aula

II. Hierarchicus ordo qualis?

1. Tim. 1.

1. Explicatur ſimilitudine officialiũ aula Imperatoris.

2. Tres in ſpecie Miniſtrorũ gradus in aula Cæſaris.

3. Tres ſimiliter Claſſes in aula cæleſti.

Pſal. 103.

Digitized by Google

in Aula terreni Regis, plura complectitur officia: Sic in Aula ſummi Regis, Domini Dei, prima Hierarchia, plures Angelorum Choros includit: In Aula terreſtri aſſiſtentes Regi, ſunt in triplici gradu; quorum primo ſubſunt Camerarij, ſecundo Conſiliarij ſecreti, Tertio, Commenſales amici Regis ſpeciales. Eodem modo, in prima Angelorum Hierarchia, & quaſi ſupremo cæleſtis aulæ principatu, tres, à S. Dionyſio, ordines, numerantur, & hiſce triplicibus Regijs miniſtris, adæquantur. Ordine progrediamur, vt ſingula ritè & intelligenter explicentur. *4. Qualibet Claſſis plura complectitur officia. Sic qualibet Hierarchia caleſtis tres Choros.*

In prima igitur Hierarchia Deo iugiter aſſiſtentium Angelorum Primus Ordo & Chorus, eſt *Seraphinorum*, Dei amore ardentium, qui ad ſecretam diuinitatis participationem, veluti eius Camerarij, proximè appropinquant, & in rebus etiam, priuatim gerendis, fideliter aſſiſtunt. Secundus eſt *Cherubinorum*, qui ſunt pleni ſcientia, inſtar Conſiliariorũ ſecretiſſimorum, qui ſcientia, Prudentia, & rerum vſu atque experientia, vt plurimùm præpollent. Tertius ordo eſt *Thronorum*, in quibus Deus reſidet, tanquam Rex in ſuo Throno, & velut in Regio ſedili cõquieſcit: Nam ſicut Princeps, ſpecialibus, quos ad ſuam quotidie menſam, adhibet, amicis, plurimùm delectatur: Sic Deus optimus maximus, Thronorum præſentia exhilaratur. Ecce primam & ſupremam, Deo immediatè ſubordinatam, Angelorum Hierarchiam. III. Hierarchiæ primę. *1. Chorus Seraphinorũ. 2. Cherubinorum. 3. Thronorũ.*

Secundus gradus miniſtrorum in Aula Regis, & Imperatoris humani, ad Regimen generale deſtinatos, complectens, tres iterum ordines, ſuppeditat. *Primus* eſt Præſidentium Aulæ, quales ſunt Præfecti aulæ, Mareſcalli, Directores Conſilij, Cancellarij Regni, Cancellarij Conſiliorum, quæ Parlamenta, vulgò dicuntur, & ſimiles, qui omnia, totius regni negotia, ad nutum & voluntatem Regis, pro arbitratu diſponunt. *Secundus* eſt, Generalium militiæ Præfectorum, Tribunorum, Capitaneorum, Vexilliferorum, Legionariorum, Chiliarcharum, Centurionum, qui præſunt Exercitui, ad Regni fines tuendos, collecto. *Tertius* ordo eſt, Iudicum generalium & Prouincialium, qui iuſtitiæ præſunt, in toto Regno. Sic ſecunda Hierarchia Sanctorum Angelorum, vt S. Dionyſius Areopagita docet, primò continet ordinem *Dominationum*, qui iugiter inſiſtunt Regimini, & Dominationi totius Vniuerſi, tanquam Aulæ Præfecti, Mareſcalli, Theſaurarij, alijq; Summi officiales Regis aut Imperatoris: Ad hos enim Angelos, pertinet, noſſe voluntatem Dei, circa diſpoſitionem totius orbis, & alijs demandare, atque ordinare, quid, quomodo, quando, executioni, ab inferioribus Angelis, demandandum: Vnde de illis S. Auguſtinus: *Angeli intuentur legem fixam, legemq; æternam, iubentem ſine ſcriptura, ſine ſyllogiſmo, ſine ſtrepitu, & extra illud faciunt,* IV. Hierarchia ſecũda ſimiliter æquiparatur Aulæ miniſtris. *1. Præſidentes Aulæ. 2. Generales militia Præfecti, Tribuni, Capitanei. 3. Iudices generales & Prouinciales. II. Hierarchia ſecũda. 1 Dominationes. Tractat. in Pſal. 103.*

Digitized by Google

II. Virtutes. *unt, quicquid ſit*: Secundus ordo eſt *Virtutum*, qui ordinationem Dominationum executioni mandantes, ſicut ſtrenui & generoſi milites, Principis mandato, ad nutum obſequuntur. Ad hos pertinet, ad modum armatorum, hoſtibus, id eſt Dæmonibus reſiſtere, ne aërem tonitruis, fulguribus, tempeſtatibus, grandinibus, turbent, & fruges diſperdant, ne peſtilentias, aliasq; contagioſas infirmitates, pro libitu, aërem inficiendo, ſpargant; ne quantum vellent, homines tentent, & ad malum inducant. Sic Angelus Raphael Aſmodæum Dæmonem compeſcuit, & in

Tob.8. deſertum relegauit, ne Tobiæ iuniori, nocumentum inferret. Sic Ange-

Apoc.20. lus, referente S. Ioanne, *apprehendit Draconem magnum, Diabolum*, & miſit

III. Poteſtates. eum in Abyſſum, & clauſit, cathenæ illigatum. Tertius ordo eſt *Poteſtatum*, quorum officium eſt, præmiare bonos pro meritis, & malos pro demeritis caſtigare, ad modum Iudicum, qui non ſine cauſa, gladium portant, ſed vt à preſſuris liberent innocentes, & puniant nocentes: Sic AngelusDomini, liberauit tres pueros, in fornace Babylonica, ne eis flamma noceret; Sic Angeli Apoſtolos, Et S. Petrum, è vinculis, & carceribus eduxerunt; Sic Lazarus mortuus, ab Angelis deportatus eſt, in ſinum A-

Rom.13. *Dan.3.* *Actor.5.* *Actor.12.* *Luc.16.* *Exod.14.* *4.Reg.19.* *Actor.12.*

brahæ; Sic Angelus Domini, *percuſſit primogenita Ægypti*, vt populus liber dimitteretur; Sic Angelus in caſtris Regis Sennacherib, vna nocte interfecit, centum octoginta quinq; millia, & totum eius exercitum turbauit, atq; in fugam coniecit; Sic Angelus Domini ſuperbiſſimum Tyrannum Herodem, Diuinitatis opinionem ac Numen, ſibi ſceleratiſſimè arrogantem, inuiſibili gladio transfixit, & à vermibus conſumptus eſt, eò quod ſuum vero Numini honorem, ſacrilegè abſtuliſſet. Ecce hoc modo conſtituta eſt Secunda & Media etiam Hierarchia cæleſtis. Tertiam nunc, & vltimam aggrediamur.

V. Tertia Hierarchia.

In tertio gradu miniſtrorum Aulæ Imperialis & Regalis, triplex eſt officium: *Primum* obeunt Proreges, aut Gubernatores Regnorum, Principatuum, atque Prouinciarum. *Alterum* Præfecti & Satrapæ alicuius Ciuitatis, Reipublicæ, aut Communitatis. *Tertium* Præfecti Caſtellani, Conſules, Sculteti, & ſimiles Magiſtratus inferiores. Sic etiam tertia Hierarchia cæleſtis, tres ordines Angelorum includit: Primus Chorus eſt *Principatuum*, qui determinatis Prouincijs, vel certè illarũ Principi, per quem perſonæ publicæ, ad modum Ducis, determinatæ patriæ, aſſignantur: de his loquitur S. Iſidorus: *Singulæ gentes, præpoſitos Angelos habere credun-*

Lib. 1. de ſummo bono.

tur. Omnes homines habere proprios Angelos, indubitatum eſt. Secundus ordo & Chorus eſt *Archangelorum*, qui deputantur Ciuitati, vel cuicunque Communitati aut Reipublicæ, inſtar Satrapæ, Præfecti aut

Dan. 10. Sculteti, vt colligitur ex Daniele. Tertius ordo, chorus eſt *Angelorum*, qui

ad

ad cuſtodiam, cuiuſcunque ſingularis perſonæ, aſſignantur: *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te, in omnibus vijs tuis.* Vnde S. Hieronymus: *Magna dignitas animarum, vt vnaquæq; habeat ab ortu ſuæ Natiuitatis, in cuſtodiam ſui, proprium Angelum deputatum.* Ecce quàm pulchro ordine cæleſtis illa Monarchia, diſponitur, quàm ſcitè & ſapienter omnia gubernantur, vt Media ſummis, & infima Medijs; indiſſolubili obedientiæ vinculo, adhæreſcant. O admirandam Creatoris ſapientiam, tàm eleganti ordine, Angelorum Choros, ſibi mutuò ſubordinantem: *Millia millium miniſtrant ei, & decies centena millia aſſiſtunt ei:* Cogor tecum fateri, ô Regie Pſaltes: *Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & Sapientiæ eius non eſt numerus:* Inducor, ô S. Thoma de Aquino, vt tecum in ſtuporem rapiar, & dicam: *Creator ineffabilis Domine Deus meus, qui de Theſauris tuæ ſapientiæ, nouem Angelorum Choros condidiſti, & eos ſuper cælum Empyreum, miro ordine collocaſti, atque elegantiſſimè, partes vniuerſi diſtribuiſti.*

Pſal. 90. *In caput 18. Matthei.* *Pſal. 46.* *Orat. ante ſtudium.*

Conuertite nunc oculos, dilecti mei, ad pulchritudinem non ſolùm, ſed & infinitum numerum, & multitudinem Angelorum. Si infimus, *infimi Chori Angelus*, pulchritudine, ſplendore, ac venuſtate ſubſtantiæ & naturæ ſuæ, ſepties excedit & ſuperat pulchritudinem, omnium roſarum, & liliorũ, omnis argenti, omnis auri, omnis margaritæ, omnis Adamantis, omnis Saphyri, omnis Chryſoliti, omnis Smaragdi, omnis Carbunculi, aut, vti vocant, Rubini, & in ſpecie, ac genere, omnium prorſus gemmarum, pulchritudinem, inquam, Solis, Lunæ, Stellarum omnium, totiuſq; firmamenti; & quo vnus altero eſt in Choro ſublimior, tanto & perfectior & formoſior, ita vt Angeli, infimi Chori, ab Archangelis, pulchritudine Naturæ ſuæ, decies ſuperentur: *Si Principatus*, qui ſunt in ſupremo, Tertiæ Hierarchiæ Choro, vigeſies maiori pulchritudine excellunt; *Si* deniq; *Poteſtates*, qui ſunt in vltimo Secundæ Hierarchiæ Choro, quadrageſies ſuperant *Principatus*; Si hos *Virtutes* quinquageſies; Si *Dominationes*, qui ſunt ſupremi Chori, Secundæ Hierarchiæ, Sexageſies; ſi *Throni* Dominationes, Septuageſies; Si *Cherubini*, Thronos octuageſies, Si *Seraphini* Cherubinos, formoſitate Naturæ ſuæ, Nonageſies vincunt, & excedunt: Quàm admirabilis erit pulchritudo, totius Hierarchiæ cæleſtis, ex Nouem Choris Angelorum, conflatæ? Quantò demum infinities pulchrior erit Deus, *Conditor, & Creator Angelorum?* Si tanta eſt pulchritudo eius Miniſtrorum, quid Deus ipſe, *qui eſt* hominum pariter & Angelorum *Summum bonum?* Quis hîc cum Dauide, huius immenſæ pulchritudinis deſiderio, non accendatur? quis non inflammetur, vt exclamet, cum ipſo: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea, in atria Domini: Cor meũ & caro mea, exultauerunt in*

II. Pulchritudo vniuſcuiuſque Chori Angelorum. 1. *Quanto interuallo ſuperent pulchritudinẽ omniũ Creaturarum.* 2. *Gradus pulchritudinis inter vnumquemq; chorum.* 3. *Chorus ſuperior decẽ gradibus ſuperat inferiorem.* *Pſal. 83.*

Digitized by Google

Deum viuum. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te: quando videbitur Deus Deorum in Sion?

III. Numerus ſingulorum ordinum.

Li. de cæleſti Hierarchia cap. 14.

1. Teſtimonium S. Dionyſii.

De Numero cæleſtium Spirituum, quid dicam? S. Dionyſius Areopagita, Apoſtoli Pauli, in tertium cælum rapti, diſcipulus, à quo informatus, librum de cæleſti Hierarchia, & nouem Angelorum Choris, conſcripſit, tantum, innuit eſſe *Numerum, & multitudinem Angelorum*, etiam in infimo choro, *eorum, qui ad hominum cuſtodiam, atque tutelam peculiariter ſunt conſtituti*, atque à diuina prouidentia deſignati, *vt eam numeris noſtris, quibus Arithmetici vtuntur, quamuis in infinitum multiplicatis, non facile ſimus definituri.* Quot homines, vixerunt à condito mundo? Quot adhuc viuunt in præſenti? quot viuent vſque ad finem mundi, donec impleatur numerus Electorum? Nos ignoramus, Deus ſcit: Illud ſaltem apud Theologos certum eſt & ratum, infimi Chori Angelos, omnium qui vixerunt, viuunt, & victuri ſunt, hominum numerum, ſi non eminentiſſimè, ac decies ſuperent, ſaltem adæquare: vt veriſſimè dixerit S. Gregorius Nyſſænus: *Sunt infinita millia Angelorum*: Quinimò tecum ſentio, S. Pater Bernardine: *Sunt plures ſtellis cæli; ſunt plures auibus aëris; ſunt plures oceani guttis; ſunt plures arenæ granulis; ſunt plures graminibus, è terra excreſcentibus; ſunt plures terræ floſculis; ſunt plures atomis, & minutiſſimis puluiſculis; ſunt plures, quam omnia, quæ vocant indiuidua, ſpecierum, omnis generis Creaturarum.* Annon iſte, infimi Angelorum Chori, incomprehenſibilis numerus? Quæ Angelorum infinita multitudo, & humani calculi impatiens numeroſitas, vt tantò firmius credatur, S. Carpus, vt in vita S. Dionyſij Areopagitæ deſcribitur, *in Spiritu raptus, vidit Chriſtum Dominum, in Throno Maieſtatis ſedentem, & aſtantem ei, in hominum ſpeciebus, inæſtimabilem numerum, Angelorum, pulchritudinis admirandæ, quàm humani oculi, ſine corruptione, non poſſent ferre*: abſit ergo, de tot Exercitibus, famulitij Diuinæ Maieſtatis ambigere, cum ab eorum multiplici copia, Deus Exercituum appelletur.

2. Multitudo & numerus omnium hominum ſimul collectorum ſi nō decies ſuperat Angelos, infimi Chori, ſaltem adæquat.

Li. de creat. hom. c. 18.

Tom. 4. Serm. 49.

Apud Sur. Tom. 5.

3. Calculatio inferiorū ordinum reſpectu ſublimiorum.

Nunc itaq; reuoca mentem ad calculum: Si vnus Chorus alterum decuplo ſuperat: Si *Chorus Archangelorum*, Decies maior eſt, & numeroſior, choro Angelorum; Si *Chorus Principatuum* trigeſies maior, Choro Archangelorum; Si *Chorus Poteſtatum*, quadrageſies numeroſior, Choro Principatuum; Si *Chorus Virtutum*, quinquageſies maior, Poteſtatum choro; Si *Chorus Dominationum*, ſexageſies maior, Choro Virtutum; Si *Chorus Thronorum* ſeptuageſies numeroſior, Choro Dominationum; Si *Chorus Cherubinorum*, octuageſies maior choro Thronorum; Si *Chorus Seraphinorum* nonageſies maior, choro Cherubinorum, annon tota hominum vniuerſitas ſimul ſumpta, ſecundum ſancti Ambroſij computum,

4. Nonageſies nonies plures Angeli, quàm homines.

Digitized by Google

erit vnica perdita ouicula, quam cæleſtis Paſtor, relictis nouem Angelorum Choris, velut nonaginta nouem ouibus, vt quæreret, in ſterilem & incultiſsimam, huius mundi Eremum, deſcendit? Quin etiam ita res habet, S. Brigitta, vt ſi homines vniuerſi numerentur, vnicuique tamen, plures, quàm decem Angeli, ad cuſtodiam, à Deo deputari poſſent. Interrogo te itaque S Iob: *Nunquid eſt numerus militum Dei?* abſit vt eum definire præſumas: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia, aſsiſtebant ei.* Tria ſunt vulgo, quæ Regalem aulam, quàm maximè ſolent illuſtrare: *Nobilitas* Perſonarum, ingens earundem *Numerus*, ac denique concinnus, & elegans, omnium & ſingulorum inter ſe *Ordo*. Quid obſecro *Nobilius* S. Angelis? quanto interuallo hominibus antecellunt? Annon eorum numerus, nonageſies nouies, vniuerſitatis hominum *Numerum* excedit; Nec tandem in mundo pulchrior *Ordo*, quàm inter Angelorum Ordines, vſpiam inuenietur.

Epiſtola ad Antiochum. *Lib. 4. Reuelat. c 11.* *Iob. 36.*

Quæ porrò huc vſque dicta ſunt, de innumerabili Sanctorum Angelorum numero, apertè confirmat Panthaleon Diaconus Cartophylax magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, in hæc verba: *Eorum nouem, conuenienter ſunt Ordines, conuenienter Parabolæ Seruatoris quæ dicit: Si mulier aliqua habens decem drachmas, vnam ex eis perdiderit, nonne accenſa lucerna eam quærit? Et quando inuenerit conuocat amicas dicens: Congratulamini mihi, quoniam inueni drachmam quam perdideram. Sunt autem nouem Ordines incorporeorum ſpirituum, nempe Angeli, Archangeli, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Dominationes, Throni, Cherubin, ac Seraphin; & decimus Ordo, eſt hominum. Nonnulli verò dicunt, eſſe nonaginta nouem eorum partes, centeſimam eſſe hominum: conuenienter Parabolæ centum Ouium, de quibus dicit Chriſtus: Si fuerint alicui homini centum Oues & aberrauerit vna ex illis, nonne relictis nonaginta nouem, in montes profectus, quærit eam quæ errat? Et ſi contigerit eam inuenire, nonne lætatur de ea magis, quam de nonaginta nouem, quæ non aberrauerunt? Et hi ſunt Angeli nonageſies nouies, hominibus numeroſiores.* Hæc ille & iuxta veritatis normam.

In Encomio S. Michaelis Archangeli apud Simeonem Metaphraſtem.

Quantum, obſecro, gaudium erit, in cælo, videre tot numero, tàm ſpecioſas, tàm nobiles, tàm eximiæ pulchritudinis creaturas, & earum ſocietate, vnà cum ſummi boni fruitione potiri? Ego, vt verum fatear, in conſideratione felicitatis iſtius, me ipſum vix capio, ſic omnes animi mei cogitationes, in tantæ venuſtatis, tantique ſplendoris conſideratione, penitus eliduntur. Et idem mihi vſu venit, quod Reginæ Sabæ, quæ audita fama Salomonis, venit Hieroſolymam, cum multis diuitijs & numeroſo comitatu, vt coràm, eius ſapientiam audiret. *Videns autem Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum quàm ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſtesq; eorum &*

II. Stupor Reginæ Saba. *3 Reg 10.*

Digitized by Google

pincernas, & holocauſta, quæ offerebantur, in domo Domini, non habebat vltrà Spiritum, dixitq́ Regi: Verus eſt ſermo, quem audiui, in terra mea, ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua: Et non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui, quod media pars, mihi nunciata non fuerit. Maior eſt ſapientia, & opera tua, quàm rumor quem audiui. Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Quod ſi nobiliſſima Regina iſta, tantoperè obſtupuit, audiens ſapientiam Salomonis, hominis mortalis, & videns ſplendorem & gloriam, ordinemq; miniſtrorum eius, qui & ipſi, homines mortales erant; quantò efficaciori, admiratione abſorbebimur, quãdo nõ iam cũ Apoſtolo Paulo, in tertiũ cælum rapti, quin etiam ſuper omnes cælos, ad Empyreum vſq; exaltati, & ipſiſmet Angelorum Choris inſerti, atque indiuidua ſocietate copulati, aſpiciendo, tot milliones formoſiſſimorum Angelorum, videbimus

2. Cor. 12. & *audiemus arcana, quæ non licet homini loqui.* O vaſtiſſimum Mare; ô immenſurabilem Oceanum, mille millium gaudiorum. Non audeo profunditati tuæ me temerè immergere; nec abyſſum tuam valeo, imbe-

Pſal. 47. cillis ingenij homo, penetrare: *Sicut audiuimus, ſic videbimus in Ciuitate Domini virtutum*, quando æternæ patriæ, tutiſſimum portum, ſalua naui, & integris mercibus, tutelari Angelo Nauarchum agente, feliciter attingemus.

IV. Alæ quibus ad Angelorum Choros euolandum. Sit illud vnicum deſiderium tuum, ô Anima Chriſtiana, alas conquirere, quibuſcum ad cælos euolare, & nouem Angelorum Choros, facietenus aſpicere, quiñ etiam, eorum conſortium perenne, valeas obtinere. Sed *quis dabit* mihi *pennas vt columbæ, & volabo & requieſcam*, vbi

Pſal. 54. peruenero, ad beatiſſimos illos Choros Angelorum? Quis me alis inſtruet illis, quæ ad volatum huiuſcemodi requiruntur? In promptu eſt

Lib. Reuelationum. cap. 54. S. Mechtildis virgo, Diuinis reuelationibus aſſueta, quæ diuinitus edocta, conceptis verbis in hunc ſenſum te informat: *Ad primum Angelorum Chorum, viam ſibi ſternunt, qui egenis, ægris, peregrinis, Dei cauſa inſeruiunt, & temporalia ſubminiſtrant. Ad ſecundam Archangelorum coronam, contendunt, qui orationi, rerumque diuinarum, meditationi, ſe totos dedunt. Ad Principatus ordinem properant, qui omnem in ſe noxiam cupiditatem, expugnant. Ad Poteſtatum ordinem feſtinant, qui aliis, ea, qua par eſt, cura, amore, vigilantia præſunt, à malis coërcent, ad omne bonum inducunt. Virtutibus annumerari exoptant, qui pro Dei honore, viriliter ac ſtrenuè, ſub patientiæ agone, decertant. Ad Dominationum Chorum anhelant, qui opibus paupertatem præferunt, deuotiſſimiſque ſtudiis, omnem voluntatem ſuam, ad diuinam, in omnibus conformant. Thronorum ſocietatem ambiunt, qui aſſiduis rerum cæleſtium contemplationibus,*

cor

Digitized by Google

cor ſuum, vt ſit digna Dei ſedes, ritè diſponunt. Ad Cherubin extollentur, qui, quod in Deo, per meditationem vident, quod operoſa mentis quiete, condiſcunt, id in aliorum animos, ſermone transfundunt. Seraphinis accenſebuntur, qui Deum toto pectore amant, & proximos propter Deum, qui diligunt inimicos in Deo, & ſolius Dei iniuria, percelluntur. Hæ ſunt alæ; iſtæ ſunt viæ, per quos ad cæleſtes Hierarchias euolandum.

V. Praxis ſpiritualis volatus.

Ruffinus lib. 2 cap. 10. Palladius apud Horibertum Roſvveidum lib. 6. cap. 58.

I. S. Anuph Eremita.

Praxin denique volatus iſtiuſmodi, condiſcite à Sanctiſſimo quodam Eremita Anuph nomine, cuius vitam alibi, Ruffini Preſbyteri verbis fuſius iam dedimus; nunc autem Palladij Helenopoleos Epiſcopi, verba capeſſite: *Cum autem dixiſſet, quæ vnuſquiſque eorum rectè geſſiſſet, expoſuit deinceps, quæ ipſe fecerat. Ex quo ſeruatoris nomẽ inquiens profeſſus ſum, in terra, ex ore meo, non eſt egreſſum mendacium; humani cibi nihil ſumpſi, me cæleſti alimento, alente quotidie Angelo; nullius alterius rei cupiditas, in cor meum aſcendit, præterquam Dei; nihil ex rebus terrenis, occultauit mihi Deus, quod non ſignificârit & oſtenderit oculis meis. Non interdiu ſomnum cæpi, non noctu quieui, Deum quærens; Vnà mihi ſemper adfuit Angelus, mundi oſtendens poteſtates; lumen cogitationis meæ de Deo, nunquam fuit extinctum; omnem petitionem, à Deo protinus accepi; vidi ſepenumero Deo aſſiſtentes Myriades Angelorum; Vidi ſingularum Hierarchiarum Choros, & Ordinum, ſingulorum, ſpecioſitatem ſum admiratus; vidi Choros iuſtorum; vidi Martyrum congeriem; vidi Monachorum vitæ Inſtitutionem; opus omnium Deum laudabat. Vidi Sathanam igni traditum, vidi Angelos eius punitos, vidi Iuſtos lætantes in æternum. Hæc & multa alia narrans, tertio die tradidit animam; eamque ſtatim ſuſcipientes Angeli, & Chori Martyrum, ſuſtulerunt in cælum, ipſis qui aderant, videntibus, & hymnos cæleſtes audientibus.* Hucvſque Palladius. Non dubitarim ego, quicunque ſanctiſſimi huius viri veſtigijs, in colenda pietate inſiſtet, ſimili ſorte in cælos euolaturum.

II B. Venantius.

S. Antoninus 3 part. hiſt. tit. 24. c. 19. §. 8.

Hæc ipſa ſors beatiſſima, cuidam ex ordine S. Franciſci Laico, nomine Venantio diuinitus eſt oblata: Scribit enim Sanctus Antoninus, *Sanctam quandam feminam multis diuinis reuelationibus aſſuetam ex Angeli cuſtodis reuelatione cognouiſſe, eum inter Seraphinos Spiritus aſſumptum fuiſſe, eò quod ardentiſſima in Deum & proximum charitate flagraret:* nam vt ſanctus Antoninus ibidem aſſeuerat: *Merces ſalutis æternæ, non confertur homini, ratione gradus aut ſcientiæ; ſed ſecundum magnitudinem amoris atque charitatis.*

III. Exemplum Ioannis Carreræ Annales Societ. lib. 17.

Vtinam, dilectiſſimi mei auditores, amemus & diligamus, & omni reuerentiæ affectu, ſanctos Angelos noſtros, proſequamur, exemplo cuiuſdam Adoleſcentis, Ioannis Carreræ, *qui omnia ſua conſilia, & actiones,*

Digitized by Google

actiones, Angelo ſuo Cuſtodi, quotidie communicabat, ab illo, in omnibus dirigebatur, ab illo manè ad orationem excitabatur, ab illo inuiſebatur, ab illo ſolatium accipiebat, ab illo in dubijs inſtruebatur, ne erraret, ſed recta via in cælum, ad cæleſtem Hierarchiam pertingeret; Cuius ſi veſtigijs preſſo pede inſtiterimus, Duce ſancto Angelo Cuſtode, & annuente Diuina gratia, ad eundem ſcopum perueniemus.

Et vos, ô ſancti Angeli, & Archangeli, cæleſtes Spiritus omnes, Diuinam faciem ſpeculantes, eſtote iugiter memores noſtri, ſuſtentate imbecillitatem noſtram, & ne collidamur offenſionis lapidi, manus ſupponite, lapſis dextras auxiliatrices porrigite, refractarios trahite, morigeros protegite, & fouete, ad Patriam feſtinantes, in Agone vltimo, viriliter adiuuate, ne hoſti generis humani ſuccumbant; ac tandem nos omnes in cælum euehite, vbi Choris veſtris adſcripti, æternæ beatitudinis præmia iucundiſſimè capeſſamus, Amen.

SERMO V.

Qui nam Angeli ad hominum cuſtodiam ſint deputati? qui nam homines ab ijs cuſtodiantur?

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paraui. Exodi. 23.

PArentes Filios, impenſiùs diligentes, in id vnum præcipuè incumbunt, vt eis induſtrios Educatores, Præfectos, & Pædagogos conſtituant, quibus accuratiſſimè commendati, non literarum ſcientijs duntaxat, verum etiam excultis moribus, politicisque virtutibus, à teneris imbuantur. Optimus maximus Deus, poſtquam vnigenitum Filium ſuum in aſſumpta carne noſtra, in mortem, pro æterna ſalute nobis recuperanda dediſſet, charitatem ſuam, alio ſplendidiori beneficio, euidentius declarare haud potuiſſet, quàm cæleſtes illos ac beatiſſimos Spiritus, Angelos, inquam, in nouem choros diſtributos, ad miniſterium, & ſeruitium noſtrum, deputando, vt in ijs, quę pertinent, ad veram illam, prorſusq; diuiniſſimam ſcientiam, qua æternæ vitæ poſſeſſio acquiritur, nos tanquam fidiſſimi Præceptores & Pædagogi, erudirent. Illorum itaque tres Hierarchias in ſingulis tres choros, cum proxima vice qua fieri poterat, perſpicuitate, expenderimus, eò nos deueniſſe exiſtimo, vbi duo hæc rerum capita deinceps

Digitized by Google

inceps explicentur: Qui nam Angelorum cuſtodiant homines? Et quæ nam hominum genera, ab illis accuratius cuſtodiantur? cui, dum vacamus operi, effectum date, ô ſancti Angeli Cuſtodes, vt Diuinæ Maieſtatis honor, & gloria, cum deuotione erga vos noſtra, mille incrementis, exaugeſcat, Amen.

I. Quinam cuſtodiant.

Ecce ego mitto Angelum meum, ait Angelorum Creator, *qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & in troducat in locum, quem paraui.* Ampliſſima promiſſio omnipotentis Dei, *cuius verborum principium, eſt veritas*, per quam de Angelica tutela certificamur. Sunt autem Angeli, quos ad obſequia ſalutis noſtræ & miniſteria ſubdelegauit, non de numero Apoſtatarum, qui à Deo per ſuperbiam, vnà cum Lucifero, defecerunt, & nil magis, quàm hominum perniciem, & interitum, in votis habent: quomodo enim amantiſſimus Pater, curam filiorum, quos *ita dilexit, vt filium ſuum vnigenitum daret*, infenſiſſimo inimico crederet? quomodo *Paſtor bonus*, immò Paſtorum Princeps, erranti, in hac lachrymarum valle, ouiculæ, lupum cuſtodem adiungeret? quomodo hominem, cui ſummis votis exoptat, *vt viuat*, ei, *qui fuit homicida ab initio*, committeret? quomodo nos rugientis Leonis rictui, ac dentibus, vltrò, ſua ſponte, obiectaret? abſit, à tanto amatore, crudelitas tanta.

I. Promiſſio Angelicæ Cuſtodiæ. *Pſal.* 118. *II. Deus non commendauit homines malis ſpiritibus.* *Ioan.* 3. *Ioan* 10. *Luc.* 14. *Ezech.* 18. *Ioan.* 8.

Nec dedecet ſummi Regis Aulicos, hoc ipſum tutelæ officium, ijs exhibere, qui domos luteas habitant; magis enim intuentur *Theſaurum*, quem portamus, *in vaſis fictilibus*, quàm exterius figmentum noſtrum, illoque miniſterio ſuo, potius in Deum, Angelorum & Hominum Creatorem, cuius prouidentiæ ſubſeruiunt, quàm in homines collimant. Et quis Angelorum cuſtodiam abnuat, quam tota, vtriuſq; Teſtamenti ſcriptura, tàm ſæpè inculcat? Moyſi iubebat Dominus: *Vade & duc Populum iſtum quo locutus ſum tibi; Angelus meus præcedet te.* Et iterum: *Mittam præcurſorem tui, Angelum.* Patriarcha Iacob aiebat: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Daniel affirmabat: *Deus meus, miſit Angelum ſuum, & concluſit ora Leonum & non nocuerunt mihi*: Iudith proteſtabatur: *Viuit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc exeuntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permiſit me Dominus, ancillam ſuam, coinquinari.* Affirmat Pſalmiſta: *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te, in omnibus vijs tuis.* Quin etiam de ſanctis Angelis Cuſtodibus, ipſe Saluator atteſtatur: *Angeli eorum, ſemper vident faciem Patris.*

III. Angelis non dedecet hominum cuſtodia. 2. *Cor.* 4. *Exod.* 32. *Exod.* 33. *Gen.* 48. *Daniel* 6. *Iudith.* 13. *Pſal.* 90. *Matth.* 18. *IV. Apoſtolorum temporibus credita fuit Angelorum cuſtodia.*

Et quod maioris eſt ponderis, Apoſtolorum tempore, inter Chriſtianos, non ſolùm, Iudæos, tàm erat Angelorum cuſtodia indubitata, vt cum Petrus ab Angelo, è carceribus Herodis liberatus, ad domum Mariæ, Matris Ioannis, qui cognominabatur Marcus, intempeſta nocte pulſaret,

Actor 12.

Digitized by Google

ſaret, puellæ Rhode nuncianti, Petrum pro foribus ſtare, omnes Domeſtici reſponderint, *Angelus eius eſt*, ac ſi cuſtos Angelus, Petri perſonam repræſentaret. Sed cur actum agimus, & quod omnes credunt, prolixius demonſtrare conamur. Angelorum namque tutelam & Impij Mahumetani non negant, ſed firmiter credunt, cum ſuo legiſlatore Mahumete, qui cum morbo ſontico, quem caducum vulgò nominamus, vehementiſſimè laboraret, callidè, nequiterque fingebat, Angelum Gabrielem ſibi toties apparere, cæleſtiaq; myſteria ſibi reuelare, quoties morbi acceſſio imminebat, cuius aſpectu tanta formidine concuteretur, vt pedibus ſubſiſtere nequiret. Quin etiam peſſimus olim Germaniæ noſtræ hæreſiarcha, Adelbertus, qui tempore S. Bonifacij, in Concilio Romano, à Zacharia Papa, damnatus eſt, mentiebatur, Angelos ſuos tutelares, ſibi quotidie apparere, diuinasque varijs de negotijs, reuelationes manifeſtare. Damnata inſuper in eodem Concilio, omnia fictitia Angelorum nomina, & non niſi tria illa, Michael, Gabriel, Raphael, quæ exprimit ſacra ſcriptura, in Eccleſia retenta; reliqua cũ nomine Vrielis (cuius mentio eſt in lib. 4. Eſdræ, qui ab Eccleſia non eſt approbatus) planè, tanquam Dæmonum potius, quàm Angelorum nomina reijciuntur. Sit nobis vel mille probationum inſtar, pollicitatio Diuina: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locũ quẽ paraui.*

S. Ioan. Damaſcenus li. de hæreſibus. Laonicus Chalcocondylas lib. 3. de rebus Turcicis: Cedrenus & Theophanes in Annalibus. Baron Tom. 7. ad annum 745.

Exod. 25.

II. Quæſtio igitur hîc exurgit. *Ex qua nam Hierarchia & ordine ſint Angeli, qui ad nos cuſtodiendos, mittuntur?* Quamuis omnium Hierarchiarum, & ordinum Angeli, Deo miniſtrantes, ſaluti etiam noſtræ cooperentur, & interiori miſſione, ſiue aliorum Angelorum illuminatione, noſtræ tutelæ curam agant, cum *omnes ſint adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis*: Aliqui tamen particulares ordines Angelorum, à Deo ſunt conſtituti, quibus ex officio incumbat, occupari circa miniſteria externa. Et iſti exteriori miſſione, ad gubernandos homines, ſunt deſignati. Quis enim de hac Angelorum, erga nos, propenſione, ambiguus fluctuet? Quomodo nouem Angelorum chori coniunctim pariter omnes, & diuiſim ſinguli, Diuina Charitate pleni, de nobis non ſint ſolliciti, ideoq; frequenter de rebus, quæ noſtram ſalutem concernunt, inter ſe non conferant. Id enim S. Auguſtinus expreſsè aſſeuerat: *Angelos ad adiuuandum nos, attrahit ſupereminens Charitas, propter Deũ, propter nos, & propter ſemetipſos: Propter Deum vtiq;, cuius tanta erga nos, viſcera pietatis, ipſi quoq;, vt dignum eſt, imitantur. Propter nos, in quibus nimirum, propriam ſimilitudinem admirantur. Propter ſeipſos, quorum ordines inſtaurand s ex nobis, toto deſiderio præſtolantur.* Si enim inter homines, teſte Ioanne Apoſtolo, *qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem*

I. Quæſtio prima, quinam, & ex qua Hierarchia cuſtodiant?

II. Omnes ordines Angelorum ſaluti noſtræ cooperantur.

Hebr. 1.

Lib. 2. med. cap. 3.

Ioan. 3.

tem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, non eſt Charitas Dei in illo: quid de tota Angelorum vniuerſitate, ſentiendum foret, niſi omnes humanæ ſaluti, cum ſint imbecillitatis noſtræ apprimè gnari, vnanimi dilectionis conſenſione, opitularentur? Stat verbum tuum ſancte Apoſtole Paule: *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus, in miniſterium miſsi, propter eos qui hæreditatem capient ſalutis.*

Hebr. 1.

III. Tribus ſupremis, prima Hierarchia choris non conuenit externa occupatio, circa cuſtodiam noſtram, ſed ſolum ſex inferioribus, ſecunda & tertia Hierarchia choris, id à Creatore eſt demandatum.

Secundò, illud nihilominus ratum, Tribus ſuperioribus, Angelorum Choris, Seraphinis, Cherubinis, Thronis, nō conuenire ordinariè, & ex officio mitti, exteriori miſſione, ad occupandum ſe, circa miniſteria externa, ſed hoc proprium eſſe, ſex Choris inferioribus, Dominationum, Virtutum, Poteſtatum, Principatum, Archangelorum, Angelorum, Ita tamen, vt Dominationes, Externa, circa hominum cuſtodiam, miniſteria, ſolum imperent, non autem exequantur, reliqui autem Chori, etiam exequantur. Et hoc ipſum, patet ex Nominibus, quibus à Spiritu ſancto, in ſcripturis Diuinis, ſinguli Chori appellantur. Quæ cum omnia ſint appellatiua, magis quàm propria, expreſsè intelligimus nomina quæ Choris primæ Hierarchiæ attribuuntur, nullum ordinē ad externa Miniſteria, importare; ſecus ea quæ denominãt ſex Choros inferiores: Nā *Dominationes* dicuntur, quia tanquā ſupremi Domini, ſtatuunt & mandant, quid ab alijs, circa exteriora miniſteria, exequendum: *Virtutes*, qui mira & prodigioſa, pro hominū bono efficiūt; *Poteſtates*, qui plurimū pollent, in arcendis & debellandis hoſtib⁹, malignis; *Principatus*, qui præſunt Regnis, & Prouincijs; *Archangeli*, qui ſuma, *Angeli*, qui ordinaria nunciãt, quibus omnibus exteriora circa nos miniſteria, inuoluuntur: E contra, tres Chori ſupremi, nil tale indicant: Nā *Seraphin* dicuntur, qui ardent Charitate, *Cherubin*, qui p̄ſtant ſciētia; *Throni*, in quibus tanquā in regali Throno, De⁹ reſidet, vbi null⁹ ad externū aliquod miniſteriū reſpectus. O liberaliſſimū, Æterni illi⁹ Numinis erga nos amorē. Ecce tibi, ô Anima Chriſtiana, tres ſolū Angelorū Choros, Angelorū Creator, domeſtico ſuo famulitio reſeruauit: Sex Choros miniſterio tuo addixit: Fateor, ô benigniſſime Deus à te veriſſimè dici: *Ecce ègo mitto Angelos meos*, ſex choris cōtentos, *q. præcedant te, & cuſtodiant in via, & introducãt in locū quē paraui.*

IV. Nomina omnium ordinum Angelorum appellatiua, & ſignificant vniuſcuiuſq; chori ſiue Miniſterium internum circa Deum ſiue externū circa homines.

V. Immenſa Dei erga nos liberalitas.

VI Suprema etiā Hierarchia Angelos, Deus mittit, in miniſterium humanum.

Verum enim verò, vt ſumma Diuinæ munificentiæ, atq; in nos beneuolentiæ, propenſio, magis illuceſcat, non rarò, è ſupremæ etiam Hierarchiæ Choris Angelos, Domeſticos & Aulicos ſuos, miſit: Sic namq; apud Eſaiā Seraphin, Prophetæ labia tangens, emundauit, & ad eloquentiam diſpoſuit. Sic in Geneſi collocantur Cherubin, ante Paradiſum voluptatis, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, ne exinde homo lapſus comedens, æternis, in quas ſe peccando immerſerat, miſerijs, immor-

1. Seraphin.

2. Cherubin

3. Idem apud Ezechielem. *Ezech. 10.*

immortalis, ſuccumbere, & conflictari cogeretur. Sicut apud Ezechielem, varia alia Sanctorum Cherubin miniſteria leguntur: *Stant à dextris Templi cæleſtis, & ſumptum ignem dant in manus ei, qui indutus erat lineis: ambulant pariter cùm rotis: Eleuant & percutiunt alis.* Præterea S. Archangelus Michaël, à Daniele intitulatur, *Vnus de Principibus primis, qui venerit in adiutorium, alterius Angeli*: Et iterum: *Nemo eſt adiutor meus, in omnibus his, niſi Michaël Princeps veſter.* Et in Apocalypſi perhibetur; Dux belli contra Draconem fuiſſe. In Canonica item Epiſtola Sancti Apoſtoli Iudæ, fertur altercando, cum diabolo, de corpore Moyſis diſputaſſe. Sancta denique Eccleſia, videtur eum inter primas Hierarchias collocaſſe, dum ſic eius laudibus accinit: *Collaudemus venerantes, omnes cæli milites, ſed præcipuè primatem cæleſtis Exercitus, Michaelem; conterentem in virtute Zabulum.* Et rurſùm appellat eum. *Præpoſitum Paradiſi, quem honorificant Angelorum ciues*; eundemque in Litaneuticis precibus, immediatè, poſt Angelorum Reginam, inuocat & compellat. Gabrielem quoq; ex Supremis Angelis eſſe, tàm Miniſterij altitudo, ad quod annunciandum miſſus eſt, quàm S. Bernardi auctoritas, idem aſſerentis, perſuadebunt. Vnde cum ortum Præcurſoris Zachariæ nunciabat, inter cætera proteſtabatur: *Ego ſum Gabriel, vnus ex ſeptem, qui adſtant ante Dominum.* Raphael denique apud Tobiam, vt omnem dubitationem aufferret, quis, vnde, qualis nam ſit, apertè profitetur: *Ego ſum vnus ex ſeptem, qui adſtamus ante Dominum.* Et quid opus eſt, plura ſcripturarum teſtimonia coaceruare, cum Apoſtolus adeò luculenter aſſeueret: *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Cui & illa ratio accedit: Si æterno Patri, Coæternus Filius, venit miniſtrare; quid ni idem de ſupremis Angelis ſentiendum, qui Regis & Creatoris ſui humilitatem, imitari nunquam recuſabunt? Credamus itaque Spiritui ſancto, affirmanti: *Ecce ego mitto Angelos meos, qui præcedant te, & cuſtodiant in via, & introducant in locum, quem præparaui.*

4. S. Archangelus Michaël. Dan 10. Apoc. 12. Iudas in Ep. In officio S. Michaelis. Ibidem. 5. Archangelus Gabriel. Ser. 1. ſuper miſſus eſt. 6. Raphael. Luc. 1. Tob. 12. Hebr. 1. 7. Ratio.

VII. Cuſtodia priuatorum hominum committitur infimi Chori Angelis: Magiſtratuum ſuperiorum ordinū Angelis. Li. 4 cæleſtis Hierarch. Sap. 11.

Vt denique à generalibus ad particularia propius accedamus: cuſtodia priuata, id eſt negotiorum & hominum priuatorum, committitur infimi ordinis Angelis; Cuſtodia publica, homines publica negotia pertractantes concernens, ſuperioribus Angelis, demandatur, iuxta doctrinam S. Dionyſij Areopagitæ; *Nam ordo diuinæ prouidentiæ, diſponentis omnia, in numero, pondere & menſura,* exigit, vt inter cuſtodientium, & cuſtoditorum ſeriem, debita proportio intercurrat, & ex æquo, vtrinque ſibi mutuò reſpondeatur: Quamobrem negotia & homines priuati, poſtremò cuſtodientium ordini erant committendi. Negotia verò, & perſonæ publicę, tanquam altioris ordinis, ſuperiorum ordinum Angelos, poſtulabant;

labant, ita vt negotijs & Perſonis, altioris dignitatis, altioris etiam gradus Angelus, aſſignetur. O quàm efficaciter, promiſſionem tuam exequeris, potentiſſime Angelorum Creator: *Ecce ego mitto Angelos meos, qui præcedant te, & cuſtodiant in via, & introducant in locum, quem præparaui.* Et iſta de Angelis Cuſtodientibus, dicta ſufficiant. Accedamus nunc, & expiſcemur, quos nam in cuſtodiam ſuam recipiant, quos excludant.

Ab Angelica in primis cuſtodia, propter eminentem quandam dignitatem aliqui, ſiue propter inſignem indignitatem, alij eximi videntur. Dignitas Chriſtum Dominum excipere, haud dubiè videtur. Indignitas Gentiles, alioſq; ad æternam damnationem præſcitos. Vt verò res omnis, tantò luculentius appareat, omnia in paucas quæſtiones conijciemus. Et primò in diſceptationem cadit: *An Chriſtus Dominus, habuerit Angelum cuſtodem?* Reſpondemus: Regem Angelorum, plurimos ſub ſe habuiſſe miniſtrantes, nullum tamen ſe cuſtodientem; id enim erat ſuperfluum, & eius Perſona indignum. Miniſterium enim Angelorum iure ſuo efflagitabat, *qui erat imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis Creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa, in cælis & in terra: Viſibilia & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt; Et ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Quid ni ſæpius Creatori ſuo, debita obſequia detuliſſent? Sic Archangelus eius Incarnationem, qui dixit: *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Sic eius natalem Angeli nunciarunt, eique Genethliacum cæleſte cecinerunt: *Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus, bonæ voluntatis:* Sic tres Magos, ab orientis partibus euocatos, in reditu, Herodis hoſpitium, declinare iuſſerunt: Sic Deum infantem, gladio iam deſtinatum, ab Herodiana ſicâ, defenderunt, & Ioſephum cum puero & Matre, in Ægyptum ſecedere monuerunt, Ioſepho ſuadentes: *Accipe puerum & Matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi, vſque dum dicam tibi.* Sic fameſcenti Chriſto, poſt quadraginta dies eſuriales in Eremo exactos, & Cacodæmonis tentationes eluſas, acceſſerunt, & velut Dapiferi, Domino ſuo, menſam poſuerunt. Sic mæſtum & orantem in horto Chriſtum, conſolati ſunt; *apparuit illi Angelus, confortans illum.* Sic Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe, mulieribus denunciarunt; Sic Domino in cælos aſcendente, apparuerunt: *Ecce duo viri aſtiterunt, iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus qui à vobis aſſumptus eſt in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.* Sic Dominum ad iudicium rediturum comitabuntur: *Cum venerit Filius hominis in Maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo; tunc ſedebit, ſuper ſedem Maieſtatis ſuæ.* Sic in reſurrectione generali, exibunt, iuſſu iudicis,

Marginalia: III. De Cuſtoditis. — I. *Quæſtio: An Chriſtus habuerit Angelum cuſtodem?* — *R. Negatiuè.* — *Coloſſ. 1.* — 2. *Exempla Miniſterij Chriſto ab Angelis exhibiti.* — *Luc. 1.* — *Luc. 2.* — *Matth. 2.* — *Matt. 4.* — *Luc. 22.* — *Marc. 16.* — *Actor. 1.* — *Matt. 24.* — *Matt. 25.*

Matth. 25. & *ſeparabunt malos à bonis.* Tametſi verò Chriſto Domino, variè miniſtrauerint, nulla tamen eius peculiaris cura, illis legitur commiſſa, cum in ipſo ceſſet, omnis planè finis, quem propter, Cuſtos ex Angelis, alijs hominibus aſſignatur: Cum enim hic alius non ſit, quàm vt per ipſorum miniſteria, varij humanæ Naturæ defectus, ſcientiæ ac potentiæ potiſſimum, ſuppleantur: Chriſtus autem, *æterni Patris conſubſtantialis filius,* non ſolùm omnipotens, portanſq; omnia verbo virtutis ſuæ, ſed etiam omniſcius fuerit, vtpote *in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei ſunt abſconditi,* ceſſat in ipſo, omnis Angelicæ cuſtodiæ ſcopus, ac proinde cuſtodia ipſa caſſatur. Et ſanè Chriſto Domino Cuſtodem adiungere, nil aliud fuiſſet, quàm addere profundiſſimo alicui Theologo, loco Magiſtri, nullius literaturæ ruſticum, aut fortiſſimo giganti, defenſorem inualidum puerulum aſſignare. Quam veritatem, ipſo facto Angeli ſatis conteſtati ſunt, dum tempore inſignis illius duelli, inter Chriſtum & Sathanam, receſſerunt; eo verò peracto acceſſerunt, illique, vt famuli Domino, miniſtrarunt. Saluator itaque non indigebat vllo modo Angelo Cuſtode.

3. In Chriſto ceſſat finis Angelicæ cuſtodiæ.

Iob. 1.

Coloſſ. 2.

Matth. 4.

Q. II. An Beatiſſima Virgo habuerit Angelum cuſtodem.

Pergamus vlterius; *Habuit ne Beatiſſima Virgo Deipara Angelum Cuſtodem?* Haud poteſt negari: Nam etſi *Domina & Regina eſſet Angelorum,* in ea tamen integer manebat præcipuus Angelicæ cuſtodiæ finis, Defectus, inquã, ſcientię & potentię; Tametſi enim Virgo, adhuc in terris exiſtens, in gratiæ ſanctificantis muneribus, omnes ad vnum ſanctos, tàm ex hominibus, quàm Angelis, altiſſimè ſuperârit; quia tamen pura, vt Theologi loquuntur, viatrix erat, & viſione beatifica, ſaltem ordinariè, non fruebatur, ab Angelo Cuſtode, plurima potuit percipere, & ex eius illuminationibus haurire. Eadem ratione, quamuis *fecerit illi magna, qui potens eſt,* quia tamen; Diuina ſapientia, *ſuauiter omnia diſponens*; ab ordine ſemel, in rebus conſtituto, non facilè recedit; hinc Virgini glorioſæ, Diuinas Inſpirationes, aliaſq; gratias, quas Electis, Diuina bonitas, communicare conſueuit, nõ niſi mediantibus Angelis, ſubminiſtrauit. Quinimò, etſi nulla pro hac veritate, ratio militaſſet, ſuffiecies illa iudicari potuiſſet, quod *lectulum Salomonis,* non vnus, ſed *ſexaginta ex fortiſſimis militibus Dei Iſraël ambiuerint,* quibus ita cuſtodiebatur, vt oculis, cælitus illuminatis, nil niſi *caſtrorum Angelicorum Chori,* videri potuiſſent. Idem denique foret Virgini Dei Matri, Angelum Cuſtodem attribuere, quod humanitus fieri conſueuit, dum Reginæ adoleſcentulæ, ex Gynecæo Palatij, Magiſtræ & Doctrices, adiunguntur: licet enim dignitate fuerit maior; conditione tamen, quàm diu in hac via, ad patriam peregrinata eſt, impar remanſit; Vnde Cuſtode Angelo, non deſtituebatur.

Luc. 2.

Sap. 1.

Cant. 3.

Cant. 7.

Quid

Digitized by Google

Quid de Ioanne Baptiſta, Hieremia Propheta, in vtero ſanctificatis? & de Apoſtolis, poſt acceptum Spiritum ſanctum? Quid de alijs ſanctitate conſpicuis viris, qui adhuc in terris degentes, in gratia confirmati, videntur? habueruntne Angelos Cuſtodes? Vtique habuerunt: Nam ſi in gratia confirmati, illis indigent, tùm vt eorum corpora, & alia, quæ ad ipſos ſpectant, tueantur: tùm quia tantum abeſt, vt confirmatos in gratia, qua Deus complures ex electis, in hac vita donat, ab Angelorum cuſtodia excludat, vt priuilegium confirmationis, eam vel maximè includat: Eſt enim ſpecialis aſſiſtentia & protectio Dei, qua Deus, relicta homini, omnimoda ſua libertate, communicat, congruas inſpirationes in intellectu, piaſque affectiones in voluntate, amouetque pericula, & occaſiones peccandi, vſque ad finem vitæ. Quemadmodum igitur, Diuina prouidentia, quæ iſthæc omnia, per Angelos præſtare conſueuit; Ita peculiaris, Angelorum cuſtodia, pars confirmationis in gratia, eſt cenſenda.

Q. III. An Ioannes Baptiſta, Hieremias, Apoſtoli, habuerint Angelos cuſtodes.

Quid ſit confirmatio in gratia?

Inſtamus vlterius: *Num Angelus Cuſtos, ſolùm adiungatur baptizatis iuſtis, aut prædeſtinatis, an verò etiam, infidelibus, peccatoribus, & ad æternam damnationem præſcitis?* Certum eſt non ſolùm fideles & Baptizatos, Iuſtos atque prædeſtinatos, verùm etiam præſcitos, atque adeò omnes omninò homines, ſuos ex Angelis habere Cuſtodes. Conſtat id è ſacris literis, dum Perſis & Græcis, tempore Danielis, Angelum Cuſtodem attribuunt, qui tamen infideles, non baptizati, & maximam, haud dubiè partem, ad damnationem æternam, præſciti erant. Et ratio id perſuadet: Nam Deus neminem, quantumuis peccatorem, ſufficientibus priuat auxilijs, ad ſalutem conſequendam, inter quæ Angelorum cuſtodia haud immeritò numeratur. Cum enim homo, per ſe non ſit ſufficiens, ad reſiſtendum Dæmoni, qui à Deo permittitur, tentare iuſtos, & iniuſtos, fideles & infideles, inter auxilia ſufficientia, vtique numeranda erit, contra eundem Dæmonem protectio & defenſio, quam eum Deus ordinariè per Angelos exhibeat, ſatis apertè conſtat, Angelicam cuſtodiam, auxilio ſufficienti annumerandam. Quæ res adeò eſt indubitata, vt omnes pariter Theologi, nec *Antichriſto, qui eſt homo peccati, filius perditionis*, Angelum Cuſtodem, auſint abrogare.

Q. IV. An ſolis Electis an verò etiam præſcitis ſit Angelus Cuſtos?

Dan. 10.

S. Tho. 1. p. q. 113. a. 4. ad 3. Pererius lib. 4. in Dan.

2. Theſſ. 2.

Et iſtud explicatum cupimus: *Num vnuſquiſque proprium habet Angelum Cuſtodem?* Non eſt dubitandum: & conſtat ex verbis Chriſti dicentis: *Angeli eorum, ſemper vident faciem Patris*: Et Domeſtici Petri affirmant: *Angelus eius eſt.* Hoc ipſum expreſſiſſimè affirmat S. Hieronymus: *Magna*, inquit, *dignitas animarum, vt vnaquæque, ab ortu Natiuitatis, habeat in cuſtodiam ſui, Angelum delegatum.* Accedit S. Anſelmus: *Vnaquæque anima, dum*

Q. V. An vnuſquiſque proprium habeat Cuſtodem?

Matth 18.

Actor. 12.

In c. 18 Mat.

Digitized by Google

Lib. 3. de præparatione Euangelica cap. 7.

dum in corpus mittitur, Angelo committitur. Et Euſebius: *Angelum, vnicuique ad cuſtodiam datum, addiſcimus è ſcriptura.* Et addit: Ex eadem, Platonem & Socratem, ſimile dogma, ex proprio cuiusq; genio hauſiſſe.

Q. VI. An vnus à pluribus cuſtodiatur?

Rurſum quæſtio emergit: *Vtrum vnius hominis cuſtodia, ad vnum tantum ſpectet Angelum; An verò idem à pluribus cuſtodiatur?* Ratum eſto, nullum hominem adeò vilis, abiectæque conditionis eſſe, qui ad vnius tantum Angeli, curam ſpectet: Nam nullus ita priuatus eſt, qui non ſit pars alicuius Communitatis; At eo ipſo, quod eſt pars cuiuſcunq; Communitatis, ipſius curam gerit, non modò Angelus Cuſtos proprius, ſed etiam is, cui cura illius Communitatis concredita eſt; nam ſine bono partium, bonum totius non ſubſiſtit. Ergo præter proprium Angelum cuſtodem, habebit ſemper alium, vel alios, ad quorum cuſtodiam ſpectet, & eò plures, quo fuerit pars plurium Communitatum.

Vnus homo plures poteſt habere Angelos cuſtodes.

Ex quo facile colligo, ex vobis vnumquemque habere, pluſquam decem Cuſtodes. I. Proprium Angelum Cuſtodem. II. Angelum huius Parochiæ. III. Si ſit in Fraternitate SS^mi^ Sacramenti, Angelum Præſidem, illius Fraternitatis. IV. Si ſit in Sodalitio B.^mæ^ Virginis, vel Roſarij Confraternitate, Angelum Præſidem illius Fraternitatis. V. Angelum huius Eccleſiæ Parochialis. VI. Angelum Ciuitatis Bambergenſis. VII. Archangelum Epiſcopatus Bambergenſis. VIII. Archangelum totius Germaniæ. IX. Archangelum Imperij Romani. X. Archangelum totius Eccleſiæ Catholicæ, XI. Archangelum totius Mundi ſublunaris. XII. Archangelum totius vniuerſi. Nec deſunt, qui exiſtiment, ſingulas etiam domos, & familias, & præſertim parentes liberos habentes, & ad pietatem eos aſſiduè incitantes, habere proprios Angelos tutelares. Vnde Abulenſis affirmat, Angelum, qui reduxit Agar ad domum Abrahæ, vnde erat profuga, fuiſſe domus eiuſdem Angelum tutelarem. *Periculosè* ergò *ille contemnitur*, rectiſſimè infert S. Hilarius, *cuius deſideria & poſtulata, ad æternum ac inuiſibilem Deum, ambitioſo Angelorum famulatu, ac miniſterio, peruehuntur.*

Apud Albertinũ de S. Angelo cuſtode. cap. 2. Ad cap. 18. Matth.

VII. S. Franciſca Romana ſemper videbat Angelos cuſtodes.

Optarem ego non ſolum mihi, ſed & vbique omnibus Chriſti fidelibus, eam gratiam, qua ſanctiſſima femina, Franciſca Romana, diuinitùs erat inſignita, vt apertis oculis, Angelos ſuos Cuſtodes, ſibi præſentes, frequentiſſimè conſpiceret. Hiſtoriæ totius ſeriem, Guilielmus Baldeſanus, in hæc verba conſcripſit: *Sancta Franciſca Romana, quæ annis ab hinc amplius centum quinquaginta, plena ſanctitate, plena gloria, plena miraculis deceſſit, iamque Romano inſcripta Martyrologio* (imò verò non ita pridem, in Diuos relata & canonizata) *hoc præter cætera à Deo donata fuit munere, vt ſecum haberet duos, ex numero cæleſtium ſpirituum: alterum ex Archangelorum*

Li. 2. Stimuli virtutum, Ex eius vita Franciſcus Albertinus de S. Angelo cuſtode. cap. 7.

gelorum Choro, qui nunquam ab ea diſcederet; atque inſuper alium, ex quarto beatorum Angelorum ordine, qui non ita quidem aſſiduè, ſed frequenter ſe illi oſtenderet. Hos ſæpè, præſentibus alijs, ſed nihil videntibus, hac ferè ſpecie intuebatur. Veſtes erant candore plerumque niueo, aliquando cæruleo, rarius purpureo colore. Alter implexa ſemper in crucis modum brachia, pectori apprimebat; alter ex auro, tres palmæ ramulos, dextra præferebat; vterque, quamuis vicini eſſent, Virgini, & prior ille, ſemper dextrum claudebat latus, in cælum defixos habebat oculos; vtrique promiſſa & aurea Cæſaries; vtrique ea claritas vultus, vt præ altero, ſol ipſe minus luceret; præ altero, nubeculæ inſtar obſcura, eſſe videretur. Archangelo tanquam Magiſtro vtebatur, qui eam omni tempore, cæleſtibus myſterijs erudiebat, & quid agendum, quid fugiendum, inſtruebat. Atque ita ex vtriuſque conuentione, incredibilem meritorum cumulum, quotidie adaugebat. hæc ille.

Ne pigeat obſecro paucis audire, quid obſequij, S. Wilhelmo præſtiterint, Angeli ſancti. *Beatus itaque VVilhelmus, in illo humili tugurio conſtitutus Deo & hominibus gratus efficiebatur & dilectus. Manibus pectus, genibus pauimentum tundebat, votis & deuotis precibus, cælos cumulabat, lachrymis genas rigabat, gemitibus, & ſuſpirijs, tugurium immugiebat. His & alijs ſimilibus exercitationibus aſſuetus, cæpit Angelorum iucundari aſpectibus, erudiri viſitationibus, commoueri ſuggeſtionibus, ſedulitate conſolari. Ingenti cura, magnoque tripudio, Angeli aderant pſallenti, intererant oranti, inerant meditanti, ſupererant quieſcenti, præerant operanti, ſollicitè conuerſo congaudebant, triſtem confortabant, ignorantem inſtruebant, tentatum protegebant, & in omnibus ipſi prouidebant. Ecce hæc fuerunt in dilecto Dei ſeruo conuerſionis imitanda primordia. Ecce pœnitentis veneranda præconia.* Hæc Theobaldus Epiſcopus. Quæ nam ad commemorata ſanctorum Angelorum ſeruitia maior acceſſio fieri potuiſſet?

VIII. S. Wilhelmus. Theobaldus Epiſcopus In vita S. Guilielmi, Eremitæ, cap 14.

Subnecto aliam, recentioris pariter, & viuacioris memoriæ hiſtoriam, Roma, in Germaniam noſtram, anno ſuperiori, ſcriptis euulgatam. Vir conſpicuæ ſanctimoniæ, eximiæque integritatis, R.P Franciſcus de Bergamo, ſtrictiſſimi ordinis, Seraphici Patris S. Franciſci, Cappucinus, in vita, & poſt mortem, præcipuè, infinitis propè miraculis inclareſcens, ætatis anno Nonageſimo tertio, Religioſæ illius vitæ ſeptuageſimo, ſecundo die menſis Octobris, anni præteriti, ſupra milleſimum, ſexcenteſimum, vigeſimi ſexti, in Monaſterio Patrum Cappucinorum, viuere deſijt, in cuius felle, vndecim lapides precioſi inuenti, quos velut ſummi precij theſaurum, ſummi Eccleſiæ Prælati, & ipſemet ſanctiſſimus Dominus noſter, Vrbanus octauus, æſtimaſſe, interque ſe mutuò diuiſiſſe, perhibentur. Hic inter alia, quæ de ipſo admiranda, & ſtupenda memorantur, notiſſima pietate ſua, in tantam, Angeli ſui Cuſtodis, familia-

IX. R. P. Franciſcus de Bergamo Cappuccinus.

ritatem, ſemet iam pridem, inſinuârat, vt is non ſolùm, in quibuſcunque, grauioris momenti negotijs, ſe illi viſibiliter præſentem ſiſteret, verùm etiam octennio integro, ante obitum, humana ſemper ſpecie, conſuetas horas Canonicas, Diuinasque laudes, cum ipſo perſolueret. Adeò promptè ſancti Angeli, Dei ſeruis, Diuino præſertim cultu occupatis, ſubſeruiunt & famulantur.

Vos itaque ô Angeli ſancti, ſiue immediate, ſiue mediante qualibet communitate aut officio, ad Cuſtodiam noſtram deputati, humillimo cordium affectu obteſtamur, vt quantò fragiliores ſumus, tantoque magis auxilijs & ſubleuamine veſtro indigemus, eò promptiori alacritate, nobis in omni neceſſitate ſuccurratis, veſtræque tutelæ centuplicatos fructus, in æterna ſalute noſtra, efficaciſſimè procuranda, reportetis, vt in conſortio veſtro, cæli ciuibus adnumerati, per vos, vnaque vobiſcum, Diuinam bonitatem atque Clementiam, inceſſabili gratiarum actione collaudemus. Amen.

SERMO VI.

An ſolis hominibus, vel etiam Communitatibus Hominum, & alijs Creaturis, propter Hominem creatis, vel etiam locis pijs, Angeli ad cuſtodiam, præficiantur,

Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Hebr. 1.

QVemadmodum in ordinato Regimine, particularibus officijs, peculiares etiam Perſonæ præficiuntur, vt cuilibet facilius cadat, impoſitam ſibi Prouinciam ſuſtinere: Sic Sapientiſſimo Numini placuit, non ſolùm particularibus Angelis, ex infimo, vt plurimum, Angelorum Choro, particulares & ſingulares homines, cuſtodiendos committere, verum etiam, vt maior eius, pro noſtra ſalute, vigilantia & ſolicitudo, eluceſceret, rationales pariter, & irrationales Creaturas, hominis cauſa conditas, diuerſa inſuper Regna, Populos, Nationes, Prouincias, Reſpublicas, & alias Communitates, Angelicæ tutelæ, atque protectioni ſubdelegare. Quod ipſum, vt eò diſtinctius, maiorique perſpicuitate intelligatur, præſenti ſermone, in paucas quæſtiones, rem omnem, iuuantibus Angelis Cuſtodibus, compendio merè didactico, redigemus, vt veritas ipſa, tantò facilius, à vobis, auditores dilectiſſimi, capiatur.

Primò.

Primò omnium in diſceptationem vocatur; *Num præter hominem rationalem Creaturam, ad imaginem Dei conditam, irrationales etiam Creaturæ, ab Angelis cuſtodiantur?* Certum eſt inprimis, Angelos præſidere quatuor Elementis, ex quibus homo compoſitus eſt, quoad corpus. Hinc in Apocalypſi, *Angelus exiuit, qui habebat poteſtatem ſupra Ignem*: Hinc Ioannes aſſerit: *Audiui Angelum aquarum.* Item ſpecialius alibi atteſtatur de quatuor Angelis, quatuor Elementorum: *Ecce ego Ioannes vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui: Et clamauit voce magna, quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere mari & terræ dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoaduſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.* Vnde S. Auguſtinus, S. Gregorius Nazianzenus, & vtroque vetuſtior Origines, omneſque cum S. Thoma, coriphæo ſuo, & anteſignano Theologi, tradunt, conceſſum Angelis, Elementa pro libitu diſponendi, ac Dæmones, Aëris Poteſtates, coercendi facultatem, ne quoties moliuntur, Elementa, ad hominum & animaliũ perniciem, corrumpere poſſent. Quin etiam addit S. Thomas, *non ſolùm Animalium ſingulis ſpeciebus, ſed & corporeis rebus alijs, Natura diuerſis, Proprios Angelos, à Deo Præpoſitos, à quibus in ſuo eſſe, propter hominem, ad ornatum totius vniuerſi, conſeruentur.* Cuius rei ratio à Theologis aſſignatur: Nam vna ex parte, Naturarum huiuſmodi conſeruatio, per ſe, ad bonum hominis & totius vniuerſi, ſpectat: Ex altera verò, facilè à Dæmonibus, qui hominum bono, vbicunq; datur poteſtas, nocumenta inferre nõ omittunt, lædi, ac detrimentum incurrere poſſent. Ordinem ergò Diuinæ Prouidentiæ decuit, & his Creaturis, Angelos Cuſtodes addere, qui & mala ipſis aduerſantia diſpeſcerent, & bonum congruens, aptis medijs procurarent; maximè, cum frequenter in his aliquid, præter communem curſum cauſarum Naturalium, euenire neceſſe ſit, propter ſuperiorem, & ſupernaturalem ordinem, Diuinæ prouidentiæ, cui inferior & Naturalis meritò cedit. Ecce dignitatem tuam, ô Anima Chriſtiana; Non tu ſolùm, Tutelari Angelo, es à Deo concredita, quin etiam, propter te omnia Elementa, & quicquid corporearum Creaturarum, ex Elementis compactum eſt, ab Angelis protegitur, & ab interitu, quem Dęmon, omni momento, intentat, protegitur & liberatur: Ipſi enim *ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

I. Creaturæ irrationales
Q. I. An præſint etiã Irrationalibus Creaturis.
I. Præſunt Angeli Elementis.
Apoc. 14.
Apoc. 16.
Apoc. 7.
II. Vniuſcuiuſq; ſpeciei Creaturis praeeſt ſingularis Angelus.
S. Aug lib 3. de Trin. c 2.
Naz. or. 2. de Theolog.
Orig. Ho 13. in Numer.
S. Thom. 1. p. q 113. art. 2.
III. Præſunt ſingulis corporeis rebus ſpecie & natura diuerſis.
Li. 3 contra gentes ca. 85.

Rurſum ſi noſſe aueas: *Num præter Angelos Cuſtodes, Singulorum hominum, alij quoque ad tutelam Regnorum, Prouinciarum, Nationum, Populorum, Communitatum, Rerumq; publicarum, à Deo deſtinentur?* Facilis eſt, ex cõmuni Sanctorum Patrum aſſenſu, reſponſio: Nullam eſſe inſigniorem aliquã Prouinciam, Populum, Nationem, Communitatem aut Rempublicam,

II. An ſingulæ Prouinciæ, Regna, Reſpublicę & Cõmunitates, habeant proprios Cuſtodes.

I. Id Moyſes affirmat. Deuter. 32.

quæ ſpeciali cuipiam, certoque Angelo non ſit commiſſa: Nam in ſcriptura Moyſes atteſtatur: *Quando diuidebat Altiſsimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populum ſuorum, iuxta numerum filiorum* Dei, id eſt ſanctorum Angelorum, vt expreſsè legunt, ſeptuaginta interpretes, vnà cum S. Baſilio, diſertiſſimis verbis affirmante, *Angelos peculiares, ſingularum gentium, Præpoſitos eſſe diuinitus conſtitutos.* Addit Origenes in confuſione linguarum ad turrim Babel, vnumquemque ex Angelis, Præpoſitis cuilibet Regno, eam incolas, perdocuiſſe linguam, quę in poſterum, inibi erat vſurpanda. Diſtinctius hæc veritas probatur; ex primo capite Danielis, vbi quatuor Angeli Præſides, introducuntur, quorum vnus erat Princeps Regni Perſarum, alter Princeps Græcorum, tertius, Princeps captiuorum in Perſide Iudæorum; Quartus Princeps populi Dei. Cui etiam Eccleſia ſuffragatur, dum in hymno Angeli Cuſtodis orat: *Vt Angelus cuſtos, de patria ſibi credita, auertat, quicquid requieſcere non ſinit, incolas.* Et quid ni, ſapientiſſimus orbis Gubernator, ſingulas Prouincias, Regna, communitates, tali præſidio communiuiſſet? Pertinebat equidem, ad eius Prouidentiæ ordinem, conuenientibus medijs, non minus publicum, quàm priuatum bonum procurare: quin etiam, cum publicum, maius & diuinius, priuatum longè ſuperet, videtur etiam natura ſua, maiorem, ſapientiſſimi numinis ſolertiam & vigilantiam, expoſtulare. Quod ſi Deus infima, per media, ad ſuos quàm aptiſſimè fines deducens, cuiuslibet hominis priuati bono, Angelum tutelarem deſignauit, quantò magis, bonum commune pluribus hominibus, Angelico miniſterio, duxerit gubernandum? Annon huius integritas, non minus ad Conditoris gloriam facit, & propter aſſiduas Dæmonis impugnationes, qui ſitim ſuam, aquis particularium bonorum, extinguere non poteſt, *ſed habet fiduciam, quod Iordanis in os eius influat*, haud minus indiget Angelorum ſubſidio, quàm bonum hominis priuati? Exiſtimat autem S. Thomas, Regnorum, Prouinciarum, Principatuum, Nationum, Populorum, Communitatum cuſtodiam ad ordinem Principatuum, vel Archangelorum, pro cuiuſque dignitate ſpectare. Res itaq; certa & comperta, ſingulos Angelos, è ſuperioribus mediæ & infimæ Hierarchiæ, Regna, Prouincias, Populos, Nationes, Reſpublicas, gubernare, cum *ſint omnes Adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

II. S. Patres & Eccleſia affirmant. Lib. 3. contra Eunomium. Homil. 11. in Numeros. Dan. 1. In officio Angeli Cuſtodis. III. Pertinet ad Prouidentiā Dei. Iob. 40. 1. p. q. 113. a. 3

III. Epiſcopatus, Monaſteria, Parochiæ, Collegia, Exercitus. I. Probatur è [illegible]

Quid denique de Epiſcopatibus, de Parochijs, Monaſterijs, Collegijs, Exercitibus, Fraternitatibus & Sodalitijs cenſendum? Quid de Ciuitatibus, Oppidis & Caſtellis? An ſingulis, Angeli peculiares ad cuſtodiam ſunt attributi? Nemo ſanæ mentis, inficias ibit: Nec enim fruſtra promi-

promiſit Deus per Prophetam: *Super muros tuos Hieruſalem, conſtitui cuſtodes; tota die & nocte, perpetuo non tacebunt.* Qui nam inſomnes iſti Excubitores? haud dubiè Angeli ſancti. Et, quis ignorat, ſeptem Aſiæ Eccleſijs, in Apocalypſi, ſeptem Angelos præfuiſſe, quibuſcum Deus, velut cum ipſiſmet Epiſcopis, loquebatur? Nec mirum, omnes eiuſmodi, ſiue Eccleſiaſticas Reſpublicas, ſiue politicas Communitates, proprij tutelaris Angeli, præſidio gaudere, cum omnes & ſingulæ, peculiarem ad Diuinam gloriam, relationem importent, ideoq; indubitatam Dæmonis ſuſtineant impugnationem, vnde peculiaris itidem Angelus requiritur, qui bonum illud commune, ſua tutela confoueat, atque defendat. *Eſai. 62. Apoc. 2. 3.* *II. Ratione.*

Hîc aures arrigite, Pontifices, Epiſcopi, Archimandritæ, Abbates, Parochi, Animarum Curiones, Imperatores, Reges, Principes, Exercitus Duces, locorum Præſides, alijque in Eccleſiaſtica, vel ſæculari dignitate, conſtituti optimates, quibus præter bonum priuatum, cum poteſtate, boni communis procuratio, incumbit; Vos vltra Angelum Cuſtodem, quem tanquam perſonæ priuatæ accepiſtis, alium, officij veſtri, Tutelarem Angelum, Diuinæ Bonitati acceptum, ferte, qui vos ad ſcopum Diuinæ gloriæ, coniunctim dirigant, feliciterque perducant. Quemadmodum enim vos, duplici egetis prudentia & rectitudine, tùm priuata, tùm publica, & quoad vtramque, Dæmonis impugnationi expoſiti eſtis: Sic duplici, vna inferioris ordinis, qua Perſonæ priuatæ, Altera ſuperioris ordinis, qua Magiſtratum geritis, directione indigebatis, quam vobis vtramque, Diuina liberalitas, munificentiſſimè, tot Angelos, veſtræ Cuſtodiæ attribuendo, elargitur: Ipſi enim *omnes ſunt Adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hereditatem capiunt ſalutis.* *III. Admonitio ad omnes eiuſmodi communitatum Antiſtites & Præſides* *IV. Duplex Angelorum directio.*

Nolim iſthîc, de omnibus & ſingulis, Exempla recenſere: pauca de Exercitibus delibaſſe ſufficiat. Cum Lyſias Iudæorum hoſtis, contra populum Dei bellum moliretur, Iudas Macchabæus, re intellecta, pariter cum alijs militibus, Deum profuſis lachrymis, exorare cœpit, vt *Angelum bonum, ipſis auxiliatorem, ſubmitteret*; arreptiſq; armis, vbi militum animos, generoſa exhortatione, ad prælium inflammaſſet, inimicis, inſtructa acie, obuiam proceſſit. Mox igitur *apparuit præcedens eos, Eques, in armis aureis, qui in ſignum victoriæ haſtam vibrabat; quo conſpecto, omnes inuincibilis Dei poteſtatem laudabant, & confirmatis animis, hoſtes adorti, cuneos eorum diſſiparunt,* & illuſtrem, ab Aduerſarijs, victoriam reportarunt. Baldwino Hieroſolymorum Regi, cum Exercitus ipſius, viarum anguſtijs interceptus, extremum internecionis periculum ſubijſſet, Dux quidam incognitus apparuit, qui apprehenſo Prætorianæ cohortis primario vexillo, per montium & collium anfractus, vniuerſum agmen præceſſit, *V. Exempla de Exercitibus.* *1. Iudæ Machabæi contra Lyſiam. 2. Mach. 11.* *2. Baldvvinus Rex Hieroſolymorũ. Baro. To. 12. Ann. 1144. Ex Guilielmo Tyrio de bello ſacro.*

Digitized by Google

ceſſit, cumque ad regiam, tutamq; viam, ſine omni hoſtium offenſa, eos conduxiſſet, ſubito diſparens, Angelum ſe fuiſſe, teſtatum reliquit. Sic cum Gainas impius Tyrannus, magnam militum manum, ad ſuccendendum Conſtantinopolitanum Palatium, emiſiſſet, & hi, vt mandato parerent, in viam ſe dediſſent, numeroſiſſimos hominum, non minus aſpectu, quàm ſtatura formidabilium exercitus, in muris, & propugnaculis conſpexerunt, vnde abſterriti, re infecta retroceſſerunt. Nouerat equidem, pijſſimus Portugalliæ Rex, Emanuel, quanti momenti res ſit, Angelica tutela: Nam cum primam Claſſem in Indiam, ad nouum orbem ſubigendum, adornaret, ei S. Gabrielem Archangelum Præſidem, cuius Nomine Prætoriam Nauem, inſigniri curauerat, votiuis precibus præfecit, vt qui primus inueterati Mundi renouationem, per Filij Dei incarnationem, nunciauerat, is Euangelio, cæcis illis Idololatris, annunciando, ianuam aperiret; quod ipſum, haud exigui ponderis negotium, S. Archangeli præſidio, hactenus feliciſſimè ſucceſſit.

Socrates lib. 13. hiſt. Eccl. cap. 6. *Angeli in forma hoſtibus terribili.* *4. Maffeius lib. 1. Hiſtor. Indicæ.* *Archangelus Gabriel promouit Euangelij prædicationẽ in India.*

IV. Eccleſiȩ & Altaria. I. *Ioſeph. lib. 2. cap. 12.* *Hieron. q. 8. ad Hed.* *Niceph. lib. 3. cap. 4.* *II. Teſtimonium S. Ioannis Chryſoſtomi.* *Lib. 2. de Sacerdotio.* *III. Viſio B. Gertrudis.* *Lib. 4. c. 64.* *IV. Angeli defendunt Eccleſiam ab igne.* *In Chron Ætat. 6. Ann. 774.* *V. Angelus cũ gladio terret exercitũ Eudoxiæ.*

Quid tandem de Eccleſijs? Quid de Altaribus iudicandum? *Habent ne peculiares Angelos, à quibus defendantur?* abſit dubitare. Nam ſi hæc gratia in veteri Teſtamento, Hieroſolymitano Templo obtigerat, in quo Taurorum & vitulorum tantum carnes, & ſanguis, immolabantur; quantò magis Chriſtianorum Eccleſijs, & Oratorijs, in quibus Chriſti caro & ſanguis, quotidie, in ſacroſancto Miſſæ Sacrificio conſecrantur & aſſeruantur? Refert enim Ioſephus, & cum S. Hieronymo, Nicephorus, paulò antequam Hieroſolyma ſubuerteretur, ab ijs, qui ad Templi cuſtodiam adhibebantur, auditas fuiſſe Angelorum voces: *Migremus hinc*; quaſi poſt hac Chriſtianorum Eccleſias eſſent inhabitaturi. Vt hîc taceam quod S. Ioannes Chryſoſtomus expreſſim atteſtatur, *vbicunque Corporis Dominici Sacramentum, aſſeruatur, ibi innumerabilem ſemper Angelorum, Regi ſuo famulantium, multitudinem præſto eſſe*, quod quidam, Illuminatis diuinitùs oculis, viri ſanctiſſimi, reipſa conſpexerunt. Sic refert Ioannes Lanſpergius Beatam Gertrudem Virginem, aliquot numero, formoſiſſimos Angelos, conſpexiſſe, Templi cuiuſdam protectores à Deo deſignatos. Sic Ado Vienenſis refert, dum Saxones, adhuc infideles, Eccleſiam, quam S. Bonifacius Martyr conſecrauerat, flammis exuſturi eſſent, *ſubitò apparuerunt duo Iuuenes, miræ claritatis & candoris*, vt loquitur hiſtoriæ ſcriptor, *videntibus tàm paganis, quam Chriſtianis, qui ipſam Eccleſiam defendere videbantur: Horum aſpectu terribili, perterriti Saxones, in fugam verſi ſunt, ſicque totum caſtrum, cum templo, ab obſidione liberatum.* Conſimili euentu, cum Eudoxia Imperatrix, in S. Ioannem Chryſo-

Chryſoſtomum excandeſcens, armatas cohortes miſiſſet, vt ſanctum virum è templo extractum, ad ſe captiuum perducerent, cum ad limen veſtibuli Eccleſiæ veniſſent, *viderunt Angelum Domini, præ foribus veſtibuli ſtantem, manuq; ſua rompham, vagina exertam, & in eos vibrantem*, ſpectaculo abſteriti, ſatellites, re infecta, ad Imperatricem redierunt. Sic Ioannes Moſcus Euiratus, ſcribit, Eremitam quendam Barnabæ Abbatis Oratorium ingreſſum, vidiſſe Angelum Dei, ſuper Altare, quod à Barnaba Abbate conſecratum fuerat, ſtantem; quem cum interrogaſſet, *quid hîc agis?* ſubiunxit Angelus: *Ex quo ſanctificatum eſt Altare iſtud, mihi à Deo ad cuſtodiendum eſt deputatum.* Sic etiam Abbas Leontius, Dominico die Eccleſiam introiens, Angelum erecto corpore, ad dextrum Altaris latus, ſtantem vidit, quo ſpectaculo perterrefactus, ad cellam ſuam rediturus, vocem audiuit: *Altare illud, à die conſecrationis, commiſſum protectioni Angeli, qui ſe in eo viſibili forma ſpectandum præbuiſſet.*

Georg. Archimãdrita Alexandrinus in vita S. Ioannis Chryſoſtom.

VI. Angeli Altarium ſingulorum.

Prati. Spirit. cap. 10.

1. Eremita in Cella S. Barnaba Abbatis.

2. Leontius Abbas.

De Sancto Piammone Presbytero referunt Ruffinus Presbyter Aquilegienſis vna cum Palladio: *Quodam tempore Piammon à Dæmonibus ita verberatus erat, vt ſtare, aut omninò moueri loco nõ poſſet. Et cum dies adeſſet Dominica, & res poſceret offerri Sacrificiũ, iuſſit ſe fratrũ manibus, ad Altare portari. Vbi cũ in oratione iacuiſſet, aſtantem continuò vidit, Angelum Domini, qui aſtare ſolebat Altari, & illud cuſtodire, porrigẽtẽ ſibi manũ, atq; eleuantẽ ſe de terra. Et ſtatim omnis dolor ita ab eo diſceſſit, vt ſolitò ſanior redderetur.* Iſta Ruffini verbis.

3. S. Piammõ Presbyter.

Apud Heribertum Roſvveidum de vitis Patrũ. li. 2. cap. 32. Et ex Palladio cap. 32.

Conſiderate iſthîc dilecti mei, quanta modeſtia & veneratione, in Eccleſia ſit conuerſandũ, & quàm meritò præceperit Apoſtolus Paulus, *feminarum capita, in Eccleſiis obuelanda, propter reuerentiam Sanctorum Angelorum.* In quauis deniq; neceſſitate, recurrite ad Angelos, in Eccleſia ſemper præſentes, vt vitæ ſubſidia, quibus in hac mortali peregrinatione carere nõ poteſtis, vobis ſubminiſtrent, & pedes veſtros à lapſu, & animas, ab æterna damnatione, præſeruent.

VII. Quanta reuerentia in templis obſeruanda.

1. Cor. 11.

Sed quid de Eccleſia, tã veteris, quàm noui Teſtamenti ſentiendũ? *Habuit ne, vetus illa, Moſaicæ legis Synagoga, aut etiam iam habet, noua, quæ eſt ouile Chriſti, Angelũ Præſidem atq; Cuſtodẽ?* Et habuit vetus Eccleſia, & noua Chriſti, in terris militans Eccleſia, tali Præſide, & moderatore, nullo modo eſt deſtituta: *Veteris Eccleſiæ in Moſaica lege Principem fuiſſe, S. Archangelum Michaelem*, nemini in mentem veniat dubitare: id enim præter S. Dionyſium Areopagitam, expreſſe docet ſacra ſcriptura, & velut infallibile dogma confirmat: Nam apud Prophetam Danielem, inprimis Hebræi *populi Princeps* appellatur, cum Angelus Danieli loquens, inter alia ſic fatur: *Nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michael Princeps veſter*: Et rurſum de Antichriſto loquens: *In tempore autem illo, conſurget Michael*

V. Vniuerſalis Chriſti Eccleſia ſuum quoque habet Angelũ præſidẽ.

I Eccleſia vetus habebat peculiarẽ præſidem atq; Cuſtodẽ S. Michaelẽ.

Lib. 7. caleſti Hierar. c. 9.

Dan. 12.

Princeps

Princeps magnus , qui ſtat pro Filijs populi tui. Vbi inprimis populi Iudaici
2. cauſam agit,vt è captiuitate Babylonica liber dimittatur. Deinde tempore Antichriſti pugnaturus perhibetur,contra Antichriſtum , pro populo ſuo,vt eius reliquiæ Chriſtum Meſſiam,agnoſcant , & conuertan-
3. tur. Demum ab Apoſtolo Iuda dicitur,*cum Diabolo,de corpore & ſepultura Moyſis altercando* contendiſſe; Nam verſutiſſimus ille inimicus , id in apertum proferre cupiebat, quo populum ad Idololatriam , alioqui plus ſatis propendentem,ad illud,pro Deo vero adorandum,incitaret; cui ſe Michael Præſes tùm temporis oppoſuit , vt eam peccandi occaſionem, præſcinderet,& ſcandalum amoueret. Quid hæc omnia,niſi præſidium atque tutelam,quin etiam Principatum,importent ?

In Epiſt. Iudæ Apoſtoli.

Eundem porrò,cæleſtis Aulæ Primarium Principem,nunc quoque Chriſtianæ Eccleſiæ,quæ à Iudæis,in Chriſti fideles tranſiuit , tanquam Principem ac Tutelarem Præſidem, diuinitus conſtitutum eſſe, non ſolùm S.Ioannes Chryſoſtomus & S.Hieronymus, vnà cum S. Gregorio, conſtanter aſſerunt,ſed & Eccleſia ſancta,tot eius apparitionibus, nobilitata,tot eum encomijs proſequens,tot ei Baſilicas , per totum paſſim orbem ædificans,apertiſſimè declarat. Sic Archangelus Michael,apparuit in Monte Gargano,& ſagittam,quam quis in bouem amiſſum,ibiq; inuentum torſerat,retrocedere compulit,in iaculantem,&locum cultui ſuo,atque honori dedicatum,multiſq; miraculis illuſtratum , Epiſcopo Sipontino,qui triduanum ideo Ieiunium indixerat,ſignificauit. Hanc ipſam S.Michaelis nomine & honore inſignitam Eccleſiam, Imperator Otto III. S.Heinrici auus Maternus,monitu S. Romualdi,nudis,pœnitentiæ cauſa, pedibus, viſitauit. Et S.Item Heinricus, cum expugnata Troia,Græcos Apulia eieciſſet,pia peregrinatione ſuſcepta,eundem locum,religioſe inuiſendo,nobilitâuit. Sic eodem tempore,3. Calendas Octobris,quo die,omnium Angelorum memoria,per totam Eccleſiam celebratur,Bonifacius Papa,Romæ in ſummo Circo , Eccleſiam in honore S.Michaelis Archangeli,& omnium ſanctorum Angelorum,ſumptuoſiſſimè extructam,dedicauit. Sic Childeberto in Francia regnante,S.Michael apparens,Audberto , Abrincatenſi Epiſcopo, tertia vice monuit,vt in ſui memoriam,tanquam *totius Eccleſiæ Principis* , haud procul à mari,in editiori colle,Eccleſiam dedicaret,vbi eius veneratio,non ſecus,atque in monte Gargano frequentaretur , quam Deus innumeris etiam deinceps miraculis nobilitauit. Sic Iuſtinianus Imperator, teſte Procopio, Summo Eccleſiæ Principi , Cæleſtis militiæ Archiſtratego, Michaeli,plurimis in locis, Templa conſtruxit , eaque annuis redditibus dotauit,*probe ſciens*,inquit Procopius , *ſi talem , tantumque Ducem ſibi concilia-*

II.S.Michael Eccleſiæ Chriſti Præſes.
S.Ioan.Chryſoſt.orat.2. aduerſus Iudæos. Hom.2 de laudibus Pauli.
S.Hieron in Matt c 18.
S.Greg. li.17 Moral. c.8.
Ado in Martyrologio.
Bar.8.Maij. Breuiarij. Rom. eadem die.
In eius vita.
Platina in eius vita.
Sigebertus in Chronico ad an. 709.
Eadem Eccleſia miraculis nobilitatur.
Li.1. de bello Vandalico.
Baron.Tom. 7.An 1032.

conciliaret, qui rebelles Angelos, cientes in cælo prælium, ſuperaſſet, certam ſecuramq́ poſſe, de vincendis Vandalis fiduciam haurire. Si cum Leſcus Polonorum Princeps, cum parua militum manu innumera Lithuanorum, Poloniam diuexantium, millia inſequeretur, paululum ex itineris labore quieſceret, vidit S. Michaelem Archangelum, ſibi adſtantem, ac dicentem: *Ego ſum Archidux, & Princeps, totius Eccleſiæ Chriſtianorum: Habe fiduciam ad Dominum, ego tibi aſſiſtam, contra hoſtes tuos, vt ab ijs nobilem victoriam, reportes.* Parta igitur percelebri victoria, cum Lublinum redijſſet, in honore S Michaelis Archangeli, magnificentiſſimam Baſilicam, à fundamentis excitari, & conſecrari curauit. Hanc tot tantorumque Principum, inſignem pietatem, S. Henricus Imperator, non paſſus eſt in ſe deſiderari: Nam cum Eccleſiam Cathedralē, & Collegiatam S. Stephani Prothomartyris opera S. Kunegundis, Bambergæ iam abſoluiſſet, in mōte, verſus Aquilonem, nobiliſſimam ſancto Michaeli Baſilicam erexit, Et Patribus Benedictinis contradidit, quæ cum terræ motibus concuſſa, ſubſideret, collapſam propè, S. Otto Pomeranorum Apoſtolus, de integro reſtaurauit. Eandem porrò, fortuito quidem, ſed malè fortunato incendio, penitus, vnà cum campanilibus & campanis, euaſtatam ao deſolatam, Ioannes Abbas modernus, ab Oeconomia commendatus, longè quàm olim, Auguſtiori Schemate, reædificauit, & laudatiſſimæ memoriæ Bambergenſium Præſul Ioannes Godefridus, eiuſdem cæleſtis militiæ Principis, Nomini, ritu ſacro, denuò inaugurauit.

Cromerus lib. 10. Hiſtoria Polonica.

Hanc ipſam veritatem, multò fortius roborat, memorabilis Hiſtoria, apparitionis S. Michaelis Archangeli, facta Conſtantino Magno, quam Nicephorus hiſce verbis deſcribit: *In loco, qui Soſthenium dicitur, Eccleſias duas, Archangelo Michaeli extruxit, Conſtantinus Imperator, in quibus ſplendidè exornandis, ad Imperialem magnificentiam nihil omiſit. Mihi verò moleſtum non fuerit, earum ſtructurarum cauſſam, inſerere, & vnde loco iſti Soſthenij nomen ſit impoſitum. Memoria namque proditum eſt, Argonautas Græcorum, cum ad eum quoque locum perueniſſent, prædari, atque diripere eam regionem cæpiſſe, & ab Amyco, qui ibi rerum tùm potiebatur, in fugam verſos, palantes, in quendam nemoroſum & incultum, propter denſitatem arborum, locum profugiſſe, ibiq́ ijs latentibus, virtutem cælitus aduenisse, viri ſpecie, alas, veluti aquilæ, in humeris habentis, victoriamq́ aduerſus Amycum, oraculo denuntiaſſe. Illos porrò id ſecutos, cum illo conflixiſſe, victoriam reportaſſe; ipſum, vnà cum ſocijs ſuis concidiſſe. Atque vt gratiam ei referrent, fanum eos, & ſtatuam, ea, qua eis apparuerat forma, in loco eo excitaſſe: nomenq́ Regioni, Soſthenium indidiſſe, quod ſcilicet robore, ibi accepto, ſalui euaſiſſent. Eam ſtatuam laudatiſſimus Princeps Conſtantinus, cum in eam oram neceſſaria de cauſa diuertens vidiſſet, familiaribus comitibusque*

III. Memorabilis apparitio S. Michaelis, facta Conſtantino Magno. Lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 50. Soſthenium vnde dictū.

1. Argonautis apparet S. Michael Archangelus cum alis, & victoriā prædicit.

2. Iidem ſtatuam Fanū erigunt S. Michaeli.

ſuis, rem talem expoſuit, regionemque eam, cum ſtupore admiratus, ibi manſit. Somni porrò capiendi tempore, aſſiſtens illi viſio, ſtatua eius ſimilitudine: Ego, inquit, ſum Michael Archidux Domini Sabaoth virtutum Chriſtianorum Fidei tutor, qui tibi contra impios Tyrannos, belligeranti, fideli & germano illius miniſtro, auxiliaria arma contuli. Igitur è ſomno excitatus, Regionem eam pulcherrimè excoluit, & Ara imperiali, magnificaque manu, & liberalitate, in parte Orientali, conſtructa, celeberrimum id Templum, ciuibus ſimul, & aduenis reddidit. Maximè tamen ſacram eam Ædem, apparitionibus ſuis illuſtrauit, Archangelus: Nullus enim, graui quopiam caſu, aut ineluctabili periculo, aut ægritudine incognita, morbo denique incurabili circumuentus, qui ibi Deum orans implorauerit, non facilè, opem aut auxilium inuenit. Et certò ſatis creditur, Diuum Michaelem Archangelum, apparere ibi ſolitum, ſalutiferum eum efficere locum, cuius rei gratia, ab antiquis etiam, Michaelium, eſt vocatus. iſta ad vnguem Nicephorus.

3. 8. Michael, per viſum apparet Conſtantino ibidem.

4. Conſtantinus Aram & Eccleſiã aurat excitari.

5. Plurima ibi fiunt prodigia.

IV. S. Michael propugnator omnium fideliũ animarum.

Quid vobis de hoc potentiſſimo, cæleſtis Exercitus, Principe perſuadetis? Non ſolum totius vniuerſalis Eccleſiæ Tutor ac Defenſor, ſed & omnium fidelium animarum, è corporibus excedentium, tanquam Præpoſitus cæleſtis Paradiſi, fideliſſimus Propugnator, eſt deſignatus. Hinc ab Eccleſia, Dei vice, cõpellatur: *Archangele Michael, conſtitui te Principem, ſuper omnes animas ſuſcipiendas.* Et rurſum eius Beneficentiam prædicens: *Michael Præpoſitus Paradiſi, quem honorificant Angelorum ciues.* Hanc ipſam animarum tutelam, luculentiſſimo Exemplo, in obitu S. Heinrici Imperatoris demonſtrauit, cum vt ab ipſiſmet Dæmonibus, ſub atteſtatione Diuini Nominis, coactis, Eremita didicit, ſancti Principis opera, bona & mala, in lance penſitarentur; bonis porrò præponderantibus, S. Michael Archangelus, malignos hoſtes diſpulit, & fugauit. Vnde quàm maximè, omnes Chriſti fideles, eundem cæleſtis Militiæ Principem, quotidie, ſumma deuotione deberent venerari. Id quod S. Franciſcus maximè obſeruauit: Nam is, teſte S. Bonauentura, *Beato Michaeli Archangelo, ſpirituali amore, erat deuotior, eò quod animarum repræſentandarum, haberet officium, idque proueniebat ex zelo, quem habebat ad ſalutem omnium ſaluandorum.*

1. Eccleſia in Officio.

2. In vita S. Henrici.

3. In eius vita, cap. 5.

Eia agite, dilecti mei, agnoſcite Diuinam planè beneficentiam, Tutelarium Angelorum, in omni tempore & neceſſitate, ad ipſos recurrite, eorundem ſubſidium depoſcite, negotia locorum, quæ ipſorum Iuriſdictioni, ſubiecta ſunt, illis aſſiduè commendate, cæleſtis Militiæ Archiducem, Michaelem, quantò poteſtis, in honore habete, ex huius vitæ palæſtra deceſſuri, contra Dæmonum infeſtiſſimas oppugnationes, commilitonem & adiutorem conducite, & adhibete, Deum in beatiſſimis illis Spi-

Digitized by Google

lis Spiritibus, quos ad ſeruitia veſtra, pluſquam paterna bonitate, aſſignauit, laudibus aſſiduis deprædicate, & ſalus vtique veſtra, in æternæ patriæ portu, quàm feliciſſimè nauigabit. Amen.

SERMO VII.

De Executione Cuſtodiæ SS. Angelorum.

Angelus loquebatur in me verba Conſolatoria & bona. Zach. I.

QVod fieri aſſolet, in Republica terreſtri, noſtro cogitandi atque loquendi modo, debita proportione obſeruata, id etiam practicari conſueuit, in Regimine cæleſti. In illa ſupremus Dominus, voluntatem ſuam aperit, ſecretis ſuis conſiliarijs; & infimis Secretarijs, qui alijs deinde Præfectis, Prouinciarum, Vrbium, Communitatum, Regis mentem, ſiue oretenus denunciant, ſiue literis ſcriptis, manifeſtant. Hi demum inferioribus demandant Miniſtris, vt quod Rex iubet, executioni protinus detur: Sic in Cæleſti Hierarchia, *Rex Regum & Dominus Dominantium*, Deus, quod circa hominum ſalutem, atque directionem fieri velit, ſupremis primæ Hierarchiæ Angelis, aperit atque reuelat; Et hi mediæ Hierarchiæ Choris, inſinuant, qui Principatibus Angelis atque Archangelis, vt in effectum, re ipſa dirigatur, iniungunt. Vnde colligimus, non ſolùm Deum ipſum, ſed & omnes, tàm ſuperióres, quàm inferiores Angelos, concurſu ſuo, Cuſtodiæ noſtræ, cooperari: Quod, qua ratione fiat, præſenti ſermone, duximus breuiter, Angelis gratiæ lumen ſubminiſtrantibus, explicandum. *Angelus Domini, loquebatur in me, verba conſolatoria & bona.*

Optimus Maximus Deus, *qui diſponit omnia ſuauiter, & à fine vſque ad finem fortiter attingit*; qui Danielis teſtimonio, *iuxta voluntatem ſuam omnia facit, tàm in Virtutibus cæli*, id eſt Angelis ſanctis, *quam inhabitatoribus terræ, & non eſt qui reſiſtat manui eius*, is eſt, qui Angelo Cuſtodi ſuorum cognitionem Decretorum, & aliarum omnium rerum, quarum notitia, ad formandum practicum Iudicium, circa quamuis actionem, cuſtodiæ illorum annexam, præbet: hac namq; communicatione, poſita nihil eſt, quod ad directionem ex parte Dei, amplius requiratur. Hæc autē notitia Cuſtodi angelo, à Deo confertur, vel viſione beatifica, & cognitione verbi, qua omnes Angeli perfruuntur, vel extra verbum datur, per ſpeciales reuelationes, quas Deus, pro rerum oportunitate, vel per ſe ipſum, vel per alios Angelos impertiri cōſueuit: Qua de re aptiſſimè, & ad

I. Deus primarius Director Angelicæ Cuſtodiæ.

I. Voluntatem ſuam manifeſtat ſupremis Angelis.

Sap 8.

Daniel. 4.

II. Supremi Angeli medios medij infimos.
In Proœmio Hiſtoriæ Lauſiacæ.

ſcopum noſtrum Palladius in hæc verba: *Solus ipſe eſt vniuerſorum Deus, qui nequit doceri, quandoquidem & ipſe per ſe eſt, & ante ſe non habet Deum: omnia autem alia doceri poſſunt, quoniam ſunt & facta, & creata. Atque primi quidem Angelorum ordines, Magiſtram habent, ſummam Trinitatem; ſecundi autem diſcunt à primis: Tertij à ſecundis; Et ſic deinceps, & per ordinem, vſque ad extremos. Qui enim præſtantiores ſunt honore & virtute, docent eos, qui ſunt inferiores, cognitione.* Iſta de ſubordinata Angelicæ cuſtodiæ directione, quæ fit à Deo, per Angelos ſanctos, quorum ſuperiores Chori, à Deo immediate docti & illuminati, Medios ſecundæ Hierarchiæ Choros, & hi rurſum tres infimos, tertiæ Hierarchiæ Choros, docendo quaſi, & illuminando, informant: Quæ ſubordinatio nihil eſt aliud, quàm inter ſe mutua doctio, & collocutio ſanctorum Angelorum, de qua Zacharias Propheta: *Angelus Domini loquebatur in me, verba conſolatoria & bona.*

II. De Angelica locutione & illuminatione.
I. Modus Angelicæ locutionis, inter ſe mutuò

Quonam igitur modo, Angeli inter ſe mutuò colloquantur & ſermocinantur? Politicam enim inter ipſos vitam eſſe, quæ ſine mutua, per ſermonem, communicatione, non ſubſiſtit, tùm ex Prophetia Danielis, tùm ex Apocalypſi Ioannis, apertiſſimè probatur. Loquitur itaque vnus Angelus alteri, quando ſuum alteri conceptum manifeſtat, & vult vt alteri, protinus innoteſcat. Per hunc enim voluntatis actum (Ignoſcite, iſthic neceſſariò ad ſecretiora Theologiæ Myſteria, aliquantiſper declinanti) Conceptus locuturi Angeli, qui prius non pertinebat ad obiectum, connaturale, potentiæ cognoſcitiuæ, alterius Angeli, adeoq; fuit eidem occultus, incipit pertinere ad idem obiectum, & fit ipſi manifeſtus. Vnde talis actus, cum ſit conceptus Angeliti manifeſtatiuus, locutio ſeu ſermocinatio Angelica, appellatur. Clarius rem explico, vt vel ſimpliciſſimi Auditores mei, locutionem iſtam Angelicam, apprehendant. Locutio iſta ex parte Angeli loquentis, conſiſtit in actione voluntatis, qua vult conceptum ſuum alteri notum eſſe, & hac ratione; per Metaphoram, & Analogiam, vocatur lingua Angelorum, ab Apoſtolo Paulo: *Si linguis hominum loquar aut Angelorum, Charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Ex parte audientis Angeli, locutio iſta requirit primò in eius intellectu ſpecies, quæ conceptum illum repræſentant; Deinde vt res ipſa, quam Angelus ſuperior alteri manifeſtatam cupit, actu perficiatur: Quemadmodum inter homines, auditio ſenſitiua, præter receptionem ſpeciei audibilis, dicit Actualem ipſius vſum, ſeu, quod idem eſt, Actualem ſui perceptionem, atque cognitionem.

II. Locutio iſta quid requirat ex parte loquentis Angeli? quid ex parte audientis?
1. Cor. 13.

III. Angelica locutio ad plures poteſt extendi nec impeditur diſtantia loci.

Ex hac ipſa, Angelicæ locutionis, notitia, duo euidenti ratiocinatione colliguntur. Primò enim vnus Angelus, cum altero, in quauis magna diſtantia, loqui poteſt, cum ſola extrinſeca voluntatis determinatio, ſine omni

omni locali propinquitate, requiratur. Deinde vnus Angelus, vno eodemque tempore, à pluribus, imò omnibus Angelis, audiri, & intelligi poteſt, cum Angelica locutio, omninò commenſuretur, actui voluntatis, qui ad vnum, ſicut ad plures, & omnes, poteſt extendi; ſicut viciſſim vnus Angelus, ſimul plures, aut omnes Angelos, poteſt audire.

IV. Quomodo loquantur Deo & hominibus? Et nos quomodo Angelis ſermocinemur?

Sed *quomodo Angeli loquuntur Deo? quomodo hominibus? Quomodo nos homines loquimur Angelis?* Angeli cum Deo, *quem nullum latet ſecretum, & cui omnis voluntas loquitur*, vt Eccleſia, Spiritus ſancti gratiam, inuocans, ait, tùm colloquuntur, cum aliquid concipiunt mente, quod cupiunt, vt Deus intueatur: hac enim ratione, is actus manifeſtus eſt Deo, non ſolùm ex ſua natura, verùm etiam ex intentione elicientis; ac proinde peculiari ratione, locutionis proprietatem, in ſe deriuat. Angelus hominibus loquitur, vel in aſſumptione corporis, formando in aëre, voces ſenſibiles, & humanam locutionem imitando; vel interius, hominis phantaſmata excitando, vt recipiant, quod homini Angelus, vult inculcatum. Et ſic loquitur homini in hac vita. Hoc modò, vti refert Paulinus, *cum S. Ambroſius in Eccleſia contra Arrianos prædicaret, viſus eſt ab Arriano quodam pertinaciſsimo, Angelus ad aures Epiſcopi, verbum Dei tractantis, loquens, vt verba Angeli, populo, Epiſcopus renunciare videretur. Quo viſo conuerſus, fidem quam expugnabat, defendere cœpit.* In altera verò vita, cum anima fuerit à corpore ſeparata, eadem ratione, hominibus loquentur, ſicut nunc Angelis loquuntur, ſuos nimirum conceptus, ad ipſos dirigendo. Loquuntur denique homines Angelo, primùm purè mentaliter, cum nimirum homo, per actum ſuæ voluntatis, conceptum, quem de aliqua re habet, ad Angelum dirigit, eo modo, quo vnus Angelus, alteri loquitur. Deinde loquuntur Angelis voce ſenſibili, vel alio ſigno Materiali, ſuos conceptus manifeſtando, cuiuſmodi collocutiones cum Angelis, paſſim, in vniuerſa, vtriuſque Teſtamenti, ſcriptura, occurrunt: Sicut enim Angeli & homines in hoc pares cenſentur, quod neutris patent ſecreta cordis alieni: Sic decuit vt inter ipſos conſtitueretur paritas, quoad manifeſtationem, eorundem ſecretorum.

In vita S. Ambroſ. Baron. Tom. 4. Ann. 386. num. 24.

V. Modus Angelicæ illuminationis.

I. Simile à Profeſſore.

Poſito igitur hoc fundamento, Angelicæ locutionis, inter ſe mutuò fieri conſuetæ, facillimè intelligetur, quomodo ſuperiores Angeli illuminent ac doceant inferiores, de actionibus, ad hominum cuſtodiam requiſitis: Sicut enim Doctor ac Profeſſor illuminat ac docet Diſcipulos, ea, quæ alias capere non poſſunt, dum ea minutatim, atque diuiſim, proponit diſcipulo, adiungens ſimilitudines, & exempla, ipſi nota, quæ dirigant eum ad cognitionem veritatis, quam volunt inculcatam: Sic Angeli ſuperiores, primæ Hierarchiæ, qui vident omnia, in verbo, aut

ſpeciali reuelatione diuina cognoſcunt, quæ ad directionem cuſtodiæ humanæ, quouis modo ſpectant, cum volunt illuminare & docere inferiores, conceptum ſuum, adhibita voluntatis conuerſione, ad eum dirigunt, quem cupiunt illuminatum & informatum; & ſimul etiam, quod à Deo ipſi hauſerunt, ita intelligibiliter proponunt, vt is qui illuminandus eſt, ac docendus, id ſine difficultate, totum apprehendat; Et vt ex me loquar, quod de ſimilibus Theologicis ſpeculationibus, apud ſimplices, Philoſophiæ imperitos auditores, proponere oporteret. Quemadmodum enim homines inter & Angelos, in compluribus alijs conuenientia intercedit; ita etiam in multis, quæ ſpectant ad modum docendi, ſeu illuminandi, à ſe mutuò, haud multum diſcrepant; Sicut igitur Euangelicus Prædicator, qui populum, varijs adductis ſimilitudinibus & exemplis, ad Diuina myſteria rectè capienda, iuuare conatur; Sic Angelus ſuperior, Diuinam veritatem, quæ reuelanda eſt inferiori, ſic proponit, vt ei, ſine omni contradictione, iudicio practico, aſſentiatur. Cum igitur ſuperior Angelus, plura, vel intra vel extra verbum videat, qua inferiorem Angelum Cuſtodem, ex ſe latent: nam quò quiſque Angelorum beatior eſt, & Deum perfectius videt, eò plures etiam Diuinorum operum rationes, apprehendit: Nihilominus tamen, cum inter Angelos *qui vnius moris habitant in Domo* cæleſtis Patris, *in qua*, promeritorum varietate, *manſiones multæ ſunt*, neque exiguo in nos affectu ferantur, nempe conciues ſuos, vt loquitur S. Auguſtinus, *per quos ruinæ ſuæ, ſciſſuras, reſtaurari expectant*, dubium non eſt, quin ſuperiores, quidquid norunt, nobis profuturum, Cuſtodibus noſtris, per illuminationem ſignificent, & exponant; Vt mihi rectiſſimè dixiſſe videatur S. Gregorius Magnus: *In cæleſti Patria, licet quædam data ſint excellenter, nihil tamen poßidetur ſingulariter.* nec mirum: *Omnes* enim *ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſsi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

2. Modus illuminationis à ſimilitudine Prædicatoris.

S. Thom. 1. p. q. 12. art. 7. & q. 106. a. 1.

Pſal. 67.

Ioan. 14.

Tract. 67 in Ioan.

Homil. 34. in Euangelia.

Hebr. 1.

III. De Angelica cognitione reſpectu ſui Clientis.

Sed noua iſthic oboritur Quæſtio: *Vtrum & quomodo Cuſtos Angelus, ſui Clientis complexionem, quæ ex ea originem ducunt, propenſiones aut inclinationes cognoſcat?* Ratum adſtruo, & certum affirmo, nihil iſtorum eum fugere, nihil occultari Angelo poſſe. Quis enim Angelorum ignoret, quod S. Dionyſius expreſsè tradit, *omnia materialia, & omnia quæ Angelica natura, inferiora ſunt, & multò magis ea, quæ Materiæ terreſtris concretioni ſubijciuntur?* Quin etiam eo ipſo, quod Angelus per cognitas ſibi ſpecies, intuetur quatuor humorum & qualitatum complexionem, & hanc non ſolùm inſpicit ſecundum Eſſe abſolutum, ſed etiam reſpectiuum. qua nimirum in appetitu ſenſitiuo, hanc vel illam propenſionem, gignit, Variæ Clientis ſui propenſiones & inclinationes, cum nun-

1. Quomodo cognoſcat complexionē, & ex ea manantes propenſiones?

Li. de cæleſti Hierar. c. 9.

Digitized by Google

nunquam effugere poſſunt. Quod ſi ex graui morbo, vel alia cauſa, complexionem mutari contingat, complexio variata, & ex ea progenitæ propenſiones aliæ, protinus, eidem Angelo, meridiana luce clarius, innoteſcent.

Hoc nihilominus, in diſceptationem venire poſſet: *Vtrum Angelus Cuſtos, cognoſcat cogitationes cordis ſui alumni, cuius ei à Deo, cuſtodia eſt demandata?* Paucis & breuiter reſpondeo. Cuſtos Angelus, per externa & ſenſibilia ſigna, probabiliter aliquando, quin etiam certò nonnunquam cognoſcit, cogitationes, quas in corde ſuo, voluit ipſius cliens; & ſic eidẽ innoteſcere, poſſunt etiamſi per locutionem minimè aperiantur. Nec ſine ratione ac fundamento ex tripode iſta loquor, & aſſeuero; Nã ſigna & effectus externos ac ſenſibiles, hi continent actus interni, cum quibus, maiorem vel minorem connexionem, pro actuum & ſignorum varietate, includunt: Si ergo tale aliquod ſignum, Angelus intueatur, quid ni actum, illi ſigno affinem, aut cognatum capiat, & intellectu ſuo comprehendat? Illud nihilominus, omnem extra controuerſiam eſt, hominem locutione mediante, Angelo Cuſtodi, quidquid placuerit, ex cogitationibus cordis pro libitu, manifeſtare poſſe.

II. Vtrum cognoſcat ſecreta Cordis? 1. Ex ſignis ea probabiliter colligit.

Sin autem cordis cogitationes, nec externo aliquo ſigno, indicantur, neque per Diuinam reuelationem, aut Clientis locutionem, Angelo Cuſtodi innoteſcunt, à ſe ipſo non poteſt cognoſcere: Id enim ſcriptura diſertè affirmat, dum ſecretorum cordis cognitionem, Deo, tanquam proprium attributum, aſſignat: *Tu ſolus noſti corda, filiorum hominum*, inquit Salomon, cum Deo loquens: Et Dauid de Deo, cordium ſcrutatore, affirmat: *Ipſe enim nouit abſcondita cordis, ſcrutans corda & renes Deus.* Nec ſine ratione, Propheta interrogat: *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Ex eo enim, quod Chriſtus Dominus cognouit, actualem erga ſe, Petri amorem, & Phariſæorum, intra ſe cogitantium, de Chriſto: *Hic blaſphemat*, eiuſdem Diuinitas probabatur, quod argumentum, nullius ponderis eſſet, ſi creatura quæpiam, ex ſe, cogitationes eiuſmodi, cum præſentes ſunt, intueri poſſet, & fruſtra dixiſſet S. Iob: *Ecce enim in cælo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis.*

2. Cogitationes cordis nullo modo manifeſtatas cognoſcere non poteſt. 3. Cognitio Secretorum cordis ſoli Deo reſeruata.

3. Reg. 8. Pſal. 43. Pſal. 7. Hierem. 17. Hierem. 10. Hebr. 4. Matth. 22. Iob. 16.

Addo nihilominus quod abnui nequit: Tametſi Angelus Cuſtos, alumni ſui, cordis ſecreta, connaturali, vt vocant Theologi, cognitione, minimè cognoſcat, eorũ tamen notitia, nõ rarò ipſis à Deo, ſpeciali reuelatione, cõmunicatur: Et quid ni, ſic illis condeſcenderet, optimus maximus Deus? Exoriri queũt, in hominis corde cogitationes eiuſmodi, in quibus cardo-

4. Secreta cordis Angelis à Deo manifeſtantur.

Digitized by Google

cardo ſalutis æternæ vertatur, & à quibus tùm propria, tùm proximorum ſalus, dependeat, quas Angelo Cuſtodi, qui ideò maximè homini eſt Præpoſitus, vt ipſius ductu *hæreditatem capiat ſalutis*, ignotas eſſe non decet, cum ad ipſum cuſtodiæ, & directionis ſtatum, quàm maximè ſpectent.

III. Num Cuſtos Angelus, cognoſcat, futuros ſui Clientis euentus? 1. R. Aſſertiuè, & probatur è ſcripturis.

Sed quæſtio rurſum mouetur: *Num Angelus Cuſtos, futuros, ſui Clientis, euentus, præuideat? aut ſaltem, Deo reuelante, cognoſcat?* Vix licet dubitare: Siue eos videat in verbo, & Eſſentia Diuina, ſiue ſpecialiter à Deo reuelentur: Cum enim ad munus tutelæ, cognitio eiuſmodi perneceſſaria videatur, nihil aliud de Diuina bonitate præſumi poſſe, exiſtimo, quàm vt eam liberaliſſimè communicet & impendat: Sic Angelus Domini, Agar ancillæ Saræ, fugienti à facie Dominæ ſuæ, prædixit: *Ecce concepiſti, & paries filium, vocabiſq; nomen eius Iſmahel. Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum: Et è regione vniuerſorum fratrum ſuorum, figet tabernacula.* Sic Angeli Loth, è Sodomis educturientes, eum monebant: *Surge tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas, in ſcelere Ciuitatis: Salua animam tuam, & apprehenſos, eduxerunt.* Sic Gedeoni plurimos eiuſmodi euentus, Angelus Domini prædixit, dum eum, iuſſu diuino, populi Iſraelitici, Ducem contra Madianitas, creauit.

Gen. 16. Gen. 19. Iudic. 6.

2. Non poteſt cognoſcere naturali cognitione, euentus qui à libero alicuius cauſæ arbitrio dependeat.

Non poteſt tamen cognitione naturali, certò præcognoſcere, euentus futuros, ſui Clientis, qui à libero, alicuius cauſæ, arbitrio dependent: Hæc enim præcognitio, ſoli Deo reſeruatur, cuius hæc eſt proteſtatio apud Prophetam: *Annunciate, quæ ventura ſunt, in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos: Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus, quæ prima fuerunt; Ecce venerunt, Noua quoque ego annuncio, antequam oriantur, audita vobis faciam. Ego ſum Deus, & non eſt vltra me Deus, nec ſimilis mei, annuncians ab Exordio nouiſſima, & ab initio, quæ nondum facta ſunt.* Vnde cum hæc futurorum prænotio, ſit Diuinitatis Character, Dæmones, infelici plerumque ſucceſſu, Diuinationem iſtam futurorum, à libero arbitrio dependentium, debitam Deo gloriam, ſuffurantes, tentarunt. Tametſi enim huiuſmodi futura, nonnunquam verè prædixerint, non tamen id ea de cauſa contigit, quod ab ipſis certò fuerint præcognita, ſed quia probabili, de illis coniectura, effectus reſpondit: Nam eos, certa huiuſmodi, futurorum notitia, deſtitutos eſſe, vel ipſa Oraculorum, quæ reddebant, ambiguitas, & complurium falſitas, cum vnicè, ad captandum Diuinitatis Nomen, vera dicere percuperent, apertiſſimè demonſtrant.

Iſai. 41. Iſai. 42. Iſai. 26.

3. Nihilominus probabiliter aliquãdo cognoſcit.

Verum enim verò, etſi Angelus Cuſtos, euentus huiuſcemodi, certò ſcire non poſſit, quin tamen probabiliter aliquando aſſequatur, nemo,

Digitized by Google

homo, ſani cerebri, Theologus, pernegabit. Cum enim homines, maximè qui ſunt perſpicacis ingenij, magnam habent rerum experientiam, & eorum, quibuſcum agunt, notitiam, poſſunt futura, etiam libera, probabili coniectura, attingere: Cur eadem cognitio, & quidem in perfectiori gradu, Angelo Cuſtodi, reſpectu ſui Alumni, foret deneganda? Hanc autem talia dignoſcendi facultatem, duplici via comparare valebit; animaduertendo nimirum, cauſſarum inclinationes, & recolendo, quid à ſuo Cliente, in ſimilibus, vel ijſdem circumſtantijs conſtituto, frequenter aliàs, ſit factitatum. Si ergo Angelus Cuſtos, viderit cauſas, maiorem oſtentare inclinationem, in vnam partem, & hoc vel illud, aliàs, in ſimilibus circumſtantijs, ſecutum fuiſſe, probabiliter iudicabit, hoc, non illud futurum. Secus erit, ſi cauſſarum liberarum inclinatio, par ſit in vtramq; partem: Vnde S. Thomas affirmat: *Futura contingentia, quæ frequentius eueniunt, ab Angelo poſſunt, probabili coniectura, cognoſci; non autem illa, quæ eueniunt rarius, aut ſunt, ad vtrumlibet pariter inclinata.* *1. part. q. 57. art. 3.*

IV. Quomodo præſentia & præterita? Quomodo tandem, Angelus Cuſtos, ea cognoſcit, quæ actu contingunt circa ſuum Clientem, vel ſunt præterita? ℞. Ea poſſe duplici differentia ſecerni: Vel enim continentur intra obiectum, connaturaliter cognoſcibile, Angelo; vel non continentur: Si non continentur, alia ratione non potuit cognoſcere, quàm Reuelatione Diuina. Si continentur præſentia quidem, per proprias, quas omnium huiuſmodi rerum habet, ſpecies cognoſcit. Præterita verò triplici via, connaturaliter, vt Theologis loqui mos eſt, cognoſcet. Primò in ſignis, ſi res præteritæ, aliquod, exiſtentiæ ſuæ ſignum, reliquerunt. Deinde ex relatione aliarum Creaturarum, intellectiuarum, quæ rerum præteritarum notitiam ſeruant. Tertiò, ſi antea, cum exiſterent, cognouerat, & eadem ſpecies, relicta ſit, in Angelico ſuo intellectu, ea vti poterit, haud grauatim.

Et ſanè, Angelos noſſe, quæ ſuos circa Clientes contingunt, vel ex hac inſigni conſtat hiſtoria, quam Aribo quartus Friſingenſium Epiſcopus deſcribit, in vita S. Corbiniani, ſui Anteceſſoris, in hæc verba: *Quadam verò die, fur quidam inſtigante Diabolo, mulam viri Dei foris reperiens, abſtulit, eamque aſcendens, propinqui ſaltus ſe immergebat latibulis. Miniſtri verò viri Dei, veſpera appropinquante, mulam quærentes, inuenire non poterant, hùc illucq; quærendo diſcurrentes per latera montium, & ima conuallium, ſyluarumq; latibula, nec non ea loca, perſcrutantes, vbi prius mula ſolita erat paſci, vſque dum nox eis ita tenebreſceret, vt coacti vacuique domum reuerterentur, & damnum de mula, viro Dei referrent. Ipſe autem leniter conſolatos, dimiſit, ſeque in oratione proſtrauit: ſicq; orando permanſit, vſque dum matutinarum ſolennijs, debitas Deo laudes perſoluit. Ac deinde, cum ad refocillationem laſſi corporis, paulum* *Surius To. 5. hiſt. Sanct. Ex Aribone Epiſc. in eius vita.*

Angelus Domini apparet S. Corbiniano, & futura reuelat.

lulum quieſceret, Angelus Domini, in ipſo matutinali crepuſculo, ei per viſum apparuit, furemq; cum Mula, aduenturum prædixit. Ille autem à ſomno excitatus, grates Deo retulit, & laudes, atque etiam beato Germano, in cuius Eccleſia foribus tunc ipſe manebat. Apertaque feneſtra cellulæ, ſigno ex more, tintinnabuli, ſuos ad ſe conuocat miniſtros. Quibus aſtantibus, præcepit, vt venientem furem cum mula, minimè læderent. Sed hoc nequaquam appetitu, vanæ gloriæ, miniſtris prædixit, ſed vt eorum mentis inſaniam, mitigaret, ne furore coacti, Dei virtutem, in ſuam mutarent inſaniam, aut vt rei ſanguinis, in eius perſecutione, non fierent.

Ingens prodigium coacti furtum reſtituere.

Vix verba præcipiendo compleuerat, & ecce oſtium cellulæ, vbi vir ſanctus cum diſcipulis loquebatur, mula ingreſſa, ſuper ſe obtulit furem rigidum, & quaſi exanimem, dorſo illius adhærentem, perinde ſi ligatus ſuper eam eſſet, ita vt ſi vellet, deſcendere nequiuiſſet. Qui dum viri Dei iuſſione depoſitus, & humi eſſet proiectus, inſtar ligni vel lapidis, amens, & ſine ſenſu iacebat. Cæpit autem eum vir Dei tàm increpatione, quàm admonitione, à ſui nequitia, quaſi à graui ſomno ſuſcitare. Qui cum ceu dormiens expergefactus eſſet, timorem dimiſit animi, & confitendo atque deteſtando malum, quod viro Dei fecerat, profeſſus eſt, ſe amplius non peccaturum, etiamſi præ inopia periturus ſit. Eo ergo ſic proſtrato iacente, & promittente vitæ mutationem, cum vir Dei humo iuſſit ſurgere. Mox ille tàm celeriter ſurrexit, quaſi rigidus ac contractus minimè fuiſſet: & ſic ſuæ miſeriæ referebat hiſtoriam, quomodo in dorſo mulæ pernoctaſſet, tot montium ſummitates, atque ima Conuallium, ſyluarum atque veprium denſitates, perambulaſſet, & quaſi à mula conuinctus fuiſſet. Quibus dictis, fidem vulnerata facies conciliabat. Denique ab irrationali animali adductum ſe inſcientem ad virum Dei fuiſſe, profeſſus eſt, & quod intempeſtæ noctis ſilentio, viam euadendi, vel latendi minimè reperire potuiſſet. Hæc ſcriptor vitæ ſanctiſſimi Præſulis, ex quibus tum ſanctorum Angelorum, ſollicitudo, vt nobis in neceſſitatibus opitulentur, tùm etiam cognitio rerum noſtrarum, rectè ſtabilitur.

IV. De ipſa Angelica Cuſtodia eiuſq; tempore ac loco.

I. Vtrū Angelus Cuſtos in terris degat cum ſuo Cliente?

Sed quid eiuſmodi Theologicis ſubtilitatibus, quibus Angelicam ſcientiam inuoluit Creator, diutius immoramur, apud homines, Theologicorum Myſteriorum rudes, & imperitos? Ad ipſam potius practicam Angelorum Cuſtodiam aliquando tandem redeamus: In quo primū inueſtigandum: *Vtrum Angelus Cuſtos in terris, cum ſuo degat Cliente? an verò in cælo exiſtens, ipſius curam gerat?* ℟. è communi ſanctorum Patrum doctrina: Tametſi Angelus Cuſtos, vbicunque tandem commoretur, in cælo eſſe, dici poſſit, eò quod cæleſtibus gaudijs, & viſione beatifica, vbiq; perfruatur: Nihilominus tamen, quoad localem præſentiam, Cælum Empyreū deſerit, & Clienti ſuo, in terris plerumq; cohabitat, quod nonnullæ ad cuſtodiam pertinentes actiones, re ipſa efflagitant. Audi S. Augusti-

S. Bern. in Pſal. 90. S. Greg. in cap. 3. Iob. S. Hier. in c. 5. Prou.

Digitized by Google

Ambulant nobiſcum, in omnibus vijs noſtris, intrant & exeunt nobiſcum, attente conſiderantes, quàm piè, quam honeſtè, in medio nationis prauæ conuerſemur, quantoq́ deſiderio, ac ſtudio, quæramus regnum tuum, & iuſtitiam eius, quantoq́ timore & tremore, ſeruiamus & exultemus tibi in lætitia cordis noſtri. Nihilominus porrò, etiamſi nobiſcum verſentur aſſiduè: Cælum tamen ſubinde repetunt atq; reuiſunt, cũ in ſcala Iacob, aſcendere pariter & deſcendere conſpiciantur: Vnde rurſum S. Auguſtinus: *Magna cura & vigilanti ſtudio, adſunt nobis, omnibus horis & locis ſuccurrentes, & prouidentes neceſsitatibus noſtris, & ſollicitè diſcurrentes, inter nos & te Domine, gemitus noſtros, atque ſuſpiria, referentes ad te Domine, vt impetrent nobis facilem, tuæ propitiationis, benignitatem, & referant ad nos, deſideratam, tuæ gratiæ, benedictionem.* Sed nunquid ex cuſtodis abſentia, periculum aliquod, Clienti pertimeſcendum? Planè nullum: Vbiuis enim locorum peruidet, quid de ipſo agatur, eiq; in momento, præſentem ſe ſiſtere poteſt, vbi eius præſentia requiritur, vel ab ipſomet Cliente poſtulatur.

Soliloq. c.27

Gen 28.

Soliloq. c.27

Quando incipit iſta cuſtodia Angelica? & quando finitur? Eſt inprimis extra controuerſiam, Angelicam cuſtodiam, quę homini conuenit, vt publicum aliquod munus gerenti, incipere ab inſtanti, quo id munus aditur, & finiri, cum ab eo munere, & officio abitur. *Sed quid de cuſtodia priuata? Quando illa incipit?* quam primùm ex Vtero Matris, naſcitur in hunc mundum; tunc enim illicò exponitur, Impugnatoris Diaboli inſidijs; conueniebat igitur, amantiſſimo Patri, vt ei debitam Angelorum cuſtodiam, prouideret. *Sed quid, dum adhuc latet in vtero Matris Anima rationalis, à Deo creata, & carni copulata?* Annon & tunc quoque, Dæmonis patet inſidijs? annon maligni hoſtes, per Magos & Veneficas, partum ſæpè, in vtero occidunt, & Baptiſmi gratia priuant? annon abortum ſæpè procurant, niſi Diuinitus impediantur? Sequor ſententiam S. Thomæ, & adſtruo: Quamdiu infans adhuc colligatus eſt in vtero, cum matre vnum, & pars matris cenſetur; Vnde tum temporis ab Angelo, matris cuſtode, tantiſper defenditur, contra Dæmonum inſidias, donec in lucem editus, à peculiaris Angeli cuſtodia, excipiatur. Nec aduerſatur, quod S. Anſelmus decernit: *Anima dum in corpus mittitur, Angelo committitur*: Mittitur autem in corpus, dum Anima corpori vnitur, & tùm Angelo matris tanquam pars eius, concreditur, & interea commendatur. *Quando* denique *Angelica cuſtodia finitur?* Quando homo moritur: ſicut enim tunc ceſſant omnia pericula, omnis aduerſarij impugnatio, omnisq; ſpes profectus, propter quę Angelica cuſtodia eſt inſtituta, ita etiã tũ omnis propriè dicta cuſtodia ceſſat; fruſtra namq; cuſtoditur, ꝙ lædi nõ poteſt. Sed aliter ceſſat apud animã hominis damnandi, aliter apud animã, in cælis aſſumẽdã:

II Quando incipiat aut finiatur?

1. Cuſtodia Angeli Magiſtratus, incipit cum munere & cũ eo finitur.

2. Cuſtodia priuata, incipit ab vtero matris.

3. In vtero Matris cuſtoditur ab Angelo matris.

In 1. p. q. 113. a. 5.

In Elucidario.

4. Finis cuſtodia Angelicæ.

5. Aliter ceſſat cu-

Digitized by Google

Cuſtodia Angelica apud animam hominis damnandi, aliter apud animã in cælos aſſumendam.
Apoc. 21.
6. Laborat pro anima in pœnis detenta Angelus vt quantocyus liberetur.
Luc. 16.
Exod. 23.

Damnandam animam, accepta, ab Æterno iudice, ſententia, totam, quanta eſt, lupis infernalibus, rapiendam, Angelus relinquit. Animam verò quæ in ſtatu gratiæ, corporeis vinculis exoluitur, ſi pura ſit, ab omni culpæ macula, non raro inter complurium Angelorum choros, in cælos comitatur, curiæq; cæleſti, vt conciuem præſentat: Sin autem, aliqua adhuc purgatione indigeat, cum nihil coinquinatum in eam ciuitatem, *cuius platea & muri, ſunt ex auro puriſſimo*, eandẽ ad purgatorios ignes deducit, quam inibi ſæpe inuiſit, & conſolatur, quouſque debitè expurgatam, in ſede, ab æterno ipſi præparatam, collocandam tranſportet. Interea verò, dum anima, purgatorijs ignibus expiatur, Angelus Cuſtos, de ipſius liberatione maturanda, admodum ſolicitè laborat, proindeque, tàm per ſe, quàm per alios Angelos, fidelium mentes, eorum maximè, qui peculiarem cum defuncto, neceſſitudinem habuerunt, excitat, vt eidem, ſiue ſacrificio Miſſæ, ſiue alijs medijs, opitulentur. Sic Lazari animam, Angeli, in ſinum Abrahæ deportarunt. Sic tria munia Angeli Cuſtodis, Dominus Deus deſignat: *Ecce ego mitto Angelum*. I. *Vt præcedat*. II. *Vt cuſtodiat in via*. III. *Vt introducat in locum* à Deo *præparatum*, in terram promiſſionis æternæ.

III. Nunquã deſerit Clientem ob peccata.
1. Fidelitas S. Angeli.

Sed nunquid medio tempore, inter diem mortis & diem Natiuitatis, Angelus Cuſtos, propter enormia aliqua peccata, omninò deſerit, ſuum Clientem? Non deſerit vnquam: Nec enim decet magis abundare malitiam Dæmonis, in impugnando ac nocendo, quàm Angeli Cuſtodis charitatem, clienti ſuo benefaciendo. Si ergo nullum vnquam, quantumuis iuſtum, omnino deſinat hoſtis impugnare: Non eſt credibile, Angelum Cuſtodem, deſerere ſuum Clientem, enormiter etiam peccantem, & contra Diuini Numinis Maieſtatem, quantumcunq; delinquentem; Idque potiſſimum eò, cum Angelicæ cuſtodiæ beneficium, per ſe non pertineat ad ſtatum gratiæ, vel peccati, ſed potius ad ſtatum humanæ Naturæ, cuius bono, Angelicam protectionem, Creator hominis, voluit prouidere. Sicut tamen Diuina Prouidentia, nonnunquam ſuos aliquos effectus, grauiter peccantibus, ſubtrahit: Ita etiam in iuſtis, ad maius Virtutum Exercitium, & in peccatoribus, in pœnam, præcedentium peccatorum, nonnulli, Angelicæ cuſtodiæ, fructus, non rarò ſubtrahi, credendum: in quo ſenſu accipiendum illud Hieremiæ: *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam*: Et quod Dominus minatur per Eſaiam: *Auferam ſepem eius, & erit in direptionem; diruam maceriam eius, & erit in conculcationem*. Vbi per ſæpem & maceriam, S. Patres intelligunt, Angelicam cuſtodiam, non quidem omninò, ſed quoad nonnullos effectus duntaxat ſubtractam.

2. Peccanti nihilominus aliquos fauores peculiares ſubtrahit Angelus ſanctus.
Hierem. 51.

O incom-

O incomparabile beneficium Angelicæ tutelæ, cui grata viciſſitudine reiterando, nunquam pares, in omni vita, reperiemur. Cum S. Onuphrius quondam in ſolitudine deambularet, comitem ſe illi, viſibili quidem forma, Angelus Cuſtos adiunxit, eique dixit: *Ab hora natiuitatis tuæ, Ductor ac ſocius tuus extiti ſemper*; ſic integra ſex milliaria, cum eo confecit, vt in multis hæſitantem, erudiret. Promiſitque tandem ei, *quantò atrociora, in vitæ curſu, pericula eſſent occurſura, tantò ſe illi copioſius opitulaturum.* atq; ita mirè conſolato Dei ſeruo, viſibilem præſentiam ſubtraxit, inuiſibilem opem, tantò certius præſtiturus. *3. S. Onuphrio Angelus aſſiſtentiam ſuam pollicetur.*

Perpetuam denique Cuſtodis Angeli præſentiam, confirmare poſſunt, quæ de ſancto Iſidoro, homine quidem ruſticano, ſed mira Sanctimonia conſpicuo, nuperq; in Sanctorum album adſcripto, memorantur. Hic cum duriuſculo inſeruiret hero, & eius agros coleret, quotieſcunq; audiendi ſacri gratia, Eccleſiam adibat, Angelum ſortitus eſt laboris Vicarium, in arando, ſeminando, gramina àuerruncando, ne ſuperueniens herus auſterior, labores ſuos neglectos, conquereretur. Nec eſt diſſimile, quod de Beato Felice, Cappucinorum Ordinis Laico, refertur; hic cum Nobilis cuiuſdam viri pecora paſceret, quoties adeundi cultus diuini cauſa gregem deſerebat, viſus eſt ſemper interea iuuenis, in partibus illis, planè ignotus, qui vices eius, in cuſtodiendis armentis, agebat, donec ille rediret. Et hunc Angelum eius Cuſtodem fuiſſe, nemo ambigebat. Baronij Continuator Bzouius ſcribit de S. Francha, nobili Virgine Placentina; cum in Ordine ſancti Benedicti, diu ſanctiſſimam duxiſſet vitam, & in Abbatiſſam electa, ab Epiſcopo bene diceretur, viſum fuiſſe Angelum Domini, qui non ſolum ſacrum ei velamen imponeret, verum etiam opem omnem auxiliumque in quauis neceſſitate promitteret, & iugem aſſiſtentiam polliceretur. Tanta in nos benignitate, tanta charitate & beneficentia, flagrat S. Angelus Cuſtos. *4. S. Iſidorus in eius vita.* *5. S. Felix Ioan. Baptiſta Peruſinus in eius vita cap. 1.* *6. S. Francha Virgo. To 13. Annal. Anno 1288.*

Nec vobis, ô dilecti mei Auditores, Tutelarium Angelorum, perpetui Clientes, in mentem veniat, de hac, Protectorum veſtrorum, iugi aſſiſtentia, perennique in omnibus vijs veſtris, comitatu. Quocirca, in omni loco, ac tempore, in quauis, ſiue bona, ſiue mala occaſione, reuerentiam illi exhibete, opem eius expoſtulate, directionem eius ſuſcipite, monitis eius obedite, & benè vobis erit, non ſolùm in iſta, ſed & in altera pariter vita.

Amen.

SERMO VIII.

De officijs & Nominibus Sanctorum Angelorum.

Viuit Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem. Iudith. 13.

Q*Vemadmodum totius mundi officium eſt, libeat* Senecæ verba, inſtituto noſtro accommodare, *rerum ordinem circumgyrare, vt ſolis loca mutare, ex quibus oriatur in qua cadat aërē humectare, terrā ſine præmio fœcundare*: Sic Sanctorum Angelorum munus eſt, nos miſeros mortales, beneficijs quotidianis cumulare, nullamque prorſus remunerationem, expectare. Siquidem verò, atteſtante S. Ioanne Chry- ſoſtomo: *Optima beneficiorum Cuſtos, eſt ipſa memoria beneficiorum, & perpetua confeſſio gratiarum*, placuit ex Officijs & varijs Nominibus, Sanctorum Angelorum, multiplicia eorum, erga nos munera, quadam veluti recapitulatione, breui compendio recenſere, vt Deo benè iuuante, ad amorem illorum, tantò efficacius inflammemur.

Hom. 28. in Matth.

I. Officia Sanctorum Angelorum in communi.

Quænam tandem officia, ſancti Angeli, tàm in cælo apud Deum, quàm in terra circa nos, adminiſtrant? Paucis & breuiter: Sunt *Cantores*, & Diuinarum laudum *Præcones*, ſunt *Oratores*, ſunt *Legati*, ſunt *Protectores*, ſunt *belli Duces*. Quales nam Cantores? Diuinis laudibus, ſine omni ceſſatione & interruptione, iugiter inſiſtentes: *Concentum cæli, quis dormire faciet?* audijt Eſaias, & cæleſtis illius Odarij, verba deſcripſit: *Seraphin clamabant, alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Exercituum, plena eſt omnis terra, gloria eius.* Audijt S. Ioannes Apoſtolus & Propheta, nobiſque commemorauit, dum inquieta illa, quatuor animalia, plena oculis, ante & retrò, deſcribit: *Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* Et rurſum: *Et vidi*, inquit, *& audiui, vocem, multorum Angelorum, in circuitu Throni, & animalium & Seniorum, & erat numerus eorum, millia millium dicentium voce magna: dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & Diuinitatem, & Sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & benedictionem.* Sed & alibi narrat, quæ in celſiſſima illa, æternæ voluptatis, arce, viderit & audierit, cum ait: *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & Seniorum, & quatuor animaliū; Et ceciderunt in conſpectu throni, in facies ſuas, & adorauerunt Deum dicentes: Amen: Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum Amen.* Nec dubium eſt, quin Angeli, cum innumeris illis, beatorum agminibus, lætiſſimum illud celeuſma, ſemper cantent, *Alleluia.*

1 Cantores. Iob. 38. 1. Iſai. 6. 2. Apoc. 4. 3. Apoc. 7. 4. Apoc. 7.

O cæ-

O cælum, ô Domus omnis amænitatis & gaudij. Quis non nauſeet, vel etiam ſuauiſſimos hominum concentus, velut inconditos pecudum mugitus, cum de te, tuaq; cogitet, non dulciſſima tantum, ſed æternæ dulcedinis ſymphonia. O mors veni, lubeat exclamare, & transfer me, è valle flentium, in arcem canentium; auelle me ab hominibus, vt Angelis, diuinas laudes ſuauiſſimè concinentibus, adiungar.

2. Votum ut Angelicos concentus in cælo audiamus.

Eam nos, in miſeriarum valle vitam gerimus, vt ſemper *extrema gaudij, luctus occupet.* Suaues ſubinde moduli, aures noſtras permulcent; ſed hoc quamdiu? tandem ſatietas, nauſea & tædium, priorem ſuauitatem expellunt; Aut certè, dum Muſicos concentus auidiſſimè audimus, & adhuc integra eſt audiendi fames, ceſſatur, & omne illud Mel aurium, in ventos euaneſcit. Sic ſua perit, vel inuitis auribus, dulcedo, & tantò poſt durius cruciantur ſilentio, quantò plus ante, fidium & vocum ſono, delectabantur. Aliter in cælo canunt Angeli, & prolixiorem faciunt, ſuæ Muſicæ voluptatem, incipiunt, & nunquam finiunt; ſatiant, nec tædium creant. Poſt aliquot millena millia annorum Symphonia hæc tàm grata erit auditu, ac prima fuit hora, qua audiri cæpit. Iſtius Symphoniæ ſuauitas, mortalium aures, nunquam attigit; Immortalibus & beatis ſemet infundit. Auditus eſt equidem in Patrum quorundam Sanctorum conuentu Angelus Pſalmos cantare, & alios, ad diuina laudes excitare. Sanctus Venantius Abbas, in terris poſitus, cum Diuinis laudibus inſiſteret, referente S. Gregorio Turonenſi, Angelos cantantes audiuit: *Verè,* inquit, ſuis loquens Fratribus; *audiui voces Angelorum in cælis, Sanctus, Sanctus, Sanctus, proclamantes.* Sed imaginaria tantùm, hæc vox erat, non illa Muſica cæleſtis, quæ extra cælum, audiri nequit. O verè beatum, qui hanc muſicam audiet in Regno cælorum.

Prou. 14.

3 Exempla auditi cantus Angelici. In vitis Patrum 3. parte cap. 17. De gloria S. Confeſſoris. Sur. 13. oct.

II. Oratores ac Deprecatores.

Sunt *Angeli Oratores,* & noſtri apud Deum Deprecatores. Vidit Iacob ſcalam, cælos attingentem, & in ea deſcendentes Angelos, & viciſſim aſcendentes, quaſi cæli & terræ internuncios & Curſores, vt qui è cælo literas ferant, in hanc vallem, & hinc ab hominibus, illùc referant, reſponſa. Sunt *Spectatores* calamitatis noſtræ, ſunt *auditores ſuſpiriorum,* & gemituum noſtrorum; ſunt *teſtes precum,* & lachrymarum noſtrarum: Sed quid deſcenſus & aſcenſus iſte? qui hæ, precum noſtrarum oblationes? An Deo nunciant, quod ante neſciat? Sciuit antequam ordireris, quid precaturus eſſes. Ad quid Angelus? Iuuat, tanquam *adminiſtratorius Spiritus,* vt efficaciter audiaris. Sic Angelus Raphael, dicebat Tobiæ: *Obtuli orationem tuam Domino.* Et alius Cornelio Centurioni: *Orationes tuæ, & Eleemoſyna, aſcenderunt in memoriam, in conſpectu Dei.* Idem à ſe viſum, refert Arcaniſſimorum Dei ſecretorum, Primicerius Ioannes:

1 Angeli velut Nuncij & Curſores. Gen. 28.

2. Calamitatis noſtræ ſpectatores. Tobiæ. 12. Actor. 10.

Stetit

Apoc. 8. *Stetit Angelus ante altare, habens thuribulum aureum; Et data ſunt ei incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorum.* Idem adſtruit S. Pater Bernardus: *Solent*, inquit, *Angeli adſtare orantibus, & delectari in his, quos vident, puras in oratione, ad Deum, manus leuare.* Et ſibimet alio in loco exoptat: *Quis dabit mihi per vos, ô benigni Principes, petitiones meas innoteſcere apud Deum?*

Ser. 3. ſuper miſſus eſt.

Serm. 7. in cantica.

Quin etiam precibus noſtris, ſuas iungunt Angeli, & frigus noſtrarum orationum, ſuæ deuotionis igne temperant; Vnde S. Hilarius: *Angelis*, inquit, *non eget Natura Dei, ſed imbecillitas noſtra: nihil eorum, quæ agimus ignorat Deus, ſed infantia noſtra ad rogandum & promerendum, hos tales deſiderat oratores.* Nec eos neceſſitates noſtræ latent. tametſi cordium ſecreta non penetrent: *Quid eſt*, interrogat S. Gregorius, *quod ibi neſciant, vbi ſcientem omnia ſciunt?* Nec locorum diſtantia eos impedit. Eodem tempore diuerſiſſimis in locis, orabant, Tobias & Sara; hæc in Rages Medorum; ille in Niniue vrbe Aſſyriorum, & vno eodemque tempore, ſunt exauditi: Sic enim ait ſcriptura: *Miſſus eſt Angelus Domini ſanctus Raphael, vt curaret eos ambos, quorum vno tempore, ſunt orationes, in conſpectu Domini recitatæ.* quis recitauit? quis recitata commendauit? quis commendata obtulit, ſi non Angeli? Sic S. Valerianus Martyr, à S. Vrbano Papa baptizatus, Cæciliam cum Angelo, pro ſua, & fratris Tiburtij conuerſione, in cubiculo Virginis, orantem inuenit, quem poſtea, vbi ad fidem adduxiſſet, dignum effecit, qui eundem Angelum, diuino ſplendore fulgentem, ſimiliter conſpicaretur. Sit nobis hoc ſummum ſolatium, quod cauſarum noſtrarum Patronos & Actores, habeamus in cælis, qui negotia noſtra, fideliſſimè tractant; & hi ſunt ex illo miniſtrorum Dei numero, de quibus olim Daniel Propheta: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia, aſſiſtebant ei.*

In Pſal. 129.

4. Non latent eos noſtra neceſſitates.

Lib. 4. Dial. cap. 33.

Tob. 3.

5. Valerianus videt Angelum cum S. Cæcilia orantem.

Simeon Metaphr. in eius vita.

III. Legati Domini Dei.

Sunt Angeli *Legati Domini Dei*, cuius loco ac vice funguntur, dum in arduis rebus, ad nos deſtinantur: vt non incongruè de ſe affirmare poſſint: *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Chriſto exhortante, per nos:* Gabriel Archangelus ſanctus, Chriſti Incarnationem Virgini Deiparæ, primus nunciauit: Angeli ſancti, Natiuitatem Chriſti, nobis intimarunt: Angeli ſancti Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe, prædicauerunt; Angeli ſancti eum ad Iudicium rediturum, eadem forma, qua in cælos aſcenderat prædicauerunt; Per Angelos ſanctos, Diuina nobis voluntas, ſæpiſſimè innoteſcit: Hoc officio functus eſt Angelus, Ioſepho & Annæ Virginis ortum prænuncians; functus eſt Angelus, qui Iôannis Baptiſtæ ortum, Zachariæ Patri prædixit; functus eſt, Angelus Gabriel, cum incarnationem Filij Dei annunciauit. Quod ſi legatus propter eum, à quo mittitur, in honore habendus eſt, facili ſit æſtimatu, quantopere ſanctos Angelos,

2. Cor. 5.

Epheſ. 5.

1. Exempla è ſcripturis.

Luc 1.

Luc. 2.

Marc. 16.

Actor. 1.

2. Legatus propter herum.

Digitized by Google

Angelos, propter Deum venerari obligamur, quorum tot *millia miniſtrant ei, & decies centena millia, aſſiſtunt ei.*

Sunt Angeli ex munere, à Deo illis iniunċto, noſtri *Protectores*, vt Regius Pſaltes affirmat: *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te, in omnibus vijs tuis.* In vijs, inquit, non in præcipitijs; gradientem in via humilitatis, non ſuperbiæ ſemita, in altum ſe extollentem: Nam ſicut quiuis homo, ita quæuis Regio, Prouincia, Regnum, ſuum habet Angelum tutelarem ex illis, de quibus Daniel Propheta: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia, aſſiſtebant ei.* O exoptatiſſimum Protectorem, de quo nos ſolatur Regius vates: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* *IV Protectores. Pſal. 90. Pſal. 33.*

Sunt Angeli ſancti, noſtræ militiæ, quam gerimus, in hac vita, *Duces, & Archiſtrategi*, & tales quidem, vt quoties velint, à parte ſua ſtantem, habeant victoriam. Sine armis, ſine clypeis, ſine tormentis bellicis, ſine commeatu, ſine impedimentis, ſine copijs pugnant, & copias quantumcunque maximas, vel leuiſſimo halitu, difflant. Scripturam audiamus: *Cum eſſet Ioſue in agro Vrbis Hiericho, leuauit oculos, vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noſter es, an aduerſariorum? qui reſpondit: nequaquam, ſed ſum Princeps Exercitus Domini, & nunc venio*; quaſi diceret, vt ſtem à parte tua, & Iſraelitico Populo, victoriam reportem. Cuius induſtriæ, pulcherrimum nobis exemplum ſuppeditat Sophronius, in prato Spirituali, qui liber in Concilio Nicæno ſecundo, teſte Aloyſio Lippomano, ſummam æſtimationem obtinuit, & authoritatem. In eo Abbas Theodoſius, de ſeipſo verbotenus refert, quæ ſequuntur: *Antequam ordirer vitam ſolitariam, raptus ſum quadam die, in extaſin, & vidi hominem mira ſpecie, cuius claritas, multis partibus candorem ſolis ſuperabat: hic dextra me apprehendens, veni, inquit, quia in aream tibi deſcendendum eſt, vt dimices. Atque hæc dicens, introduxit me in theatrum, immenſæ amplitudinis, quo circumſpecto, vidi ab vna parte, multitudinem hominum, qui albis induti erant, ab altera, Exercitum non minorem, atrore nigerrimo, ſupra modum horridorum. Interea vir quidam formidabili ſpecie, & inuſitatæ magnitudinis, procurrit, cuius horrendus vertex, nubes penetrabat. Mox Iuuenis ſiue Angelus Cuſtos (hunc quippe fuiſſe crediderim, qui principio apparuerat.) Age dum, Theodoſi, inquit, hoc cum Antagoniſta, in præſens tibi pugnandum eſt. Ego igitur, quem vel aſpectus terribilis, illius gygantis exanimaſſet, pauere ac trepidare, & clariſſimum iuuenem à quo in Palæſtram illam deductus fueram, talibus verbis flectere, & exorare aggreſſus ſum. Quis quæſo, mortali circumdatus infirmitate, cum tali aduerſario, confligere præſumat? Si omnium hominum vires, in vnum conflarentur, nec leuiſſimum quidem illius ictum, eluderent. Immò verè, reſpondit* *V. Belli Duces. 1. Pugnant ſine armis. Ioſue. 5. 2. Exemplũ Abbatis Theodoſii. Prati Spiritualis c. 66. Angelus animat Theodoſium aſpectu Dæmonis exterritum.*

Angelus,animo planè inuictus, pugnare te volo, & iubeo. Quocirca præſto ſis, & ſpem concipe,quia mox ad initium pugnæ,ſuccurram tibi, ac demum confecto prælio,& parta victoria,caput tuum, præparato cæleſti diademate, coronabo. Vt primum igitur certamen auſpicatus ſum,nobiliſsimus contentionis noſtræ Iudex, ante me ſtetit,& coronam impoſuit. Tunc vniuerſa illa, atrorum ſpectatorum acies, fremendo & vlulando,diſparuit,remanente ſolum,candidatorum cætu,qui infinitas laudes,Protectori meo,pro cæleſti ſuccurſu, & victoria, ipſius auxilio obtenta, occinuit: Hæc Theodoſius Abbas,apud Sophronium,Patriarcham Hieroſolymitanum. Viſio admiratione digna,& ſolatio plena.

3.Collectio omnium officiorum Angelicorũ.

Si ergo diuinas laudes ſpectemus,Angeli officio,ſunt *Cantores*, & Aulæ cæleſtis Muſici,ac Symphoniſtæ:Si Miniſterium noſtrum intueamur, Sunt *noſtri Oratores,* & apud Deum, culparum deprecatores, ſunt *Legati* Domini Dei,cuius vice funguntur,Diuinamq;,in rebus dubijs,referant voluntatem. Sunt noſtri,contra vim,tot hoſtium,*Protectores*: ſunt noſtri *Belli duces*,& auxiliatores,in huius vitę militia,vt vincentes,immarceſſibilis gloriæ coronã reportemus. Quid amplius ab illis Nobiliſſimis Spiritibus exigamus,qui ſine omni mercede,abſque omni remuneratione,dies nocteſq; cuſtodiæ noſtræ,inuigilant,Clientes ſuos, mille beneficijs,interdiu noctuq; cumulantes? Ipſi namq; ſunt *adminiſtratorij Spiritus,miſsi in miniſterium eorum,qui hæreditatem capiunt ſalutis:* Ideoq;,vt S.Auguſtini teſtimonio concludam,*Magna cura & vigilantia, adſunt nobis, omnibus horis & locis,ſuccurrentes & prouidentes,neceſsitatibus noſtris.*

Soliloq.c.7.

II. Nomina & honorũ Tituli, quibus Angeli exornantur.

Exod 32.

I. A ſcriptura.

Vt porrò eorum munificentia,tantò clarius innoteſcat,tametſi,quo nomine ſinguli vocentur,intellectus noſtri,ſumma imbecillitate, capere non valeamus, cum Angelus à Patriarcha Iacob, vt ſuum ederet nomen,compellatus,reſponderit: *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile?* Honorum tamen Tituli,& varia,quibus non ſolùm à Spiritu ſancto, ſed & ab Eccleſia,& S.Patribus condecorantur,Elogia,facem nobis accendunt,ac præferunt,vt aliquam ſaltem eorum cognitionem,aſſequamur.

1 Angeli.

Pſal.103.

2. Flammæ vrentes.

3. Miniſtri hominum.

Appellantur in primis,beatiſſimi Spiritus iſti,*Angeli*,id eſt *miſsi*,cum eos,Cæli terræq; Monarcha,veluti propugnatores noſtros,è cælo,in terras transmittat: Vnde Regius Vates, cum Deo loquens: *Qui facis Angelos tuos Spiritus.* Appellantur flammæ vrentes,non ſolùm, quia ſæpius, vt in defenſione Prophetæ Eliſæi,ignei flammeiq; apparuerunt,verum etiam, quia per Sanctas inſpirationes,& ſalutis monita,cor noſtrũ,vitijs tepefactum,amore Dei efficaciſſimè inflammant, dicente Propheta: *Qui facis Angelos tuos Spiritus,& Miniſtros tuos ignem vrentẽ.* Vocantur *noſtri Miniſtri*: Sunt enim nobis adiumento,in via ſalutis, deq; medijs ad illã requiſitis, proſpiciũt,variaq; Clientibus,Dei dona,miniſtrant,affirmãte Apoſtolo:

Digitized by Google

Ipſi enim *ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium propter eos, qui here- ditatem capiunt ſalutis.* Hebr. 1. Nominantur *milites noſtri*: Pro nobis enim, aduerſus humanæ Naturæ inimicum, Sathanam, prælium ineunt, & bono noſtro, victoriam reportant, promittente Deo, per Zachariam: *Circumdabo te ex his, qui militant mihi,* qui ſunt Angeli, iuxta S. Hieron. explicationem. Intitulantur *oculi Chriſti*, vndiq; vigilantiſſimè circumſpicientes, ne ſeruis illius, in terreſtri peregrinatione, aliquid deficiat. Vnde Propheta Zacharias: *Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in vniuerſam terrã.* A S. Ioanne, vocantur *ſeptem Spiritus, miſſi, per omnem terram,* vt Dei ſeruorum neceſſitates explorent, Diuinæ Maieſtati referant, & auxilium depoſcant. Dauidis inſuper teſtimonio, S. Angeli, *ſunt Fabri* quodammodo, qui nobis arma cudunt, contra quatuor noſtros capitaliſſimos hoſtes, *Peccatum, Carnem, Mundum, Dæmonem*, qui quatuor pernicioſſimis beſtijs, à Dauide indigitantur: *Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, conculcabis Leonẽ, & Draconem: Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te, in omnibus vijs tuis.* Dicuntur à Iacob Patriarcha, Exercitus & caſtra Dei: Nam cum innumerabiles propemodum Angelos, in auxilium ſuum, contra perſecutorem Eſau, aduentare conſpicaretur, in hanc vocem erupit: *Caſtra Dei ſunt hæc.* Nec immeritò à ſponſa cæleſti, *caſtrorum Chori*, nominantur: Non enim tantum ſunt caſtra, vt ab hoſtibus impugnatos, defendant, ſed etiã Chori muſici, vt anguſtiatos, animiq; dubios, ſpe victoriæ, & interiori conſolatione, recreent, ne animo penitus deijciantur. Salutantur deniq; à Propheta Abacuc, Titulo Altitudinis, cum dicit: *Altitudo manus ſuas leuauit. Dicitur autem Angelus Altitudo*, inquit S. Hieronymus, *quia potentia pariter & ſcientia, hominibus eminet vniuerſis.* Hi ecce ſunt Tituli, hæc Elogia, quibus à Spiritu ſancto, Angeli noſtri Tutelares, condecorantur.

Hebr. 1. — 4. Milites. — Zach. 3. — In cap. 3. Zachariæ. — 5. Oculi Chriſti. — Zach. 4. — 6. Fabri armorum. — Pſal 90. — 7 Caſtra Dei. — Gen. 32. — 8. Chori caſtrorum. — Cant. 6. — 9. Altitudinis. — Abac. 3. — In c. 3. Abac.

Sanctos inſuper & orthodoxos Patres audire placet? Omnium primò ſe nobis offert S. Auguſtinus, qui eos nominat: *Aquas ſupra firmamentum*, iuxta illam Dauidis, ad laudes Diuinas, inuitationẽ: *Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eũ omnes virtutes eius; & Aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt.* Nec ſine myſterio, Aquæ ſupra firmamentum, ſiue quod flamam Diuinę iuſtitiæ, contra ſcelera noſtra ſuccenſam, extinguant; ſiue quod gratiarũ ac fauorum Diuinorum, copiam, nobis cælitus depluant, & noſtras exinde animas, fæcundent. Ab eodem S. Auguſtino, dicuntur noſtri *fideles amici*, non propriam, ſed noſtram quærentes vtilitatem, neminiq; blandientes: *Magnus eſt*, inquit, *affectus dilectionis eorum erga nos.* Nec deſerunt nos, in periculis vltimis, præſertim in agone conſtitutos: Nam quantum diſtat cælum à terra, tantum diſtat ipſorum amicitia, ab humana: differentia eſt in promptu: Homines appropinquante mortis hora, omnem

II. A ſanctis Patribus — 1. Aquæ ſupra Firmamentum. — S. Auguſt. lib. 19. Confeſſionum. — Pſal. 148. — 2. Fideles amici. — Soliloq. c. 27

3. Conſolatores. In prouerb. Salomonis cap. 25. Prou. 25.

protinus amici ſollicitudinem, & amorem dimittunt; in hoc extremæ neceſſitatis articulo, omnium maximè Angeli, contra Dæmones dimicant, Clientumq; ſuorum ſalutem æternam, procurant. S. Hieronymus, eos appellat, *noſtros Conſolatores*, dum illis attribuit illud Salomonis: *Aqua frigida, animæ ſitienti; nuncius bonus de terra longinqua*; & quænam illa? qua deſcendunt Angeli, de patria cæleſti, in hanc miſeriarum vallem, vt nos conſolentur, & tanquã infuſa frigida, ſitibundos refrigerent. Defectibus quoque noſtris atque miſerijs vltrò compatiuntur, auxilium,

4. Conſiliarij. Hom. 28. in cap. 2. Gen.

quo liberi euadamus, liberaliter offerentes. *Conſiliarij* quoque *noſtri*, à vetuſtiſſimo Doctore Origene, ſalutantur, quoniam in rebus dubijs, conſilium præſtant, & in peregrinatione, viam cæli oſtendunt: *Angeli*, inquit, *velut procurationem Animarum noſtrarum, tenent, quibus, dum adhuc paruuli ſumus, veluti tutoribus & actoribus committimur*: Suffragatur S. Auguſtinus: *Attendunt Angeli*, inquiens, *nos peregrinos, & iuſſu Domini, auxiliantur nobis, vt ad illam patriam, communem aliquando redeamus.*

Soliloq. c. 27. 5. Cenſores. Hom. 20. in cap. 25. Numeros.

Cenſores quoque *noſtri* ab eodem Origene, conſtituuntur, dum ait: *Adeſt vnicuique noſtrum, etiam Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus noſtris corrigendis, & miſerationibus expoſcendis, quotidie videant faciem Patris.* S. Bernardus beatiſſimos hoſce Spiritus, vocat *Pædagogos*, qui nos iugiter in rebus Diuinis informent; Et inſuper *Mediatores & Legatos inter Deum & animam* ſalutat: *Diſcurrunt*, inquit, *inter nos & Deum, fideliſſimè portantes ad Deum, gemitus noſtros, & ipſius gratiam referentes.*

6. Pædagogi. Serm. 12. in Pſalm. Qui habitat. 7. Mediatores. Serm. 20. de Natiuit.

II. Hiſtoria de S. Dominico. Bar. Tom. 13. Annal. ad ann. 1220.

Quàm denique officioſi erga nos Spiritus ſint Angeli ſancti, facilè conſtabit ex geſtis S. Dominici, Patriarchæ ordinis Prædicatorum. Hic cum Fauentiæ in Palatio Epiſcopali, negotiorum cauſſa, diebus non paucis demorari cogeretur, ac more conſueto, ad perſoluendas matutinas preces, cum ſocio conſurgeret, ſemper viſi ſunt duo pulcherrimi Angeli, cum luminaribus accenſis, ad eius cubiculum accedere, Beatumq; Dei ſeruum, cum ſocio, ianuis omnibus clauſis, per vineta, ad S. Andreæ Eccleſiam conducere, precumque penſo perſoluto, domum reducere: Quod cum Epiſcopo relatum eſſet, vt rei certitudinem exploraret, ipſemet noctibus aliquot, comitatus Angelici, ſpectatorem eſſe voluit, votique compos effectus, Eccleſiam illam, & locum, pro monaſterio ædificando, ſanctiſſimo Patri, lubens volenſq; conceſſit.

Hi ergò Cæli Principes, ad te, ô homo, mittuntur, qui vermis es, vt tibi ſeruiant, & miniſtrent, & tu nihilominus, eorum conſortia defugis; tu tàm ingratus es, vt tot eorum beneficia, nec agnoſcas, nec vnquam, vel gratias verbotenus agas? Quin etiam, vt Dæmon iratiſſimus hoſtis tuus, per peccatum exhilaretur, Angelum tuum Cuſtodem, contriſtas.

Quoties

Quoties enim à bono deuiamus, inquit S. Auguſtinus, *Diabolum lætificamus, & Angelos, ſuo gaudio defraudamus.* Quid agis? quid moliris ô inſipiens erro? Si non omninò deſipis, ad eum te conuerte, cum Deo & cum ipſo, in gratiam redi, & accuratius poſthac conſidera, quàm iuſto titulo, tàm nobilem Cæli Principem, & ames, & metuas, & filiali obſeruantia, re-uerearis. *Solil. 27.*

Vt denique tantò perſpicacius re ipſa condiſcatis, quàm fideliter, Amici, Tutores, Conſolatores, ac Cenſores iſti cæleſtes, ſuam circa nos, obeant cuſtodiam, atque tutelam, hiſtoriam accipite, memoratu pariter, & obſeruatu dignam: *Iuuenis quidam, erga ſanctum Angelum Cuſtodem, egregiè deuotus, nec modeſtia corporis, animique puritate, cæterisq; virtutibus minus conſpicuus, literarum gratia, in Vltraiectenſi Diæceſi, morabatur: Hic, neſcio quomodo, quibuſque perſuaſionibus, inductus, adiunxit ſe peſſimis, ac diſcolis, laſciuiæq; deditis ſocijs, è ſtudioſa iuuentute, qui malo exemplo, & aſtu, impudicæ mulieris, ad quam ille, præter omnem opinionem ac voluntatem ſuam, deductus erat, euſque illum pellicere, machinabantur, parum vt abeſſet, quin cum puritate mentis, florem etiam virginitatis, diuina gratia, & protectione Angelica, illæſum hactenus conſeruatum, improbiſſimè conculcarat. Verùm Angelico tandem inſtinctu, deſertis maleſidis ſociis, nox quippe ingruebat, cum domum repetens, etiam atque etiam expenderet ſecum, & admiraretur periculum, in quod, irreparabilem, pudicitiæ theſaurum, conieciſſet. Ecce iuuenis, inuſitati decoris & ſplendoris, niuea indutus veſte, illi obuiam prodijt, qui accedens, alapam eius faciei, tàm valido ictu, inflixit, vt in terram concideret, dicens: Vel tandem diſce, peruerſas ſocietates fugere. quo prolato* ·*erbo, repentè diſparuit. Adoleſcens attonitus, rei nouitate, cum ſe aliqúan* *i collegiſſet, & in pedes erexiſſet, ad animum, quæ ſibi acciderant, reflectens, manifeſtè agnouit, iuuenem illum, tanta claritate conſpicuum, Angelum Cuſtodem fuiſſe; Eiuſque beneficio, tantum ſe, præterita die, caſtimoniæ diſcrimen euaſiſſe, didiciſſeq; impoſterum, peccandi occaſiones, vigilantius euitare. Vnde incredibili perfuſus gaudio, pro duplici fauore, Deo & Angelo Cuſtodi, gratias reddidit, cautior in conuerſatione effectus, illius admonitione, à quo alapam ſuſtinuerat, vt Caro caſtigata ab Angelo, Spiritum erudiret, quemadmodum, S. Gregorius loquitur, explicans figuram aſinæ & Balaam, quæ ab Angelo territa, Dominum à maledictione Iſrael, auulſit.* Quin verè potuiſſet, ingenuus iſte, & candidus adoleſcens Heroinæ Iudithæ verbum vſurpare: *Viuit Dominus, quia cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi,* in medijs peccandi occaſionibus, *commorantem, & inde huc reuertentem, & non permiſit me,* Clientulum ſuum, *coinquinari.*

Angelus alapa corrigit Adoleſcentē, & reuocat à lapſu.

Speculum Exemplorū. Diſt 10. num. 9.

In paſtoral.

Iudith. 13.

Obedite, dilecti, ſanctis Angelis, omni tempore & loco, omnes ruinæ & ſcandali occaſiones, vobis diſſuadentibus; quin immò, rogate,

Digitized by Google

& inſtanter eos obſecrate, & exorate, vt ſi quando velut indomiti iuuenculi, culpa veſtra, in eiuſmodi offendicula, incideritis, paterna correctione coercitos, & materna caſtigatione eruditos, inde abſtrahant, caſum impediant, vt *quantum poſſumus*, monente Seneca, *à lubrico recedamus, nam & in ſicco parum firmiter ſtamus.*

Epiſt. ad Lucilium. Obſecramus vos, & impenſiſſimè obteſtamur, ſancti Angeli Cuſtodes, vt ſi quando, ex humana fragilitate, nos in grauia peccata lapſuros præuideritis, illicò accurratis, opem feratis, occaſiones peccati, amoueatis, *à laqueo, quem poſuit* hoſtis, *pedes noſtros euellatis*, petram ſcandali, & lapſuum occaſionem faceſſere iubeatis, vt in gratia Dei, firmi ac ſtabiles permanentes, veſtro promotu & opitulatu, parata beatis omnibus, præmia, feliciſſimo ſucceſſu tandem capeſſamus. Amen. (Pſal. 114.)

SERMO IX.

De Apparitionibus & Imaginibus Sanctorum Angelorum.

Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Luc. 2.

PRopenſiſſimam erga homines beneuolentiam, tàm in lege Naturæ, quàm in lege gratiæ, ſancti Angeli oſtenderunt, cum varijs perſæpè modis, apparentes, plurima illis beneficia, præſtiterunt. At longè feruentiorem, erga nos, dilectionem, reipſa declarare cæperunt, cum Regem & Creatorem ſuum, carne noſtra, in Virginis vtero, indutum, in præſepio vagientem conſpexerunt: Nam geſtientem animorum lætitiam, continere non valentes, turmatim illicò, cum ſancto Archangelo Gabriele, in terras deſcenderunt, & Paſtoribus viſibili ſpecie, ſe oſtendentes, Saluatoris mundi Natiuitatem, fauſtiſſimo nuncio prodiderunt, ſeq; poſthac hominibus, arctiori amicitiæ vinculo, coniunctos iri, declararunt, quando *Gloria in excelſis Deo*, cantantes, pacem *hominibus bonæ voluntatis*, in terra degentibus, exoptarunt. (Luc. 2.) Qua de re, ſi lubet, S. Gregorium audiamus: *Cæleſtium ſpirituum ad nos Conditor venit, ſeque hominem, ſub ipſis exhibuit, ſicut de ipſo, Patri per Prophetam dicitur: Minuiſti eum, paulo minus ab Angelis. Et quia inter nos & eoſdem Spiritus, diſcordia ſcandalum reperit, mira potentia, mirabiliori etiam pietate, ſumma creans, ima ſuſcipiens, ima ſummis coniunxit. Hinc eſt, quod eodem Rege nato, Angelorum Chori, in eius natiuitate prodeunt, hymnum dicunt, & quos dudum deſpexerant, ciues agnoſcunt, conſono ore prædicantes: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus, bonæ voluntatis, ac ſi apertè dicant: Quos à nobis malitia ſeiunxe-* (Lib. 27. Moral.)

ſeiunxerat, iam nunc in terra Bonitas nata coniunxit. Is ergò, qui propter nos minor Angelis extitit, æquales nos, Angelis, virtute ſua minorationis, fecit. Ergo ſi deſperat humana fragilitas, conſideret vnigeniti ſanguinem, & in precio ſuo conſpiciet, quàm magna eſt, quæ tantum valet. Perpendat ſollicitè, quo caput præceſſit, confidat cælos, ſperet ſupernam patriam, Angelorum ſe ſociam ſciat, atque in capite ſuo, prælatam ſe etiam Angelis, gaudeat. Adhoc tandem, & Angelos ad hanc celſitudinem conſequendam, miniſtros dedit, qui ſancta cuſtodia ſua, & miniſterio vigilanti, prorſus ineffabili affectu, nos proſequuntur, id quod ſatis expreſſerunt, cum viſibili ſchemate, paſtoribus apparentes, Regis ſui natalem, euulgarunt. hæc S. Gregorius. Cum itaq; ſæpiùs exinde humana, viſibiliq; forma, hominibus apparere conſueuerint, haud intempeſtiuum fore, ſum arbitratus; Si primùm de ipſorum apparitionibus, in corporibus humanis, de imaginibus denique quibus depinguntur, Myſteria quædam elucidarem. Vos ô ſancti Angeli, gratiam impetrate, vt Regis veſtri honor, cum noſtra ſalute, exinde promoueatur.

Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos. Claritas, inquam, quę à corpore, in quo præſentiam ſuam exhibebat, mirandum in modum effulgeſcebat. Certum in primis eſt, Angelos Spiritus, & planè incorporeos eſſe, & ſi in corporibus humana forma, ſe præſentes ſiſtant, corpora, aliunde aſſumpta, geſtare. Eſt igitur quæſtio prima: *Vtrum Angelus Cuſtos; vel quis alius Angelus, habeat potentiã, corpus aſſumendi?* Affirmant, cum S. Thoma, omnes Theologi; tres tamẽ requirunt conditiones: *Prima*, vt corpori aſſumpto, ſit ſubſtantialiter præſens. *Altera*, vt in corpore exiſtat, tanquam Motor in mobili; *Tertia* vt corpore vtatur, tanquam inſtrumento, ad ſignificandas res, quas vult manifeſtare. Sic Angelus Cherubin, corporea forma, primis parentibus, ignea cum romphæa, apparuit, ante ingreſſum terreſtris Paradiſi. Sic Agari ancillæ, fugienti à facie Dominæ ſuæ, corpore indutus apparuit, eamq; , vt reuerteretur, induxit. Sic tres Angeli humana forma, apud Patriarcham Abraham diuerterunt, & ab eo hoſpitio excepti, diuinum conſilium, de perdendis Sodomitis, detexerunt. Sic tres Angeli, ſpecie pulcherrimorũ iuuenum, Loth, Sodomis eduxerunt, & poſtea ciuitatẽ, igne & ſulphure, cęlitus deiectis, euaſtarunt. Sic Angelus viſibili forma, apparuit Balam, ſtrictoq; cum gladio, minitatus eſt interitũ, ni Populo Iſrael, maledicere ceſſaret. Sic Ioſue, prope Hiericho, apparuit Angelus, eumq; de bellicis rebus inſtruxit. Sic Gedeoni apparuit, in torculari, eumq; belli Ducem, Iſraelitis, deſignauit. Sic Manue, Patri Sampſonis apparuit, eumq; de filij, Herois generoſiſſimi Sampſonis natiuitate, informauit. Sic apparuit Heliæ in deſerto, eumque ſubcinericio pane, & aqua refecit. Sic apparuerunt Paſtori-

[Margin notes: I. Poteſtas aſſumendi corpus. — I. *Quæſtio: An poſſit corpus aſſumere.* — 2. *Exempla ſcripturæ.* — *Gen.* 3. — *Gen.* 18. — *Gen.* 19. — *Num.* 22. — *Ioſue.* 1. — *Iudic* 6. — *Iudic.* 18. — 3 *Reg.* 19.]

Digitized by Google

Luc. 2. *Luc.* 1. *Marc* 16. *Actor.* 1.

Paſtoribus, innumerabiles Angeli, recens natum Saluatorem, annunciantes. Sic apparuit Zachariæ Patri Ioannis Baptiſtæ, & Filij ortum prædixit: Sic apparuit Mulieribus, in Chriſti ſepulchro, Angelus, eumque à mortuis reſurrexiſſe, prædicauit. Sic apparuerunt duo Angeli, in veſtibus albis, Chriſto in cælum aſcendente, & eum viſibili forma, in die iudicij extremi, rediturum monuerunt. Sic apparuit Petro in carceribus detento, Angelus, eumque liberauit. Sic Iudam Machabæum, in campis pugnantem, contra hoſtes, Angelus viſibili forma præceſſit & protexit. Sic Heliodoro, ærarium expilare cupienti, Angelus in Equo apparuit, & Equi calces priores, illius faciei, terribiliter impegit. Quid attinet plura exempla commemorare, cum tota ſacra hiſtoria, vtriuſque Teſtamenti, talibus Angelorum viſionibus, abundet? *Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & Claritas Dei circum fulſit illos.*

2. *Mach.* 10. 2. *Mach.* 3.

II. An ſint vera vel Phantaſtica corpora? 1. *Aliquando vera corpora induunt animalium perfectorum.* *Sim. Metap. & Nicephor.*

Eſt quæſtio ſecunda: *An corpora, quæ Angeli aſſumunt, ſint vera corpora, qualia apparent, an ſolùm Phantaſtica?* Reſpondetur: Angelos aliquando, vera etiam, perfectorum animalium corpora, aſſumere poſſe, & in illis apparere, vt Angelus in forma cerui, Saluatoris Crucifixi, imaginem, inter cornua geſtantis, S Euſtachio, inter venandum apparuit, eumq; in Chriſti fide informauit: Sic S. Clementi, Diſcipulo S. Petri, apparuit Angelus in forma agni, cum à Traiano Imperatore, trans mare Ponticum, in ſolitudinem vrbis Cherſonæ exul relegaretur vbi duo millia Chriſtianorum, ad eruenda & ſecanda Marmora, damnati, ſumma aquæ penuria laborabant: Illic enim, *facta ratione, in vicinum collem aſcendit, in cuius iugo vidit agnum, dextro pede fontem, aqua dulciſſima, quæ inde ſcatebat, attingentem, de quo ſitim abunde expleuerunt, eoq; miraculo, innumerabiles ad fidem conuerſi, Clementis ſanctitatem venerari cæperunt.*

Theobaldus apud Sur. To. 5 in vita S. Gummari c. 8.

Sic *S. Gummaro Romam pergenti, ad viſitanda Apoſtolorum limina apparuit Angelus in ſpecie columbæ ſupra tentorium mirabili ſplendore rutilantis, ac dicentis: Ego ſum Angelus tuus, Dei nuncius, vt tibi aperiam eius voluntatem: Conſtanti animo eſto, & bonis operibus vigilanter aſſiſte, certiſſimè ſciens, quia ad conſortium Angelorum perueniens, & ſempiternæ vitæ præmia, pro labore temporali percipies.* hæc Angelus ad Dei ſeruum.

2. *Humanũ corpus ex aëre formant.* 3 *Colorem quomodo producat?* 4. *Quomodo figuram.*

Si autem humanum corpus aſſumat, vt in eo appareat, illud per potentiam ſuam motiuam ex aëre formant. Colorem itaque humani corporis, faciliimè producit, vel aſſumendo materiam, ſimilis coloris, vel curando, vt corpus aſſumptum, variè illuminetur, atque adeò in ipſo reſultent colores apparentes, quemadmodum in Iride, qui non minus, quàm veri colores, terminant potentiam viſiuam. Figuram nullo negotio exhibebit, materiam corporis, quod aſſumit, ſecundum eas dimenſiones

ſiones comprimendo, aut dilatando, quibus humana corpora, communiter affecta eſſe, conſueuerunt. Duritiem & carnis mollitudinem, facilè etiam refert, vel variè Materiam aëris inſpiſſando, vel variè applicando, potentiam ſuam motiuam, diuerſis partibus, maiori nimirum conatu, quam partibus quæ apparent, oſſeæ, vt magis reſiſtant, minore verò alijs, quæ carnem referunt, vt minus reſiſtant, ac proinde hæ carnis mollitiem, illæ oſſium ſoliditatem, præ ſe ferant. Quod idem cum proportione, de alijs accidentibus eſt dicendum. *5. Duritiem & mollitiē.*

Materia porrò, ex qua ordinariè ſancti Angeli, corpora aſſumunt, vt S. Thomas adſtruit, eſt Aër, in ſe vapores, ac ſimiles materias includens, quæ facilè inſpiſſari, per oppoſitionem lucis, colorari, ac denique facillimè diſſolui poſſint. Iſthîc verò, ſicco pede non eſt tranſeundum, quod præcipui Theologi obſeruant, Angelum, non poſſe tàm perfectè, qualitates tangibiles, in partes, corporis aſſumpti, inducere, quàm perfectè introducerentur, ab ipſa natura partium, ſi adeſſet; ac proinde poſſe hominem, ſi ſumma cura & diligentia attendat, facilè, medio tactu, venire in cognitionem, corpus quod apparet, eſſe ſolùm phantaſticum, eaque de cauſſa, Chriſtus Dominus, probationem veri ſui corporis, retulit in ſenſum tactus: *Palpate & videte*, inquiens, *quia Spiritus* (id eſt corpus ſolum apparens, & phantaſticum) *carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*: Abraham verò, & cæteri Patres, veteris Teſtamenti, Angelicis viſionibus aſſueti, eam ab cauſſam, non aduerterunt, corpora illa non eſſe vera, quia ex iudicio ſupponente, vera eſſe credebant; nullam itaque ſollicitudinem adhibebant, ad rei veritatem cognoſcendam. *6. Materia aſſumptorum corporum eſt aër. 1 p. q. 51. a. 2. Suarez li. 4. cap. 35. 7. Corpora iſta non eſſe vera tactu deprehenditur. Luc. 24.*

Eſt iterum alia quæſtio: *Num Angelus Cuſtos in aſſumpto corpore, dici poſſit, propriè comedere, loqui, & habere motum progreſſiuum?* ℞. Propriè non comedere: Nam comeſtio, præter diuiſionem cibi, importat, vt hoc fiat à partibus viuentibus, & ſit ſumptio cibi conuertibilis, in ſubſtantiam viuentis. Vnde affirmat Archangelus Raphael: *Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere, ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor*: Reſpondetur ſecundò: Ad rigorem locutionis, non ſufficit, quæcunque vocis articulatæ efformatio; ſed inſuper exigit, vt fiat per propria organa, vitalia, ex motione phantaſiæ vel intellectus, per modum principij vitalis, ſuppoſito, quod dicitur loqui, in exiſtentis; ſed talis non poteſt eſſe vox Angeli in corpore, ex aëre aſſumpto: Nam licet verba intelligibilia, artificioſe aërem mouendo, comprimendo, raritate aut denſitate contemperando, ſicut in organi, aliorumque inſtrumentorum fiſtulis, fieri conſueuit, ex ore depromat, non tamen eſt locutio vera, quæ ſoli homini, linguam, & arteriam raucam, dentes & ſimilia locu- III. Quæſtio. An in aſſumpto corpore, proprie comedat, loquatur, progrediatur. *1. Comedere verè non poteſt. Tob. 12. 2. Nec verè loquitur.*

 tionis

Luc. 2. *Luc.* 1. *Marc* 16. *Actor.* 1.

Paſtoribus,innumerabiles Angeli,recens natum Saluatorem, annunciantes. Sic apparuit Zachariæ Patri Ioannis Baptiſtæ, & Filij ortum prædixit: Sic apparuit Mulieribus,in Chriſti ſepulchro, Angelus,eumque à mortuis reſurrexiſſe,prædicauit. Sic apparuerunt duo Angeli, in veſtibus albis,Chriſto in cælum aſcendente,& eum viſibili forma, in die iudicij extremi, rediturum monuerunt. Sic apparuit Petro in carceribus detento,Angelus,eumque liberauit. Sic Iudam Machabæum,in campis pugnantem,contra hoſtes,Angelus viſibili forma præceſſit & protexit. Sic Heliodoro,ærarium expilare cupienti,Angelus in Equo apparuit, & Equi calces priores,illius faciei,terribiliter impegit. Quid attinet plura exempla commemorare,cum tota ſacra hiſtoria, vtriuſque Teſtamenti, talibus Angelorum viſionibus, abundet? *Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos,& Claritas Dei circumfulſit illos.*

2. Mach. 10. *2. Mach.* 3.

II. An ſint vera vel Phantaſtica corpora? 1. *Aliquando vera corpora induunt animalium perfectorum.* *Sim. Metap. & Nicephor.*

Eſt quæſtio ſecunda: *An corpora, quæ Angeli aſſumunt, ſint vera corpora, qualia apparent, an ſolùm Phantaſtica?* Reſpondetur: Angelos aliquando, vera etiam,perfectorum animalium corpora,aſſumere poſſe,& in illis apparere, vt Angelus in forma cerui, Saluatoris Crucifixi, imaginem, inter cornua geſtantis,S Euſtachio,inter venandum apparuit, eumq; in Chriſti fide informauit: Sic S.Clementi,Diſcipulo S Petri,apparuit Angelus in forma agni,cum à Traiano Imperatore, trans mare Ponticum, in ſolitudinem vrbis Cherſonæ exul relegaretur vbi duo millia Chriſtianorum,ad eruenda & ſecanda Marmora,damnati, ſumma aquæ penuria laborabant: Illic enim,*facta oratione,in vicinum collem aſcendit, in cuius iugo vidit agnum,dextro pede fontem,aquæ dulciſſimæ, quæ inde ſcatebat, attingentem,de quo ſitim abunde expleuerunt, eoq; miraculo, innumerabiles ad fidem conuerſi,Clementis ſanctitatem venerari cœperunt.*

Theobaldus apud Sur. To. 5 in vita S. Gummari c. 8.

Sic S. Gummaro Romam pergenti, ad viſitanda Apoſtolorum limina apparuit Angelus in ſpecie columbæ ſupra tentorium mirabili ſplendore rutilantis, ac dicentis: Ego ſum Angelus tuus, Dei nuncius, vt tibi aperiam eius voluntatem: Conſtanti animo eſto,& bonis operibus vigilanter aſſiſte,certiſſimè ſciens,quia ad conſortium Angelorum peruenies,& ſempiternæ vitæ præmia,pro labore temporali percipies. hæc Angelus ad Dei ſeruum.

2. *Humanũ corpus ex aëre format.* 3 *Colorem quomodo producat?* 4. *Quomodo figuram.*

Si autem humanum corpus aſſumat,vt in eo appareat,illud per potentiam ſuam motiuam ex aëre format. Colorem itaque humani corporis,facillimè producit, vel aſſumendo materiam, ſimilis coloris, vel curando,vt corpus aſſumptum,variè illuminetur, atque adeò in ipſo reſultent colores apparentes, quemadmodum in Iride, qui non minus, quàm veri colores,terminant potentiam viſiuam. Figuram nullo negotio exhibebit,materiam corporis,quod aſſumit, ſecundum eas dimenſiones

ſiones comprimendo, aut dilatando, quibus humana corpora, communiter affecta eſſe, conſueuerunt Duritiem & carnis mollitudinem, facilè etiam refert, vel variè Materiam aëris inſpiſſando, vel variè applicando, potentiam ſuam motiuam, diuerſis partibus, maiori nimirum conatu, quam partibus quæ apparent, oſſeæ, vt magis reſiſtant, minore verò alijs, quæ carnem referunt, vt minus reſiſtant, ac proinde hæ carnis mollitiem, illæ oſſium ſoliditatem, præ ſe ferant. Quod idem cum proportione, de alijs accidentibus eſt dicendum. *5. Duritiem & mollitiē.*

Materia porrò, ex qua ordinariè ſancti Angeli, corpora aſſumunt, vt S. Thomas adſtruit, eſt Aër, in ſe vapores, ac ſimiles materias includens, quæ facilè inſpiſſari, per oppoſitionem lucis, colorari, ac denique faciliimè diſſolui poſſint. Iſthîc verò, ſicco pede non eſt tranſeundum, quod præcipui Theologi obſeruant, Angelum, non poſſe tàm perfectè, qualitates tangibiles, in partes, corporis aſſumpti, inducere, quàm perfectè introducerentur, ab ipſa natura partium, ſi adeſſet; ac proinde poſſe hominem, ſi ſumma cura & diligentia attendat, facilè, medio tactu, venire in cognitionem, corpus quod apparet, eſſe ſolùm phantaſticum, eaque de cauſſa, Chriſtus Dominus, probationem veri ſui corporis, retulit in ſenſum tactus: *Palpate & videte*, inquiens, *quia Spiritus* (id eſt corpus ſolum apparens, & phantaſticum) *carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*: Abraham verò, & cæteri Patres, veteris Teſtamenti, Angelicis viſionibus aſſueti, eam ab cauſſam, non aduerterunt, corpora illa non eſſe vera, quia ex iudicio ſupponente, vera eſſe credebant; nullam itaque ſollicitudinem adhibebant, ad rei veritatem cognoſcendam. *6. Materia aſſumptorum corporum eſt aër. 1 p. q. 51. a. 2. Suarez. li. 4. cap. 35. 7. Corpora iſta non eſſe vera tactu deprehenditur. Luc. 24.*

Eſt iterum alia quæſtio: *Num Angelus Cuſtos in aſſumpto corpore, dici poſſit, propriè comedere, loqui, & habere motum progreßiuum?* ℞. Propriè non comedere: Nam comeſtio, præter diuiſionem cibi, importat, vt hoc fiat à partibus viuentibus, & ſit ſumptio cibi conuertibilis, in ſubſtantiam viuentis. Vnde affirmat Archangelus Raphael: *Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere, ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor*: Reſpondetur ſecundò: Ad rigorem locutionis, non ſufficit, quæcunque vocis articulatæ efformatio; ſed inſuper exigit, vt fiat per propria organa, vitalia, ex motione phantaſiæ vel intellectus, per modum principij vitalis, ſuppoſito, quod dicitur loqui, in exiſtentis; ſed talis non poteſt eſſe vox Angeli in corpore, ex aëre aſſumpto: Nam licet verba intelligibilia, artificioſe aërem mouendo, comprimendo, raritate aut denſitate contemperando, ſicut in organi, aliorumque inſtrumentorum fiſtulis, fieri conſueuit, ex ore depromat, non tamen eſt locutio vera, quæ ſoli homini, linguam, & arteriam raucam, dentes & ſimilia locu- III. Quæſtio. An in aſſumpto corpore, proprie comedat, loquatur, progrediatur. *1. Comedere verè non poteſt. Tob. 12. 2. Nec verè loquitur.*

3. Nec vero motu progreſſiuo. tionis inſtrumenta habenti, propriè eſt attribuenda. Idem iudicium, de motu progreſſiuo Angelorum, licet vnũ poſt alterum pedem moueant, non eſt verus motus progreſſiuus, cum ſtatuæ etiam nonnullæ, certo artificio fabrefactæ, ſe moueant de loco ad locum; requiritur enim, vt motus progreſſiuus, oriatur à principio vitali, membris inhærente, aut potius inſidente, qui in corpore aſſumpto, non inuenitur. Neque ex his, quæ de comeſtione dicta ſunt, inferri poteſt, Chriſtum Dominum, poſt reſurrectionem, propriè non comediſſe: Quamuis enim cibus, quem ſumpſit, propter impaſſibilitatem corporis glorioſi, non fuerit actu, in ipſius ſubſtantiam conuerſus, habuit tamen corpus tale, in quod ſecundum ſpectatum, cibus poterat conuerti. Ex hoc capite abſit, abſit, vt illuſoria comeſtio illi ſit attribuenda.

4. Chriſtus poſt reſurrectionem verè comedit. In 1 p. q. 51. ar. 3.

IV. Diſcrimen inter Angelicas & Diabolicas Apparitiones. Eſt denique maximum, inter Angelicas & Diabolicas apparitiones diſcrimen. Nam primò Angelus ſemper, optimo fine, ad procurandam hominum ſalutem, apparet: Diabolus, etiamſi ſe aliquando, vt Apoſtolus monet, *in Angelum lucis transformet*, ſemper tamen hominibus illudere, eos decipere, & vbicunq; poteſt, eis nocumẽta, tàm corporea, quàm ſpiritualia, in anima inferre molitur. Angeli etiamſi aliena quandoque corpora, ſiue aſſumant, ſiue ex aëre componant, mundorũ tamen animaliũ, & quæ hominem non lædunt, ſpecies eligunt, vt de agno & ceruo S. Clementis, & S. Euſtachij, meminimus, & in eis ſe præſentes ſiſtũt. Diabolus maleficis & ſagis, vt plurimũ, ſpecie fœtentis hirci, quod animal, ob ſalacitatẽ, eorum malitiam penitiſſimè repræſentat, ſe videndũ præbet, atq; ab illis adoratur Sic etiã in forma grunnientium porcorum, ab Eccleſia S. Agathæ ſub præſentium pedibus, ſe ſe foras proripuerunt, cum eam ab Arrianis prophanatã, S. Gregorius Magnus, denuò dedicaret. Sic in forma ſerpentum, Draconum, Bufonum, & mille aliarũ frementium beſtiarum, ſpectris, teſte S. Hieronymo, & Athanaſio, S. Hilarium, & S. Antonium, infeſtarunt. Sic ſub ſpecie ſpumantium aprorum, iuuenem quendã Carthuſianum, in ordine Nouitium, terruerunt. Angeli præterea, nunquam induunt cadauera, vel ſimile quid putredine corruptum, ſicut Diabolus facere conſueuit, qui aliquando vt tantò fœdius, homagio ſibi deuinctis mancipijs illudat, quando cum illis carnaliter commiſcetur, non rarò putidiſſima, & vermibus ſcatentia, vel etiam furum ac latronum, è patibulis & rotis, cadauera aſſumit, in quibus nefandos & infames ſuas, vt Maieſtati Diuinæ tantò impudentius, inſultet, nequitias exercet. Angeli præterea, etiamſi principio, eos, quibus apparent, aliquantulũ terreant, mirã tamen, vbi diſparuerint, conſolationẽ & gaudiũ, in eius animo, à quo conſpecti ſunt, relinquunt. Diabolus, è contra, primo quidẽ intuitu, cum

2. Cor. 11.

In ſpecie hirci

In forma porcorum

Li. 4. Dial.

Serpentium Draconum, Bufonum ſpecie.

S. Hieron in vita S. Hilarij.

S. Athan. in vita S. Antonij ſub ſpecie aprorũ.

Petrus Cluniac. lib. 2. Mirac.

tu,cum ſe in Angelũ lucis transfigurat, aliquantulũ delectat, ſed in fine, vbi euanuerit,mille angorum ſtimulos & calcaria,in animo & conſcientia,relinquit. Angeli formoſa & integra & iuuenilia corpora induũt; Dęmones,etiamſi humana corpora,ex aëre cõpacta,aſſumant,&quandoq;, vt S. Marcario,in Pharmacopolæ plurimis ampullis & pixidibus circumdati,aliquando in Mercatoris, Nobilis, Ciuis, Ruſtici, forma ſe ſiſtant, ſemper tamẽ in corpore,notabilem defectũ oſtentante, ac dextrũ pedẽ, non humanũ, ſed caprinum aut equinũ exhibente,ſunt præſentes, vnde Dæmones eſſe dignoſcuntur. Eſt hæc res mirabilis, nunquã viſos eſſe vtroque pede humano,Dæmones vllibi apparuiſſe. Quid cauſſæ? Ex parte Dei,vti quorundã fert opinio,Angelorũ Creator,etiã rudibus & ſimpliciſſimis hominibus,qui omnia ex aſpectu corporali æſtimant, indicium euidens,& ſignum ad oculum patens,hoſti doloſiſſimo, voluit affigere, vnde Dæmonẽ,humana forma toties,ad ſeducendos homines,ad magiã & veneficia, vltimis præcipuè temporibus,appariturũ, dignoſcerent, & eius molimina fugerent,ac fraudes declinarent. Ex parte Dęmonis exiſtimo,id ſingulari Dei prouidentia,itidẽ fieri,vt ſuperbiſſimus ille Angelus, qui Dei Filiũ,in humana Natura,cui Diuina hypoſtaticè vnita eſt,noluit adorare,nunquã valeat,perfectum,ſine omni defectu, hominem repræſentare, vnde ſemper bifido caprino aut equino, aut ſaltẽ aliàs deformi, cũ pede,cogitur corã hominibus comparere. Quoties deniq; Angeli hominibus apparent,vt ad procuranda corporalia beneficia,eis ſuccurrant, nõ decipiunt eorũ ſenſus,ſed verè & re ipſa,quod ſignificant,verbis,opere conferunt,& de facto elargiuntur: Exempli cauſſa: cũ Angelus Domini Eliam excitans,diceret: *Surge,comede,grandis tibi reſtat via*, verũ & ſubcinericium panem,in deſerto,à Diuina prouidentia procuratũ,cum vera aqua illi porrexit,& laſſitudinẽ eius,veriſſimè refocillauit. Sic cum Chriſto,poſt quadraginta dierũ,ac noctium eſuriem, ſuperato trina victoria Dæmone, Angeli cibum potumq; miniſtrarunt. Veros cibos,verum potum,vt homini,verè eſurienti,ſubminiſtrarunt: At contra Dæmon, licet aliquando vero vini potu,veroq; cibo,& ſimilibus eſculentis ex aliorum penuarijs,furto ſubreptis,& ablatis,ſagas & veneficas paſcat,vt plurimũ tamen,in nocturnis ſuis commeſſationibus & choreis, ſic eorum viſum, guſtum & odoratum,faſcino ſuo præſtringit, vt turbidas & fætentes, latrinarum,fimetorumq; lacunas,pro Maluatico, alioq; Exotico vino bibant,interfectorum cattorum, aliorumq; excoriatorum ac fætentiũ cadauerum atq; quadrupedum Morticinas carnes,pro ſapidiſſimis ferinis, mures ac glires,pro alaudis,ac Turdis,Serpentes,angues & bufones,atq; rubetas pro optimis piſcibus, illis obtrudat; id quod varia experientia compertum,Hiſtoriæ tradunt.

S. Angeli induunt formoſa & iuuenilia corpora.

In eius vita.

Cauſ. 1. Ex parte Dei.

2. Ex parte Dæmonis, ad eius ſingularem Confuſionẽ.

3. Reg 19.

Matth. 4.

Digitized by Google

Ecce quàm turpiter Diabolus miſerrimis illis mancipijs illudat, quàm fœdè, ſibi credentes, decipiat. Et quod longè grauius, falſiſſimis promiſſionibus, animas naſo ſuſpenſas adunco, in æterna gehennæ incendia præcipites agat.

V. Q. Cur nullus vnquā bonus Angelus corpus alicuius hominis inſederit, quod tamen faciunt ſpiritus maligni.

Vnica hîc adhuc quæſtione, ſi licet, curioſitati noſtræ, ſatis faciamus: Quid cauſæ ſubeſt, quod nullus vnquam Sanctorum Angelorum, hominis alicuius etiam dilectiſſimi corpus, inſederit, & corporaliter inhabitârit, cum tamen transfugæ Angeli, perſæpè, multorum millium, & Legionum numero, vnius hominis membra, parum grati hoſpites, occupârint? *Cur non idem, iucundiori familiaritate, audeant Angeli ſancti?* Extrema, ſanctos inter Angelos, & malignos genios, diuerſitas, imò diametralis contrarietas, eſt ſtatuenda: De homine, interrogat Apoſtolus: *Neſcitis quoniam membra veſtra, templum ſunt Spiritus ſancti?* Igitur Angeli, reuerentia & amore ducti, ſui Templum & conclaue Principis, ingreſſu tali, nolunt contemerare: Nam imprudentis famuli eſſet, ſpectante Domino, aut ſellam, aut equum ſui Domini inſidere. Angeli vero, ſeſe conſeruos hominis eſſe, non diffitentur. Accedit Incarnati verbi myſterium, quo Dei Filius, hominis originem tantoperè nobilitauit; vnde, ne vnionem hypoſtaticam quodammodo affectare videantur, aliud nihil in hominem ſibi licere volunt Angeli, ſine ſpeciali Dei iuſſione, quàm vt eorum ſaluti ſubſeruiant. At Angelus, cælo *Exul & Apoſtata*, omni vi, & crudeli ſæpè impudentia, Deo, ad peccatorum caſtigationem, permittente, quod peculiari priuilegio, Diuinæ Maieſtati eſt ſacratum, inuadit, violenter occupat, & pro libitu exagitat, & torquet. Multa vnico verbo; Gemina in hominis corde conclauia non ſunt, vnicum eſt, in quo aut Deus hoſpitetur, aut Diabolus; ſi Deo locus non ſit, certè eſt Diabolo. Sic vbicunque exulat pietas, peccatum regnat. Ad Angelorum picturas tempus nos vocat.

1. *Cor. 6.*

1 *Reuerentia Templi Creatoris.*

2. *Reuerentia Myſterij incarnationis.*

III. Angelorū picturæ.

I. Q. *Cur ſacie iuuenili expingūtur?*

Marc 16.

1. *Florida eorū venuſtas.*

Simile.

2 *Decor eorū immortalis.*

3. *Conſideratio de Angelorum pulchritudine.*

Cur, *quando Angeli pinguntur, florentiſſimi ſemper Iuuenis faciem, à penicillo artificis demutuant?* Iuuenes ſemper ſunt, nec vllum eos ſenium, aut morbus, aut annorum ſeries corrumpet; vnde feminæ Chriſtum vncturæ, introeuntes in monumentum, referente S. Marco, *inuenerunt Iuuenem ſedentem à dextris.* Et certè forma & venuſtas Angelorum, ſic ſpeciem, formoſiſſimorum etiam hominum extinguit, vt ſol ſtellarum ſplendorem, media die obſcurat. Deinde Angelorum ſpecioſitas, & venuſtas, non eſt fragilis, rugis & canis, non fœdatur, immortalis eſt, & nunquam deſinit florere. O verè immarceſſibilem & nulli penitus corruptioni obnoxium, Angelum ſanctum. Hîc mihi duplicem conſiderationem, *Amor & obſeruantia*, in ſanctos Angelos, inſpirant. Primò enim cogito, ſi in-

ſi infimus ac minimus Angelorum, omnem humanam venuſtatem ita ſuperat, vt illa cum hac, ne conferri quidem toleret, quanta olim in cælo voluptas erit, tot centena millia, tot milliones Angelorum, non eminus, aut caligante oculo, ſed perfectiſſimo intuitu, æternùm aſpicere, nec vllum ſatietatis tædium ſentire, ab hoc ſuauiſſimo aſpectu? Hæc tamen, vel minima erit guttula, noſtræ beatitudinis, in cælo. Deinde mihi propono, quotidie iuueneſcere, non quidem annis, ſed caſtiſſimis deſiderijs, ac ſanctis propoſitis: Nam omni die Spiritus innouandus eſt, & ſenium deſidioſi languoris exuendum. Cadimus millies, millies reſurgamus, & quotidie cum Dauide iuueneſcamus: *Dixi, nunc cœpi*; Nunc nunc, quod intra decem, viginti, triginta annos, neglexi, hodie, hac hora, nunc faciam; Ita in nouam quotidie renouabimur Creaturam, in nouam recoquemur ætatem, viginti, triginti aut quadraginta annis iuniores. S. Carolus Borromæus petenti è ſuis: Qua via optimè ad cælum iretur? hoc dedit documenti: *Ad cælum ſic eas, vt quotidie de integro ire incipias.* Et tu hoc fac & viues.

4. Bonum in hac conſideratione propoſitum.

Pſal. 117.

In eius vita.

Cur rutilantes & plerumque niuei candoris veſtes, illis appinguntur? S. Auguſtinus author eſt, Angelum, ad ſalutandam Virginem Deiparam miſſum, veniſſe facie rutilante, veſtè coruſcante, ingreſſu mirabili. Et quid ni albas veſtes gerant, vt in Natiuitate, reſurrectione, & aſcenſione Filij Dei, Angeli ſancti? Sunt innocentiſſimi & puriſſimi Spiritus, in ſummis & perpetuis gaudijs degunt, proinde, cum hominibus apparent, veſtes, hominum more gerunt, gaudio conuenientes: *Et introeuntes, viderunt iuuenem coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt.* Viſi tamen etiam, quandoque ſunt Angeli, in aureis armis, & vt noſtri milites, ferro: ita illi auro cataphracti. Macchabæorum hiſtoria narrat, cum irruente Lyſia, Iudas Macchabæus, ſuis auxiliatum iret, *apparuit præcedens eos, Eques, in veſte candida*, armis aureis, haſtam vibrans. Contra Timotheum verò, Aſiatici Exercitus Ducem, cum pugnaretur: *Apparuerunt de cælo, viri quinque in Equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præſtantes: Ex quibus duo Macchabæum medium habentes, armis ſuis circumſeptum, incolumem conſeruabant. In aduerſarios autem, tela & fulmina iaciebant.* Hæc de Angelorum veſtitu albicanti. Sæpius verò in veſtibus albis apparuit, non quod eis alterius coloris veſte, vti non liceat, vti Seuerus quidam Antiochenus, ſomniabat, purpuram illis, ſicut olim Romanis fœminis, interdictam. Candor Angelis placet, in veſte & in mente; candor in conuerſatione, illis perpetuò arridebit.

II. Q. Cur plerumque habitu candido & rutilanti?

Serm. in Euangel. de annuntiatione Beatæ Virginis.

1. Sunt in perpetuo gaudio.

Marc. 16.

2. Viſi etiam in aureis armis.

2. Mach 11.

2. Mach 10.

Sed *cur alati expinguntur*? Alas illis formari, adſtruit Diuinus ille Dionyſius Areopagita, quod nihil eis lutei, aut ſordidi, è terræ fęcibus adhę-

III Alati cur?

Digitized by Google

1. Omnis terrena facis immunes. reſcat, ſed & nec vllum corporis pondus moratur, quin momento ſint, vbi eſſe volunt. Ea etiam amoris dulcedine, Deo ſemper inhærent, ac ſi in aëre penderent, indefeſſa voluptate. Et rectè Gabrielem Archangelum alatum pingi, S Ioannes Chryſoſtomus cenſet, non quod Deus alatum creârit, *ſed vt nos grati ſemper recordaremur, mirandi volatus è cælo, in B.ma Virginis Nazarethanum Conclaue, vbi legationem obiuit Angelus, & Dei vice, aſſenſum Virginis, in orbis reparationem, expetiuit.* Meritò denique alati Angeli ſancti; Nam pernices alas auium & ſagittarum, ipſorum etiam ventorum, Curſus ceruorum aut Tigridum, volatus Aquilarum, velocitatem nubium, rotatus orbium cæleſtum, ob innatam celeritatem, multis poſt ſe gradibus relinquunt.

2. Archangelus Gabriel cur alatus pingatur. Homil. 3. de incomprehenſa Dei Natura.

3. Alati vt eorum velocitas ſignificetur.

IV. Gemmati, & Cruce in fronte inſigniti. *Ezech. 28.* *1. Gemmati. In Pontificali.* *2. Cruce inſigniti. Matt. 24. S. Bonauent. in eius vita.*

Gemmas inſuper Angelis attribuunt pictores, plaſtæ, atq; ſculptores, & ſertum, Cruce inſignitum, eis imponunt, idq; congruè, tàm rationi, quàm literis diuinis: nam dicitur: *Omnis lapis precioſus indumentum tuum:* Tot gemmis ſunt exculti, quot à Deo gratiæ donis exornati: Conſtantinus Magnus, Damaſo teſte, in Æde S. Ioannis Lateranenſis, præter innumeras, ex auro argentoq; Iconas, quatuor prægrandes, ex Argento Angelos, varijs gemmarum ignibus collucentes, ſtatuit, quorum ſinguli, quingentas argenti libras pendebant, quibus Angelorum ſanctorum Maieſtatem, repræſentare volebat. Fronte crucem præferunt Angeli, quia hoc ſignum Domini ſui, velut Labarum atque Trophæum, in vallem Ioſaphat apportabunt: *Et tunc parebit ſignum Filij Hominis.* Et quia *Rex Angelorum*, per crucem de Dæmone Triumphum reportauit, ideo & Seraphin, non niſi crucifixus ſpectari voluit, à S. Franciſco, vt nos omnem amorem noſtrum, in Ieſum Crucifixum transferamus, ingeminando: *Amor meus crucifixus.*

V. Excalceati cur? & quamobrem nubibus inambulantes.

Excalceati verò *cur pinguntur? cur nubibus inambulantes?* Modum edocent, quomodo aduerſa omnia tranquillo animo vincamus. Leuiſſimū quid nubes eſt, & non niſi denſatus vapor, quem ventus agitat. Omnis fulgurum & fulminum intemperies, in nubibus luctatur, quæ igneos hos partus, in inferiora eijciunt. Vltra nubes, ius nullum eſt tempeſtati, ſic ij quorum conuerſatio in cælis eſt, adeò tenaci amore inhærent Deo, vt eos inde, nulla fortunæ ſerenitas, nulla triſtitiæ tempeſtas, auellat. Deum curant & conſcientiam, cætera omnia non pluris, quam fungum æſtimant. Atræ nubes Inuidiæ, Impatientiæ, Iracundiæ, eos non turbant; ipſi ſupra nubes ſunt, & calcant eas imperio mentis. Et hoc eſt, cum Angelis nubibus inambulare.

VI. Aurea Zona præcincti cur?

Cur aurea Zona præcincti? Zona caſtimoniæ nota eſt; Vnde S. Gregorius: *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.*

Neque

Digitized by Google

Neque lumbos tantum,ſed & pectus præcingunt Angeli: Nam Corporis pariter,& Cordis caſtitate,mirificè delectantur: audi S. Ambroſium: *Quò quiſq; purior eſt,eò magis eſt cuſtoditus & circumdatus ab Angelis, qui ob ſimilitudinem,quam virgines,caſtiq; cum eis gerant, cum eis verſari, plurimùm delectantur. Oderunt diſcinctos Angeli,nec eorum ſocietatem amare poſſunt, qui fluentem veſtem,per omne genus ſordium,trahunt. Quacunque virtute polleas*, inquit S. Hieronymus,*ſi cingulo caſtitatis careas, omnia per terram trahis.* Vis itaque, vt ſanctus Angelus tuus tutelaris, te impenſiſſimè diligat? Vt omni te beneficiorum genere proſequatur? Præcinge lumbos & pectus tuum *aurea Zona Caſtitatis*; corporis pariter & mentis puritatem ſectare, fuge omnes libidinum ſordes, ſiue in cogitatione, ſiue in verbis, ſiue in operibus,& habebis tibi S. Angelum, quam impenſiſſimè addictum.

1. Quia caſti & immaculati.
Homil.13.in Euangelia.
lib.1.de Virginibus.
In Euang. ſint lumbi veſtri.

Exemplum habeto S. Cæciliam Virginem, & eius ſponſum Valerianum,quam adhuc gentilem,prima nuptiarũ nocte, verbis hiſce compellauit: *Ego Valeriane, in Angeli tutela ſum, qui virginitatem meam cuſtodit. quare ne quid in me committas,quo in te ira Dei concitetur. Quibus verbis commotus Valerianus,illam attingere non eſt auſus. quin etiam addidit,ſe in Chriſtum crediturum,ſi eum Angelum videret;cui Cæcilia,cum id fieri ſine baptiſmo negaret, incenſus cupiditate viſendi Angelum,ſe baptizari velle reſpondit. Baptizatus itaq; ab Vrbano Papa,ad Cæciliam reuerſus, orantem, & cum ea Angelum, niueo ſplendore fulgentem, inuenit. Quo aſpectu obſtupefactus, vt primum ex timore confirmatus eſt,Tiburtium fratrem ſuum accerſit,qui à Cæcilia Chriſti fide imbutus,ipſe etiam eiuſdem Angeli,quem frater eius viderat, aſpectu dignatus eſt.* En quanti fiant à ſanctis Angelis,homines,aurea caſtitatis Zona,circa pectus & renes,circumcincti: Nam verè *Angelis cognata eſt virginitas,quæ è cælo accerſiuit,quod imitaretur in terris.*

2. Caſtimoniam impenſiſſimè diligunt Angeli.
Ex Martyrio S.Cæciliæ Simeon.Metaphr. Breu. Romanum.
3. Virginitas Angelis cognata.
S.Ambr.lib. 1. de Virginibus.

Imagines porrò Angelorum,humana ſpecie effingere, Deo gratiſſimum eſſe, vel ex hac vnica hiſtoria,in Concilio Nicæno ſecundo, relata,facilè conſtabit: *Mandauerat Diocletianus, nullam prorſus crucifixi Saluatoris imaginem, amplius expingi aut fabricari; cuius impio edicto minimè parendum exiſtimabat S. Procopius Martyr, ſed Scythopoli à Marco quodam, aurifabro peritiſſimo,noctu quidem,auream crucem,quam è collo pendulam geſtaret,ſibi fabre fieri curauit; qua perfecta, ſubitò tres in ea, ſine artificis manu Imagines apparuerunt, vna in medio Saluatoris, cum Titulo Emmanuel; aliæ duæ in aliis crucis, Angelorum, S. Michaelis, & S. Gabrielis, cum eorundem nominibus, Hebraica Dialecto, in ſummitate conſcriptis. Cumque artifex Imperatoris edictum metuens, abolere ac defricare vellet, manus ei exaruerunt. Superueniente tandem, & interrogante Martyre Procopio, vnde Imagines illæ? reſpondit: Domine,in qua hora Crux à me formata erat, & poliebatur, imagines illæ per ſe*

Concil. Nican.2. Act 4.
Sim. Metaphraſt in vita S Procopij Martyris.
Sur.Tom.4
Bar.Tom.2 Ann.306.

enatæ

enatæ ſunt, neque ego cognoſco, quæ nam, aut cuius ſint? At Procopius, & Chriſti virtutem, atque Angelorum tutelam intelligens, ſolutan ercede, crucem tulit, & haud multò poſt, eiuſdem crucis, & ſanctorum Angelorum præſidio fretus, duobus tantum cohortibus militum, ſex millia Agarenorum, Scythopolim, infeſtantium, occidit, nullo penitus è ſuis deſiderato. Ex qua fide digniſſima hiſtoria liquet, Diuina voluntate Angelos, humana ſpecie, tùm apparere, tùm etiam repræſentari.

Curate, obſecro, Angeli ſancti, qui vt plurimum Iuuenili Schemate apparere ſoletis, vt licet annis vitæ & corporis ſenio, & moleſtiſſimis eius ſymptomatibus grauati, mente nihilominus & ſpiritu renouati, iuueneſcamus, & de die in diem refloreſcamus. Effectum date, vt ſtolas mundas & candidas, quas in baptiſmo accepimus, Angelorum Regis ſanguine, conuenienter ablutas, ante Tribunal Chriſti perferamus. Alas addite, quibuſcum, terrena pedibus calcantes, ad Deum euolemus; ſacroſanctæ crucis munimine, nos vbique ab hoſtium telis & inſidijs defendite, & propugnate; Omnes animo noſtro, vt ad cæleſtia ſemper anhelemus, carnales affectus, tanquam lutulentos conſcientiæ calceos, exuite, & aurea Caſtimoniæ Zona præcinctos, ad cæleſtes nuptias, fideliſſimi Paranymphi, poſt hanc mortalem vitam, conducite, vbi vobiſcum, & cum omnibus Sanctis, æternùm lætemur. Amen.

SERMO X.

Qui nam hominum, auxilia illuſtriora, & ampliores ab Angelis Cuſtodibus fauores conſequantur?

Angelus qui eripuit me de vniuerſis malis, benedicat pueris iſtis. Gen. 48.

OMnipotens rerum omnium Creator, brutis ratione carentibus, iam inde ab ortu cuiuslibet ad indiuidui ſui defenſionem, dentes, cornua, vngulas, aculeos, teſtas, piloſas & hirſutas pelles, aliaque id genus arma, contulit & prouidit, flores, herbas, & plantas, corticibus, ſpinis, varijs graminum inuolucris, amaritudine & venenis obarmauit, frumenti grana, ſpicis, paleis & folliculis incluſit, quibus ſeſe ab aëris violentia, à tempeſtatum & ventorum impetu, ab aliorum animantium noxis & offenſionibus, vim vi, vt ita dicam, repellendo, tueantur. Aſt homo inermis, ex vtero matris, ingreditur in hunc Mundum; Ne itaque Diabolicæ impugnationi, abſque ſolatio expoſitus, & ſubiectus eſſet, Diuina Bonitas, Angelorum Tutelæ, ipſum tradidit, vt

Digitized by Google

dit, vt in omnibus vijs ſuis, eorum iugi vigilantia, cuſtodiretur. Tametſi portò, hic Angelorum fauor, atque tutela, in iuſtos & bonos, in malos & peruerſos, æquè ſe extendat, quemadmodum & *Pater cæleſtis, ſolem ſuum oriri facit, ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*, negari tamen haud poteſt, peculiaria quædam hominum genera & claſſes, ab illis impenſius amari, & beneficiorum copia, vltronea promptitudine, exornari. Quod ipſum, præſenti ſermone, dum explicari aggredimur, ſancti Angeli nobis cooperati, & gratiam impetrare dignentur, vt nos eorum fauoribus, perpetuò dignos exhibeamus, & cum Patriarcha Iacob gloriari poſſimus: *Angelus Domini eripuit me de vniuerſis malis.* *Matth. 5.*

Fauent inprimis Angeli, & beneficentiæ ſuæ dona, multipliciter impertiunt illis, qui in procuranda hominum aliorum ſalute, gnauiter & impigrè laborant: Cum enim *ſint adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, non poſſunt, Coadiutores ſuos, qui proximorum ſaluti, feruentiſſimo zelo, inuigilant, non benigniſſimis oculis intueri. Ea propter Eſaiæ labia mundant, vt ad populum fructuoſe concionari, & verbum Dei annunciare poſſet. Simili de cauſſa, Philippum Diaconum, raptum in aëre, transportant ad currum Eunuchi, Candacis Æthiopum Reginæ, vt Prophetias, quas legebat, illi explicandi, conuertendi eum ac baptizandi, occaſionem nanciſceretur. Sic Apoſtolis nomen Ieſu, imperterritè prædicantibus, ideoque in carcerem coniectis, Angelus Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit: *Ite & ſtantes, loquimini in Templo, omnia verba vitæ huius.* Sic Petrum ab Herode, ob eandem cauſſam, incarceratum, Angelus Domini, ſolutis eius vinculis, à cuſtodia manu miſit, & *ab Herodis & omni expectatione plebis Iudæorum, liberauit*. Sic referente Paulino Preſbytero, cum S. Ambroſius, pro conuerſione Arrianorum, vehementiſſimè concionando, diſputandoque laboraret, *accidit*, inquit, *inter alia, vt vir de hæreſi Arrianorum, acerrimus nimium Diſputator, & durus, atque inconuertibilis, ad fidem Catholicam, ad Eccleſiam, curioſitatis ergò, ſe conferret. Tractante igitur Epiſcopo, de vera & Catholica Fide, vidit is, (vt poſtmodum fatebatur) ad aures Epiſcopi Angelum, loquentem, vt verba Angeli, populo, Epiſcopus renunciare videretur. Quo viſo, conuerſus, fidem, quam antea expugnabat, defendere cæpit.* Noſtis, dilecti mei, quod Daniel illis, in cælo præmij promittat, præter Angelicum, in hac vita, fauorem? *Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ, in perpetuas æternitates.* Siquidem ergò, *vnicuique mandatum eſt, de proximo ſuo*, laborate pro veſtra non ſolùm, ſed & proximorum ſalute, vt Angeli Tutelaris beneficentia, in capita veſtra, affluentiſſimè redundet. Sic

I. Amantur præcipuè ab Angelis, pro aliorum ſalute laborantes.
I. Exempla ſcripturæ.
Eſai. 6.
Actor. 8.
Actor 5.
Actor. 12.
II. Exemplũ S. Ambroſii in vita S. Ambroſii.
Baron Tom. 4. Ann ad Ann. 448.
III. Promiſſio Danielis
Daniel 12.
Eccleſ. 17.

Digitized by Google

enim *Angelus Domini, qui eruit vos, de vniuerſis malis, animabus veſtris benedicet.*

II. Miſericordes. I Exempla ſcripturæ. Luc. 6.

Diliguntur ab Angelis, & multiplicibus gratiæ donis afficiuntur, erga pauperes benigni & miſericordes, *ſicut & Pater noſter cæleſtis miſericors eſt.* Sic *Abraham Patriarcha*, in egentes & peregrinos hoſpitalis, tres Angelos, hoſpitio meruit excipere à quibus, non ſolum promiſſione poſteritatis ac prolis exhilaratur, verùm etiam, diuinum, de ſubuerſione Sodomæ & Gomorrhæ, conſilium ei communicatur. Sic *ſenior Tobias*, ob eximiam erga pauperes beneficentiam, ab infirmitate ſua, per Archangelum Raphaëlem, meruit curari, & oculorum vſum recuperare. Id etiam conſilij filio impertijt, ſanctiſſimus ſenex, ne vnquam pauperibus Eleemoſynam, iuxta facultates ſuas, elargiri prætermitteret: *Si exiguum habes*, inquiens, *exiguum da.* Non itaque mirum, Angelum è cælo, Cornelium Centurionem acceſſiſſe, eique iuſſu Diuino, ſignificaſſe: *Orationes tuæ, & Eleemoſynæ tuæ, aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*; ac ſimul etiam iuſſiſſe, vt mittens in Ioppen, Petrum Apoſtolum accerſeret, à quo in fide inſtrueretur, & baptizatus, Chriſtianorum numero accenſeretur. Meritò ſanè credendum, ſanctos Angelos, Eleemoſynarijs magis, quam vlli alteri hominum generi, in neceſſitatibus ſuccurrere, qui erga alios, benignitatis ſuæ viſcera, ſimiliter effundunt: *Qua enim menſura menſi fueritis*, pollicetur Dominus, *eadem vobis remetietur: Date & dabitur vobis.* Memorat de S. Gregorio, Ioannes Diaconus, cum pro duodecim pauperibus, conuiuium, vti frequentiſſimè ſolebat, inſtruxiſſet, Angelum inter eos, accumbere conſpicatus eſt qui ad Gregorium ſe agnoſcentem: *Scito*, inquiens, *vſque adeò placere Deo, benignam hanc voluntatem tuam, erga pauperes, vt eius intuitu, elegerit te in Paſtorem vniuerſalem, totius Eccleſiæ Chriſtianæ. Et ecce me, qui miſſus ſum, vt animam tuam, vſque ad extremum vitæ halitum cuſtodiam, polliceorq́; omnia te me mediatore, abs Deo, conſecuturum eſſe, quæ Cor & anima tua, deinceps expoſcent.* Hæc ſancto Gregorio, Angelus eius Cuſtos, Chriſti vice hoſpitem agens, vt promiſſionem ſuam conteſtaretur: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Gen. 18. Tob. 1. Actor. 10. Luc. 7. II. S. Gregorius Angelũ inter pauperes excipit. In eius vita apud Suriũ. Matth. 25.

III. Hiſtoria de puella Alexandrina admiratione digna. To. 7. Ann. Franciſcus Albertinus de Angelo Cuſtode c. 6.

Stupore & admiratione plena eſt hiſtoria, quam Baronius Alexandriæ contigiſſe aſſerens, ad longum deſcribit: *Puella nobilis, ditiſsimi viri, relicta Filia, cum in viridario ſuo, recreationi, forte fortuna, intenta eſſet, virum quendam, arbori, capiſtrum innectentem, conſpicabatur, vt inſerto deinde collo, ſemet ſuſpenderet. Illa ergo confeſtim aduolare, & quærere, quis illi dolor? quæ nam calamitas, tàm Diabolicum conſilium ſuggeſsiſſet? & reſponſo accepto, ideò ſe ad mortem properare, ne millies quotidie mori cogatur, in carcere, in quem breui*

ſe à

ſe à creditoribus, compingendum ſuſpicabatur. Miſeratione itaque commota, omnes ſuas facultates, homini oberato, ad ſoluenda debita obtulit, & donauit. Verùm, quæ humanæ fragilitatis imbecillitas eſt, cum temporis ſucceſſu, poſthac alijs, ſtatui ſu congrua, medijs, alimenta ſe conquirere poſſe, diffideret, duplici, carnis pariter, & egeſtatis, agitata ſtimulo, lucri cauſſa, corpus ſuum proſtituit, & in ea peccandi libidine, longo temporis tractu, perſeuerauit, donec tandem infirmata, inter acerrimos mortis dolores, à Deo illuminaretur, peccati horrorem conciperet, pœnitentiam proponeret, & emendationem vitæ, in votis haberet, nihilq́; magis, quàm Chriſtianam fidem, & baptiſma expeteret. Sed quia fœdiſſima; prioris vitæ, conuerſatione, omnibus odioſa erat conciuibus, ita vt nemo eam, è ſacro fonte ſuſcipere, dignaretur, dum intrinſeco cordis mœrore conficitur: Ecce tibi iuuenis præſto eſt, illummet repræſentans, quem illa à ſuſpendio, bonorum ſuorum largitione, retraxerat, & percontatus triſtitiæ cauſſam, bono animo eſſe iubet, ſe iuſtiſſimis eius deſiderijs, locupletiſſimè ſatisfacturum. Diſcedens itaque, ad modicum temporis interuallum, mox reuerſus, duobus pulcherrimis adoleſcentibus, ſtipabatur, qui aſſumpta forma, duorum Conſulum Ciuitatis, illam ad Eccleſiam deducentes, è Baptiſmate ſuſceperunt. A vicinis autem interrogata; Quinam illi inexpectati Patrini fuiſſent? neutrum ſe noſſe, conſtantiſſimè affirmabat. Re ad Epiſcopum delata, Magiſtratus de veritate requiſitus, negat id à ſe factum, quos tamen Clerici, qui baptizauerant, ſe vidiſſe & agnouiſſe, affirmabant. Creditum itaque communi ſenſu, Angelos extitiſſe. Proinde Epiſcopus, viſitata muliere, inquirit, ecquid boni operis patraſſet, quæ omnem vitam libidinibus, & carnis fœditatibus, detriuerat? Confeſſa eſt igitur, ſe compaſſionis affectu, omnia bona ſua, oberato illi homini, donaſſe, ne is deſperabundus, laqueo vitam finiret: & illicò viuendi finem faciens, miſericordem animam exhalauit, & in manus Creatoris, miſericordiarum Patris, conſignauit. Ecce quanta ſit virtus Eleemoſynæ, quam chari ſint Angelis, qui *manus ſuas aperiunt inopi, & palmas ſuas ad pauperes extendunt.* Fateor ita eſſe, vt quidam è ſanctis Patribus affirmat: *Non memini me legiſſe, mala morte mortuum, qui libenter exercuit opera Charitatis; habet enim multos interceſſores, & impoſſibile eſt, multorum preces non exaudiri.*

Ab Angelis è ſacro fonte leuatur.

Prou. vlt.

S. Hieron. Epiſt. ad Nepotianum.

Hoc ipſum autem, præcipuè locum obtinet, in Spiritualibus Miſericordiæ operibus, cum animarum miſeriæ, corporeas neceſſitates, multis partibus excellant: Vnde S. Ioannes Chryſoſtomus: *Retrahere proximũ à peccato, ſiue obſtare, quo minus noua veteribus adijciat, eſt excellentius opus, quàm ſi totum viſibilem mundum, qui propter hominem creatus eſt, lucreris. Vnde licet immenſam auri vim, in pauperes profunderes, non tàm nobile opus perficeres, ac ſi vnam animam ab errore ad ſalutem reuocares.* hæc S. Ioannes Chryſoſt. Studeamus, obſecro, eiuſmodi charitatis operibus, vt Angelicã benignitatẽ, & ipſi in vltimo ſuſpirio, experiamur, & *Angelus, qui eripuit nos de vniuerſis*

IV. Angelicus fauor etiam in ſpiritualia miſericordiæ opera ſe extendit.

Orat. 4 contra Iudæos.

malis, animabus noſtris, æternum *benedicat*: Nam quod ad proximorum animas promptius iuuandas, nos magis iure inflammet, addit S. Ioannes

Orat. 5. contra Iudæos. Chryſoſtomus: *Multoties accidit, vt Deus pro reductione animæ fratris tui, innumerabilium à te criminum pondus, tollat, & bonum illud opus, in iudicio ſuo, pro redemptionis & ſalutis tuæ, precio acceptet.* Stat ergo verbum tuum, S. Pater Auguſtine: *Beati qui ſubueniunt miſeris: quoniam eis rependitur, vt per miſericordiam Domini, de miſeria liberentur: Nam idipſum videtur iuſtum, vt qui à potentiore adiuuari vult, adiuuet inferiorem, in quo ipſe eſt potentior*: O verè *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur; Iudicium autem ſine miſericordia illis, qui opera miſericordiæ omittunt.*

Iacob. 4. III. Fidei propugnatores. *Sur. Tom. 6. Bar Tom. 6. ad An. 469. Niceph. lib. 15. cap. 27. Zonar. To. 3.*

Præcipua inſuper obſeruantia, S. Angeli venerantur eos, qui in expugnandis Hæreſibus, & vera fidę defendenda, impenſius laborant. Exemplo ſit Marcellus Acæmetarum Archimandrita, qui cum intelligeret, Leonem Imperatorem, Aſparis filium, Arrianum, nomine Patricium, generum quidem ſuum, ſed pertinacem Hæreticum, Cæſarem creare, conſtituiſſe, cum tota Ciuitas Conſtantinopolitana, ideo tumultuaretur, *aſſumpto ſecum Geladio*, inquit vitæ ſcriptor, *venerunt ad Hyppodromum, vt ab hoc inhoneſto capto, arcerent Imperatorem. Cumq́; ingrederetur S. Marcellus, videbant ij, qui digni erant, ea videre, iuuenem ſtatura maximum, forma autem pulcherrimum, & Zona cinctum aurea, aſpectu quidem candidum, vt niuem videretur ſuperare, lucidam autem, vt quaſi fulmineis lumine coruſcaret, eius verò tunica, niue erat candidior: Eum videbant à ſiniſtris ſimul, cum Magno Marcello, ambulantem, veluti quendam ſatellitem, ſimul terribilem, & manum veluti ſupponentem, ſuſtinuiſſe ſenem, & cum maxima reuerentia, non deſiſſe ei*

Angelus comitatur S. Marcellum. *ſeruire. Cum autem veniſſet ad locum, in quo ſedere ſolebat Imperator, & omnia effeciſſet, propter quæ venerat, quæ quidem erant, vt Aſparis Filius, aut rectam ſuſciperet fidem, aut dignitatem Cæſaris non acciperet, hacq́; cum illis pollicitus eſſet Imperator, lætantes exierunt. Ille verò rurſus Adoleſcens & altiſſimus, & ſplendidiſſimus, viſus eſt adhuc adeſſe, & verſari cum Marcello. Cum verò deduxiſſet eum, vſque ad portas, de cætero euanuit ab oculis. De quo nullus dubitauit, ex his, qui viderant, ſed euidens omnibus fuit, eum fuiſſe Angelum, Dei Miniſtrum, virili habitu indutum, qui miſſus fuerat, vt eſſet cuſtos & ſatelles Marcelli, qui ab eo fuit habitus, tanto in honore, quia Dei & Eccleſiæ Orthodoxæ, cauſſam tutabatur.* Hæc ſcriptor geſtorum S. Marcelli, è quibus apertè conſtat, pijs hominibus, pro fide certantibus, ſanctos Angelos, ad miniſterium promptiſſimos & paratos eſſe, & ſi quæ ingruerent pericula, ab illis propulſare.

IV. Loquẽtes de rebus pijs. *Matt. 18.*

Diligunt ſancti Angeli, & omni beneuolentia proſequuntur, libenter de rebus pijs colloquentes, & ſermocinantes: Nam ſi Angelorum Dominus proteſtatus eſt; *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo,*

Digitized by Google

meo, medius illorum ſum: quantò libentius S. Angeli, cum talibus conuerſabuntur: cuius rei probabilis Hiſtoria à Franciſco Albertino narratur: *Quidam Tebenneſiotarum Præpoſitus, Vir ſanctus, vidit Angelos hilari ac ſereno vultu, aſtantes, vbi Religioſi eius, de rebus pijs, ſermones miſcebant; ſin autem ad vana & inutilia ſe conuerterent, ſubtriſtes recedere, & in eorum locum, ſpurciſſimos, in porcorum ſpecie, Dæmones ſuccedere, & inter eos ſe volutare, fœdiſſimumq́ lutum ſuum, eis aſfricare. Rurſum, quoties Dei & ſanctarum rerum mentionem reſumebant, reuertebantur ſancti Angeli Cuſtodes, Dæmones profligabant, & maculas, quas ex commercio infernalium beſtiarum contraxerant, abluebant. Quæ de cauſſa, omnes & ſingulos admonebat: Fugite dilecti mei, ſermones vanos, otioſos & infructuoſos; cuſtodite linguam, cuius iniquo vſu, euacuatur anima, & ſpoliatur, fauore Dei, fugantur Angeli, accerſuntur Dæmones, qui animas veſtras abominabili fœditate conſpurcant*: Quod ſi res vanas non tolerant Angeli, quantò minus turpiſſimos Iocos & Venereos ſales, quibus nunc plerique in nuptijs, in Baptiſmalibus conuiuijs, integras horas perdunt? Vtinam, qui talibus delectantur dicterijs, videre poſſent Dæmones, circa ipſos tripudiantes, & comploſis manibus, de talium venetis mancipiorum interitu gratulantes conſpicarentur: Verum audite Apoſtolum exhortantem: *Turpitudo, ſtultiloquium, ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, & fornicatio, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos.*

In libro de S. Angelo Cuſtode c. 6. Ex vitis Patrum. Et ſpeculo Exempl. Tom 1.

Epheſ. 5.

V. Diuinis laudibus inſiſtentes & ſacrificio Miſſæ præſentes.

Charitate ſua ſancti Angeli quàm maximè complectuntur, omnes illos, qui diuinis laudibus, & præſertim Auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio, deuotè interſunt, & orationibus piè & attentè vacant: *Præuenerunt*, inquit Dauid, *Principes coniuncti pſallentibus, in medio iuuencularum Tympaniſtriarum*; Principes Angeli adſunt, pijs animabus, orantibus adorantibus, & laudantibus Deum: Sic S. Valerianus, Cæciliam, cum Angelo, in cubiculo ſuo, orantem inuenit: Sic referente S. Petro Damiano, *Princeps quidam, eximia, in rebus diuinis, deuotione conſpicuus, ſacrum quotidie audiens, cum corpus & ſanguinem Chriſti, vna cum Sacerdote, Domino Deo pro ſe offerret, vidit Angelum ſuum haud dubie cuſtodem, præſentem, qui hoſtiam & calicem, è Sacerdotis manibus, aſſumebat, & Deo Patri offerebat. Alius vidit innumerabiles Angelos, circa Altare, dum ſacrificium offerretur, quorum ſinguli, ſacram hoſtiam Deo, pro ſuis Clientibus, litabant.* Diligentiſſimus pietatis cultor erat S. Wenceslaus Bohemiæ Dux, interdiu noctuque vocans cultui Diuino: *Cum enim Imperator Otto, vna cum Principibus Imperij, in Comitiis concluſiſſent, vt nemo, tardius ad conceſſum Principum venienti, aſſurgeret, eò quod in audiendo ſacro, & precibus ſuis perſoluendis, moram traxiſſet, paulò longiorem, dum aulam ingreditur, videt Imperator, duos, formoſiſſima ſpecie, Angelos, eum vtrinque honorificè comitantes; qua viſione territus, aſſurgens, obuiam ei prodijt,*

Pſal. 67.

I Exemplū S. Valeriani in vita.

II. Hiſtoria de quodam Principe in Epiſt. ad Dominicum.

Ibidem.

III. Angeli deducunt S. Wenceſlaum.

Ioannes Dubrauius Epiſcopus Olomucenſis, in vita S. Wenceſlai.

& manu apprehenſum, in Throno iuxta ſe collocauit, plurimiſq; fauoribus, & gratiarum priuilegijs, præ alijs omnibus, Imperij Principibus, eum cohoneſtauit, quem, vti ſingularem Dei amicum, & primarium pietatis atque deuotionis cultorem, Angeli tantoperè venerabantur.

IV. Angeli præſentes ſacrificio Miſſæ. lib. 6. de ſacerdot. Breden. li. 1. cap. 11.

Angeli ſacram Eucharistiam venerantur.

Quàm autem libenter Angeli adſint ſacrificio Miſſæ, ex ijs apertè conſtat, quæ Ioannes Chryſoſtomus, ſuiſmet verbis ſcribit: *Poſtquam Sacerdos Spiritum ſanctum inuocans, tremenda Myſteria abſoluit, Dominum vniuerſi, manibus attrectans, quæſo te, qua puritate & integritate pollere debet? cogita quales debeant eſſe manus illæ, quæ Sacramenta diſpertiunt? qualis lingua, quæ Diuina verba profert? qualis anima, quæ rem, totius orbis longè maximam, ſuſcipit? quo tempore Angeli aßiſtunt Sacerdoti, virtutes cæli, ibidem concinunt; imò locus aræ propinquus, Angelis confertus eſt, vt Domino ſuo, qui ibidem offertur, honorem habeant: idque ſenex quidam, qui varias atq; admirandas à Deo reuelationes habuerat, confirmauit dicens, ſe ſacrificij tempore vidiſſe (quantum humana quidem imbecillitas, ferre poteſt) Angelos mire exornatos, qui altari aßiſterent, caputq; ad benedictionem ſacerdotalem, inclinarent, non ſecus ac milites, in Regis præſentia ſolent.* Hæc ex ore & calomo S. Ioannis Chryſoſtomi.

V. Angelus errantem in ſacrificio iubet à Diacono correctionē acceptare. Ioan. Moſcus in Prat. Spir. c. 199.

Senex alius, ſacris operans, inquit Ioannes Moſcus author Prati ſpiritualis, *Angelos ſibi aßiſtere cōſpexit, factumq;, vt inter ſacrificandum, quadā verba, more hæreticorum recitaret, quod aduertens Diaconus, homo literatus, corrigi ab eo, errorem voluit; perſtitit in errore ſenex, quod Angelos corâm aſpiceret: ille interim pergit eſſe mœſtus, rogat igitur ab Angelis, alter; ſi erret, cur ſe non corrigat? atqui, inquit Angelus, homines ab hominibus, erudiri, vult Deus, tu verò fac, in ſententiam Diaconi concedas.*

VI. Angeli reſpondent S. Gregorio ſacrificanti. Ioan. Diac. in vita S. Greg. lib. 4.

S. Greg. Magno, inter ſacrificandū, cōuerſo ad populū, atq; occinente: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, Angeli reſponderunt: Et cum Spiritu tuo. Indeq; conſuetudo illa manauit, vt dicenti ea verba, Pontifici, nemo reſpondeat, vt is Angelico ſe reſponſo dignū efficiat; atq; vt intelligat, eo ſtatu, nullū neq; ſublimiorem, neq; digniorem, inter homines reperiri, ita & virtutibus, alios excellere ſtudeat.*

VII. S. Euthymius videt Angelos ſub ſacrificio. Cyrill. Eremita in vita S. Euthymij. Sur. Tom. 1. die 20. Ian. Bredenb lib. 1 cap. 24.

Narrant Euthymium, die quadam Dominica, ſacris intentum, cum Diacono ſuo, Domitiano, à Trebonio Saraceno, & Gabriele fratre, Chryſippi, igni de cælo miſſo, incluſum, fuiſſe viſum, in quoad finem myſteriorū perſeuerauerit. Eamq; rem, Trebonio Religionem mouiſſe, vt ad altare nunquam accedere propius auſus ſit. Euthymius verò, alijs ſibi notis faſſus eſt, turmā Angelorū, ſacrificanti ſibi, ſæpius adfuiſſe; qui verò SS. Euchariſtiā ſumerent alios (qui puro corde id videlicet agerēt) cæleſti lumine à Chriſto illuſtrari; alios (q; indignè accederēt) tenebris offundi, & obſcurari.

VIII. Aſſiſtūt Laudātibus Deū & orantibus.

Diuinis quoq; Laudibus occupatis quàm promptè aſſiſtant, quàm illis iucundè cooperentur, hæc nos, quæ ſequuntur, Exempla & Hiſtoriæ poſſunt edocere. *S. Victor,* teſte S. Bernardo, *audiuit Angelos orationē Dominicam,*

nicam, ſuauiſſima harmonia decantantes. Temporibus S. Dominici tres ſorores virgines, vnà habitantes, relicto ſaculo, ſæpiſſimè Roſarium B.^ma Virginis recitabant, atq; eò perfectionis venerunt, vt B. Virgo eas crebrò viſitaret; ſemel verò, inter Catharinam & Agnetem media, cum inſigni aliarum virginum comitatu affuit, & tribus hiſce ſororibus, ſingulis coronam porrexit, dicens: Nunc vos ſecuras de regno Filij mei reddo, in quod craſtino die inducemini. poſtridie itaq; finito cenpletorio, cum eodem comitatu reuerſa, in claritate, admirabili, & ſuauiſſimi odoris fragrantia, cantantibus Angelis, Veni ſponſa Chriſti. accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum, veſte alba eas induit, ſecumq; animas placidiſſimè morientium, in cæleſtem patriam aſſumpſit. Porrò multis res, hac corrigendæ vitæ occaſionem præbuit, ſub finem addit hiſtoriæ ſcriptor.

1. S. Victor audit orationem Dominicam decantantes.
Serm. de S. Victore.
2. Accinunt virginibus veni ſponſa Chriſti.
Thomas de Templo. Hiſpan.

Poſtquam Præſes Martianus S. Iuliani ac Sociorum conſtantiam ſatis intellexiſſet, mandauit locũ, vbi Chriſtiani diuinis laudibus vacabant, incendi, vt in eo, omnes abſumerentur. quo peracto, tantã huic loco, gratiã conceſſit Deus, vt omnes tranſeuntes audirent multitudinẽ Angelorum Pſalmos quaſi cõcinentiũ, ijs temporibus, quibus horas Canonicas decantari, in Eccleſia, mos eſt; quo tempore, ſi quis æger aduenisset, ab omni infirmitate liber recedebat. Cum in perſecutione Diocletiani, multi ſacerdotes interfecti eſſent, auditi ſunt Angeli, apud eorũ ſepulchra, Matutinũ & reliquas horas Canonicas, ijſdẽ temporibus, quæ ipſi in vita ſeruarãt, decantãtes, vnde manifeſtũ eſt, modũ illũ, diſtinctu temporibus, laudandi Deũ, pium ac ſalutarẽ eſſe.

3. Cantant horas Canonicas ad ſepulchra Martyrũ.
Sur. Tom. 1. 9. Ianuar.

Inter alia miracula, quæ S. Gudwalus Archiepiſcopus patrauit, hæc non poſtremo loco habenda. *Primum, quod nauigans aliquando, ex Inſula cũ fratribus, ex ipſa naui exierit, fluctus feri maris, pedibus calcans, ea ratione, vt ne veſtes quidem, ex parte madefierent. Secundum, inter hæc, cum ille horis, Chriſti, & Apoſtolorum eius authoritate, inſtitutis, preces Deo perſoluturus, laudesq; & gratiarum actiones oblaturus, dixiſſet more Eccleſiaſtico: Deus in adiutoriũ meũ intende: Angeli ſubiunxerunt: Domine ad adiuuandum me feſtina. Et ita totum officium, alternis vicibus, cum viro Dei expleuêre. Deniq; proſpero curſu, omnis ille Domini exercitus, ad terras delatus eſt. S. Ignatius, Tertius à Petro, Epiſcopus Antiochenus, in extaſi vidit Angelos, alternatim hymnos in honore SS. Trinitatis decantantes; quã deinde normã, in Eccleſia Antiochena inſtituit. Non licuerat multo tempore, in ciuitate Sueſſionenſi, in Francia, propter excõmunicationẽ Diuina officia, ſolenniter cũ cantu, ſed tantùm in ſilentio celebrare. Quamobrẽ quatuor Eccleſiaſtici, die Aſſumptionis B. Virginis ſacro, quo liberius, ſuæ erga Deiparam affectioni ſatisfacerent, in montem quendam, extra vrbem, conceſſerunt, vt ibidem horas, B.^ma Virginis decantarent. Factum eſt autẽ, vt peruenerunt in matutinis ad finẽ nonæ lectionis, ecce Angeli, ſuauiſſima modulatione, ſubiunxerunt Reſponſoriũ illud: Felix nãq; es ſacra virgo Maria. vnde illi ſupra modũ recreati in vrbẽ, abſoluto officio, reuertẽtes, incredibile eſt, quot lachrymis, ſingultib⁹ atq; ſuſpirijs, hui⁹ dulciſſimi cãt⁹, memoriã, inter ſe re-*

4. S. Gudvvalo Archiepiſcopo Angeli reſpondent.
Sur. Tom. 3. 6. Iunij.
5. Audiente S. Ignatio hymnos in honore SS. Trinitatis cantant.
Bar Tom. 1. Socrates li. 5. cap. 8.
6 Cantant Rꝫ. Felix namq; Thomas Cantipratenſis lib. 2. c. 40. §. 7.

Digitized by Google

ſerenouarint. Et quis omnes eiuſmodi hiſtorias recenſeret? Regius Pſaltes, vos aſſecurat: *Præuenerunt, Principes, coniuncti pſallentibus, in medio Iuuencularum Tympaniſtriarum,* id eſt, animarum, deuotè collaudantium Diuinam Maieſtatem.

Pſal. 67.

IX. Dauidi Eremitæ muto loquelam reſtituendo, vt diuinas laudes perſoluat. Pratum ſpirit. c. 145.

Et quod illuſtrioris gratiæ loco acceptandum, modis omnibus procurant, vt Diuinæ laudes ritè perſoluantur: *Cum Dauid* inquit Sophronius *multis annis, Latronum Princeps, fuiſſet, veniens in Thebaidem, factus eſt ibidem monachus, itáque vixit, vt abſtinentia ac obedientia, humilitatiſq́; ſtudijs, cunctos, qui in eo monaſterio erant, ad ſeptuaginta, tranſcenderet, ac ſuo exemplo, ad omnem virtutem & ſanctitatem, incitaret. Apparens autem Angelus, nunciauit ei, peccata illi remiſſa eſſe. Quod ille, cum non crederet, ob grauitatem & immenſitatem, ſcelerum ſuorum, in pœnam huius incredulitatis, mutus effectus eſt, inſtar Zachariæ Sacerdotis. Dauid autem humi proſtratus, Angelum deprecatus eſt dicens: Cum eſſem in ſeculo, nefaria ſcelera faciens, & humanum fundens ſanguinem, loquebar, modò quando Deo ſeruire volo, laudesq́; illi offerre, tunc linguam meam, ne loquar, ligas. Reſpondit illi Angelus: Cum implebis Pſalmodiæ Canonem, loqueris, præter Canonem verò, penitus tacebis, quod & factum eſt, plurimaque per illum, Deus, miracula oſtendit: Pſallebat igitur pſalmos, nullum verò verbum aliud, omninò loqui poterat.* Ita Sophronius ad verbum. Dum itaque Diuinis laudibus, toto cordis affectu vacatis; dum pſalmodiæ ſacræ aſſiſtitis, aliud imaginari nolite, quàm S. Angelos vobis adeſſe, veſtraq́; pietate, atque deuotione, impenſiſſimè delectari.

VI. Diligunt afflictos & patientes pro Chriſto.

I. Sex miracula in liberatione triū puerorum. Dan. 3.

Incredibili beneuolentia S. Angeli proſequuntur eos, qui graues, pro Diuini Numinis gloria, & pro Iuſtitia, patiuntur afflictiones atque Tormenta, vt is, qui pro nobis crucis mortem perpeſſus eſt, honore ſuo minimè deſtituatur. Sint exemplo tres pueri, propter adorationem veri Dei, in Babylonicam fornacem, coniecti; Quis eos è flamma ſeptuplò vehementius incenſa, eripuit & liberauit? Angelus Domini, qui in eorum gratiam, ſex ingentia miracula deſignauit. Nam *primò*, exardeſcebat, & flammis minacibus crepitabat ignis; at eos non comburebat. *Deinde* ignis, alias ſurſum tendens, recta linea, foras prorumpebat, & Regis

1\. Miniſtros, flammarum fomenta ingerentes, deuorabat. *Tertiò*, Illæſis

2\. puerorum veſtibus, vincula & laqueos, quibus alligati erant, abſume-

3\. bat, liberoſq; dimittebat. Et inſuper *quartò*, tres illi Dei ſerui, medijs

4\. flammarum globis, ac voluminibus, circumſepti, liberrimè tamen reſpirabant, loquebantur, Diuinamq; bonitatem, condignis laudibus, celebrabant. Et quod maioris prodigij, locum merito capiat. Omnes eadem verba, eaſdem ſententias, in Dei laudem, velut vno ore pronunciabant.

5\. *Quintò*, ipſemet Angelus Domini, humanam præ ſe ferens ſpeciem,

cum

Digitized by Google

cum ipſis inter denſiſſimas voracium flammarum euaporationes, obambulabat,& omnium opinione,in cinerem iam redactos, ſed ſuperſtites recreabat. Et *ſextò,* Ignis loco,quò æſtas illius temperaretur, ventum roris ſuauiſſimo flatu, eos refocillantem, excitabat. Quid amplius pro iuſtitia tribulatis,Angelus Domini,exhibere potuiſſet,quod re ipſa non præſtitiſſet? Danielem in lacum Leonum,ob iuſtitiam coniectum, aſpicite. Annon Angelus Domini Prophetam Abacuc,cum prandio,quod Meſſoribus afferebat,è Iudæa in Babylonem, breuiuſcula temporis intercapedine, tranſuexit,vt eſuriens Propheta cibaretur? Annon ipſemet Dei ſeruus,Angelorum opera,ſe à Leonibus ſeruatum profitetur? Quinimmò; *Miſit Dominus*,inquit, *Angelum ſuum,qui concluſit ora leonum, quia coram eo,iniuſtitia,non eſt in me inuenta.* Exinde robuſtiſſimam illam fiduciam hauriebat,ſanctiſſima Martyr Agatha, vt angeli Cuſtodis fortitudine,& aſſiſtentia freta,Tyrannum,qui ignibus illam cruciare decreuerat, irrideret: *Si ignem adhibeas,rorem mihi ſalutiferum, Angeli de cælo miniſtrabunt.* Eidem conſtantiſſimæ tormentorum ſuperatrici, cum Martyrij agonem,iam conſummaſſet,& mortua efferretur, Angeli ſub viſibili & humana ſpecie,exequias celebrant, & verbis hiſce, marmori inciſis, *Mentem ſanctam ſpontaneam,honorem Deo & patriæ liberationem,* beatitudinis eius teſtimonia relinquunt. Sic S. Catharinam, poſt grauiſſima tormenta, carceribus à Maxentio,& fame excruciatam, nō ſolùm Angeli inuiſunt, & conſolantur,verùm etiam,cum decollata eſſet,& lac ex eius collo,pro ſanguine fluxiſſet,ſublatam manibus ſuis,in Montem Sinai,detulerunt, ibique, cæleſti cum honore, ſepelierunt. Sic S. Celſus puer,Præſidis Martiani Filius vnicus,cum S Iulianus Martyr à Parente,grauiſſimis tormentis excarnificatus, ferreiſq; vinculis oneratus, per ciuitatem duceretur, præcone proclamante: *Ita mereantur Deorum rebelles, & Principum contemptores,Deo* pueri oculos, cæleſti lumine illuſtrante, in hæc verba erupit: *Rem inauditam video,illum ſcilicet Chriſtianum,quem dicunt,cum multitudine candidatorum, colloquentem, & ex illis vnum, coronam ex auro gemmiſq; conſertam,eius capiti imponentem, cuius fulgor, excæcat huius aëris lucem. Et alios tres video,albeſcentibus comis,ſplendidiſq; veſtibus,& alarum volatu, in ſimilitudinem aquilarum ſuper eum excubias celebrantes. Et hoc mihi videtur, quia dignum eſt,tali Deo ſeruire, qui ſuos ſic tuetur, & tali ſplendore circundat. Et hac Angelorum viſione animatus,atque diuinitus à Spiritu ſancto illuminatus,puer,illicò in Chriſtum credidit,abiectiſq; ſplendidis veſtibus, poſt S. Martyrem propè nudus cucurrit,vulnera inflicta oſculatus eſt, eiuſq; ſic amplexibus adhæſit, vt quicunque eum auellere conarentur, Diuina vi, eorum brachia obrigeſcerent. Tentat parens,tentat flens,& paſſo crine, vbera oſtendens Mater,tentant amici, vt puer*

6.

II Daniel in lacu Leonū. Daniel. 6.

Ibidem.

III. S. Agatha. Ex eius vita officium Romanum.

IV. S. Catharina. Sim. Metaphr. in eius vita.

V. S. Celſus puer. Idem in vita S. Iuliani Martyr.

Digitized by Google

à ſententia, ſemel ab Angelorum viſione concepta recedat, ſed omnia incaſſum. in carceres vermibus ſcatentes, vna cum Martyre Iuliano, puer conijcitur, ferreis vngulis laniatur, loris ceditur, ſcorpionibus laceratur, nihil proficitur, donec vnà cum Iuliano & Matre, ſimiliter ad fidem Chriſti attracta, inſigni Martyrio vitam finiſſet.

VI. S. Fides Virgo & Martyr. lib. 12. cap. 133.

De ſancta Fide Virgine & Martyre, ſcribit Vincentius: *Cum ſub Daciano Præſide, ob fidei confeßionem imperterritam, ſuper cratem ferream, diuaricatis membris, ſubſtratisq́; candentibus prunis, aſſaretur, vidit Capraſius, metu tormentorum, haud procul inde, in præalti montis ſpelunca latitans, niueam, è cælo deuolantem columbam, quæ coronam, auro gemmisq́; lucentem, ſuper caput Virginis, quam Angelus, ſpecioſißimis veſtibus induerat, collocauit: Et vt Dei virtus clarior appareret, columba ipſa, alarum volatu, & cæleſti rore, ſic ignem extinxit, vt nihil de incendio remaneret, qua Angelica viſione ſic animatus eſt Capraſius, vt ſe Tyranni conſpectui, intrepide ingereret, à quo ſæuißimis tormentis exagitatus, & ipſe tandem Martyrij coronam, glorioſo certamine eſt aſſecutus.*

VII. S. Margaretha Virgo & Martyr. Simeon Metaphraſtes in eius vita.

Sic S. Margaritæ Virginis capiti, dum ipſa grauiſſimis pœnis afficeretur, nec interim Chriſtum confiteri ceſſaret, cunctis cernentibus, *Angelus in ſpecie columbæ, de cælo aduolans, aurea corolla, verticem eius redimiuit. Viſi ſunt inſuper Angeli, candidatis in togis, & vultibus, ſolis inſtar, micantibus, cæleſti quodam rore, Martyrem aſpergere, vt omnis dolorum ſenſus, expiraret. Quo miraculo quatuor millia hominum, relictis idolis, Chriſtum colere cæperunt, nec timuerunt capitis ſubire diſcrimen, dum diuinitus coronari concupiſcunt.* Nolo iſthîc recenſere, quomodo plurimis ſanctorum Martyrum, in carceribus, & ſub ipſis tormentis Angeli ſancti perſæpè apparuerint, cæleſtibus medicamentis, eorum Vulnera percurârint, diuinisq; ſolatijs, delibutos, mirificè exhilarârint, vt nullam amplius vim tormentorum perſentiſcerent, ac Deo gratias referrent: *Angelus Domini, eripuit me de cunctis malis, & animæ meæ benedixit.*

VIII. S. Adelgundis. Hucbaldus Elnonenſis apud Sur. in vita 13. Nouembr.

Eſt & aliud incruentum Martyrij genus, in quo Angeli, Clientibus ſuis, promptiſſimè itidem ſuccurrunt, cæleſtiaq; ſolatia impertiunt, dum eorum fama, & bonum nomen, conuitijs, opprobijs, & contumelijs, ab inuidis liuore percitis æmulis, proſcinduntur. Exemplo ſit *S. Adelgundis, quæ teſte* Hucbaldo Elnonenſi, *inter varias conſolationes, quas à Deo percipiebat, non infimam ſentiebat, in eo, quod ab Angelo ſæpius inuiſeretur, ne triſtitia vlla abſorberi aut ſuperari poſſet. Accidit aliquando, vt conuitijs diffamata, aliquanto triſtior appareret; ſed affuit ſubito Angelus eamque ſolatus eſt dicens: Cur triſtis es, cum ſcias, cælum, ob hæc conuitia iniuriamq; perpeſſam tibi parari; inimicis autem tuis (niſi reſipiſcant) infernum adornari? Sic itaq; conſolatam, & bono animo eſſe iuſſam, Angelus in pace dimiſit.* Hæc de S. Adelgunde author eius vitæ.

Nolite

Nolite puſillanimes eſſe, dilecti mei, neque Clypeum & haſtam illicò abijcite, & ſpem omnem deſpondete, ſi quando propter veritatem, iuſtitiam, vel innocentes, aliquid perferre cogamini. Ecce enim vobis diuinam promiſſionem, ab ore Spiritus ſancti manantem: *Immittet Angelus Domini, in circuitu timentium eum & eripiet eos.* Non inanes ſpectatores, vobis aſſiſtunt Angeli, ſed adiutores, ſed liberatores, & vindices, cum viſum fuerit Diuinæ voluntati: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum,* inquit S. Angelus cuſtos, *longitudine dierum replebo eum, & ſalutare Dei* perenniter *oſtendam.* Quam in omnibus vobis & ſingulis promiſſionem is impleat, qui pro animabus veſtris in Cruce mortuus, Sanctos Angelos ſuos, ad cuſtodiam veſtram deſtinauit. Amen.

Pſal 33. *Pſal. 90.*

SERMO XI.

Religioſi ab Angelis ſummo in honore habentur.

Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & Miniſtros ſuos ignem vrentem. Pſal. 103.

INter aulicos Regis aut Principis, mutuam neceſſitudinem, familiaritatem atque amicitiam, vigere, nemo miratur: Sic neque prodigij loco, poterit haberi, ſi qui, vale facto Mundo, & omnibus eius illecebris, atque concupiſcentijs, nuncium remittentes, ſe totos, in Religione quapiam triplici voto, Diuinæ Maieſtati mancipaꝛunt, ac toto vitæ tempore obſtrinxerunt, ab Angelis vehentiſſimè diligantur: Magna enim inter Angelos, & Religioſos affinitas, vel potius cognatio quædam ſpiritualis, intercedit. Sunt illi Spiritus Nobiliſſimi Natura & Subſtantia: Iſti ſpiritu facta carnis mortificare, *& carnem eum concupiſcentijs ſuis crucifigere* propoſuerunt. Angeli miniſtrant Deo, in Eccleſia Triumphante: Religioſi pro eius honore laborant, in Eccleſia militante. *Angeli ſemper vident faciem Patris.* & Deum aſſiduè laudant: Religioſi Diuinis contemplationibus, & Dei laudibus, dies noctesque occupantur. Angeli perpetua cura, vigilantiaque, humanam ſalutem procurant; Religioſis conuenit, pro aliorum ſalute, inceſſanter orare, & eam pro viribus promouere; Illi Deo proximè aſſiſtunt, in cælo; Ergo paritatem officij, beneficentiæ viciſſitudo rectiſſimè adæquat. Quod dum in gratiam atque ſolatium peculiare, omnium Religioſorum, hac vice, hiſtorijs potiſſimum explicare aggredior, optimi Maximi eorum Patroni, Tutelares Angeli, cæptis fauere dignentur. Amen.

Similitudines Religioſorum & Angelorum. 1. *Galat. 5.* 2. 3. *Matth. 18.* 4.

Digitized by Google

I. Angeli ſancti amant & honorant homines Religioſos. Omnium impenſiſſimè diligunt Angeli ſancti & honorant homines Religioſos, qui amore Dei, mundo renunciarunt, *vt carnem ſuam, cum concupiſcentijs ſuis, mortificent, & crucifigant*, & ſe totos, diuino ſeruitio mancipent, & addicant. Exemplum capeſſite ſanctum Patriarcham Iacob. Is poſtquam domum paternam reliquiſſet, & Eſau fratris iracundiam declinaſſet, ſingulari, Diuinæ maieſtatis, nutu, præclaram illam ſcalæ, quam Angeli aſcendentes, & deſcendentes frequentabant, viſionem conſpexit: Vt mihi videatur, Dominum Deum, tacitè quodammodo alloquentem audire: *Quia tu amore mei, deſerta paterna Domo, & terra Natiuitatis tuæ, ad tolerantiam perſecutionum, calamitatum, & anxietatum variarum, quæ fraterna Eſau inuidia, quomodolibet inferuntur, temet, ita promptè accinxiſti; Ecce ego, cæleſte habitaculum demonſtro, quod tibi in compenſationem terreſtris exilij, præparatur; Et Angelorum multitudinem tibi exhibeo, qui te multò copioſius conſolabuntur, & fortius propugnabunt, quàm omnes conſanguinei, omnes facultates tuæ, quas reſpuiſti. quin etiam, quæcunque de terrenis bonis reliquiſti, centuplum, in hac etiam vita recipies, & in altera vitam æternam poſſidebis.* O quanta hæc eſt felicitas, à mundo & caducis & fluxis rebus, Diuinarum inſpirationum ductu, auocari, ad pœnitentiæ aratrum manus applicare, & retrorſum non reſpicere, iugoq; Domini ſuauiſſimo, collum perpetuò adaptare. *Quam magna multitudo dulcedinis* Diuinæ, abſcondita eſt in hac ſequela Saluatoris: *Noli metuere Daniel*, inquiebat, Angelus, Danieli apparens: *quia ex die primò, quo poſuiſti cor tuum, ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Domini, Dei tui, exaudita ſunt verba tua, & ego veni propter ſermones tuos*; ac ſi apertè, homini ſeruitio diuino addicto polliceretur: *A primo die, quo te famulitio cultuq; Domini Dei tui, totum impendiſti, & carnem tuam, in conſpectu Domini, affligere decreuiſti, ſingularem Dei gratiam, præ alijs hominibus, tibi conciliaſti. Et exinde me quoque fidum, in omnibus vijs tuis comitem, ac directorem, re ipſa experieris.*

Galat. 5.
I. Patriarcha Iacob.
Gen. 28.
Gen. 32.
Religioſorum incredibilis felicitas etiam in hac vita.
Matth. 19.
Pſal. 33.
II. Daniel Propheta.
Daniel. 10.

III. Angelorum & Religioſorum mutua familiaritas. Quinimò, tanta eſt hominis religioſi, cum Angelo neceſſitudo, tanta familiaritas, vt licet non omni tempore, corporeo aſpectu, inuiſibili tamen obſequio, nunquam non, ei famuletur. Horſum pertinet, quod de Guthlaco, religioſiſſimo viro, memoratur: Qui inſtanter aliquando rogatus, ab vno, è diſcipulis ſuis, & ſpiritualibus filijs, vti reuelare vellet, quis nam eſſet, quo cum indies in cella ſua, tractare, ac tàm familiariter colloqui, audiretur? reſpondit: *Quandoquidem finis vitæ meæ, in propinquo eſt, fili mi, non conuenit diutius ſecretum hoc, fraternitati tuæ abſcondere. Scito igitur, me ab illa hora, qua Eremiticam ſolitudinem, primum auſpicatus ſum, quotidie manè & veſperi, frui ſolitum, præſentia Angeli, à quo cæleſtibus ſolatijs, in omni tribulatione & anguſtia recreabar. Hic prædicere mihi futura,*

IV. Exemplũ Guthlaci Religioſi.
Surius. 14. Aprilis.
Angelus ei quotidie præſentem ſe ſiſtit.

Digitized by Google

tura, reuelare abſentia, reſerare arcana ſpiritualia, hactenus conſueuit. Sed amabo, ne hoc cuiquam dixeris, priuſquam anima mea, è corporeo hoc ergaſtulo, emigrârit.

Vt porrò melius intelligatis, quanto amore Angeli Religioſos Dei ſeruos, complectantur, accipite ſolatio plenam viſionem, Sanctiſſimo Patri Bernardo manifeſtatam: *Celebrabantur aliquando ſolennes Vigiliæ, & vir Domini cum cæteris fratribus aderat; cumque Hymnus Te Deum laudamus cantaretur, vidit S. Angelos, multa claritate fulgentes, mira etiam vultus alacritate, deuotos, qui vtrumque Chorum percurrentes, modo hunc, modo illum, excitabant, & vt diutius ille Hymnus, cum deuotione percantaretur, modis omnibus elaborare ſatagebant. Intellexit quoque vir ſanctus, hymnum illum, verè ipſis familiarem eſſe, quos tanta inſtantia, vidit operam dare, vt cum deuotione perſolueretur.* Alio item tempore, cum vir ſanctus, matutinis pſalmodijs intereſſet, *aperuit Dominus oculos eius, & ecce vidit ſingulos Angelos, iuxta ſingulos monachos ſtantes, & quod quiſque eorum pſallebat, in ſcedulis, more Notariorum, tàm diligenter excipientes, vt non minimam ſyllabam, quanquam negligenter prolatam, omitterent. Scribebant verò diuerſimodè: Nam quidam eorum ſcribebant auro, quidam argento; nonnulli atramento; aliqui aqua; quidam verò, penitus nihil ſcribebant. Spiritus autem, qui hæc reuelabat, intelligentiam diuerſitatis ſcripturæ, cordi eius inſinuabat. Qui enim auro ſcribebant, feruentiſsimum in Dei ſeruitio ſtudium, & abſolutam cordis intentionem, in his, quæ pſallebant, ſignificabant. Qui autem argento, minorem quidem feruorem, puram tamen pſallentium deuotionem, declarabant. Qui verò atramento, continuum quorundam, bonæ voluntatis, vſum, in pſalmodia, licet non cum multa deuotione, notabant: Sed qui aqua ſcribebant, eos qui ſomnolentia, vel pigritia, preſsi, vel vanis cogitationibus, à ſe abducti, videntur quidem aliquid ſignare, ſed cor eorum abſtractum prorſus, voci minimè concordat. Cæterum illi, qui nihil omninò ſcribebant, lamentabilem quorundam cordis duritiem, redarguebant, qui obliti profeſsionis ſuæ, timoris Dei immemores, noxiis cogitationibus, in conſpectu Domini occupantur. Sanctus itaque Bernardus, videns S. Angelos omnes, eſſe adminiſtratorios Spiritus, miſſos in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis, ſicut proficientium congratulabatur feruori, ſic paterno pietatis affectu, deficientium tepiditati, compatiebatur.* Iſta è geſtis S. Bernardi. Vnde facilè conſtabit, quàm diligenter annotent Angeli ſancti, quidquid laboris, à Religioſis viris, in Dei laudibus impenditur, vt copioſiſſima in cælo, mercede, olim compenſetur.

II. Exempla familiaritatis inter Angelos & Religioſos.

I. Viſio S. Bernardi, lib. de Illuſtribus viris ordinis Ciſtercienſis.

Attentionem pſallentium annotant Angeli.

Angeli ſcribunt auro argento, atramento, aqua.

1. 2. 3. 4.

5. Nihil ſcribentes, diſtracti & euagabundi.

Huc pertinet, quod de Religioſiſsimo Dei ſeruo R. P. Franciſco de Bergamo, Capucino, Sacerdote, memoratur, *quo cum Angelus Cuſtos, octennio integro, ante obitum, quotidianum horarum Canonicarum penſum, perſoluit, cum annis ſeptuaginta in Religione, Deo militaſſet, & ſenectutem, vſque ad nonageſimum tertium, ætatis annum, produxiſſet.*

II. R. P. Franciſcus de Bergamo Capucinus, qui obijt Romæ, Anno 1626. 2. Oct.

III. Eremitæ greſſus numerat Angelus. Ex libris Doctrinæ Patrum. lib. de patientia & fortitudine. Num. 5.

Nec verò duntaxat, religioſorum labores, qui in Diuino cultu exhauriuntur, ſed & aliæ corporales moleſtiæ, & carnis afflictiones, quam diligentiſſimè annotantur, vt in cælo, condignis præmijs, reponantur. Vnde in vitis Patrum, de religioſo quodam viro, memoratur, *qui aquam ad cellam ſuam, vſque à duodecim milliaribus apportabat. Quando autem diuturni laboris, eum tædere cæpit, Angelum ſuum Cuſtodem conſpicatus eſt, qui omnes ipſius paſſus, accuratiſſimè in libro deſcribebat. cauſam rogatus, cur id faceret? miſſus ſum, inquit, Angelus tuus Cuſtos, numerare omnia veſtigia tua, vt pro ſingulis, à Deo accipias in cælo mercedem.* quod cum intellexiſſet, quò ſenior, eò alacrior, in ſeruitio Diuino, euaſit.

IV. Iuuat Religioſos vt vim poſt Dæmonis tentationes. Eodem lib. num. 1.

Conſueuit inſuper Angelus Domini, Religioſos erudire, & modum, omnes Diabolicas tentationes, facilè ſuperandi, præſcribere, & edocere. Sedebat aliquando S. Antonius in Eremo, diſtractus varijs cogitationibus, mirificoq; tædio affectus, ideoq; ad Dominum ſuſpirabat: *Domine volo ſaluus fieri, & non permittunt me cogitationes meæ, quid faciam?* Prodiens igitur è cella, vidit quendam è regione, in habitu ſuo, ſedentem, & plectam de palmis texentem, & nunc ab opere, ad orationem ſurgentem; nunc variatis perſæpè vicibus, ad opus, & inde rurſus ad orationem aſſurgentem; Erat is Angelus Domini, qui ſanctum virum alloquebatur: *Sic fac & ſaluus eris*, quo audito, magnoperè in Dei ſeruitio roboratus, cogitationum moleſtias, facilè abdicauit.

V. Oſtenſione cadaueris, Apoſtaſiæ tentationem excuſſit religioſo. Cæſar. lib. 4. cap. 4.

Quin etiam, vt tentationes excutiantur, auxilio ſuo, diligentiſſimè cooperatur Angelus tutelaris: De conuerſo quodam Monaſterij Hemmenrodenſis; ſcribit Cæſarius: *Cum is porcos Monaſterij diu curaſſet, & pauiſſet, iam ſenex à maligno ſpiritu agitatus, cæpit cogitare: Quid eſt quod agis? homo es benè natus, & propter porcorum paſturam omnibus cognatis tuis deſpectus: Non patiar amplius hanc confuſionem. Statuit itaque ſummo manè Monaſterium prorſus deſerere: Eadem nocte, vigilanti in lecto, adſtat iuuenis venerando aſpectu, monens, vt ſurgeret, & aſſumptis veſtibus, ſe ſequeretur, paret monenti, & per omnes Eccleſiæ portas, quæ vltrò aperiebantur, ab Angelo in Cæmiterium ducitur, vbi omnia ſepulchra, per ſe aperiuntur. Angelus porrò, eum manu ducens, ad vnum, in quo terribiliter fætens, pronuper defuncti cadauer iacebat, ei dixit: Vides Laſſarde hunc hominem; & tu prope diem talis eris. quò igitur relicto clauſtro tendis? Cumq; ad alia eum ducere Angelus niteretur, obſecrauit: Dimitte me Domine, dimitte, fætorem tantum non poſſum ferre: Igitur ab Angelo ad lectum reductus, ſenſit omnem tentationem Dæmonis euanuiſſe.*

III. Curent Religioſos ægrotantes.

Nec verò dum corporis etiam moleſtijs affligantur Religioſi Viri, à S. Angelis deſeruntur: cuius rei hiſtoriam mire iucundam, exhibent geſta Sanctorum Patrum: *Solitarius quidam Religioſus, cum diu ſatis aſperam in*

Eremo

Eremo vitam tranſegiſſet, tandem infirmatus, cum triginta propè diebus, à nemine commilitonum ſuorum, inuiſeretur, vidit tandem Angelum Cuſtodem, ad ſe venientem, vt ſibi decumbenti, famularetur; quod, cum diebus ſeptem continuaſſet Angelus, venerunt tandem eius Confratres, vt ei obſequia ſua deferrent. Sed ægrotus reclamabat: Diſcedite, inquiens, diſcedite fratres; Ecce ſeptem diebus, quàm diligentiſſimè miniſtrauit mihi Angelus Cuſtos, qui nunc vobis aduenientibus, diſparuit & abſceſſit. Vix hæc verba protulerat, & anima eius corpus reliquit, per Angelum Cuſtodem, Creatori ſuo, haud dubiè reſtituta. I. Solitario decumbenti miniſtrat. Lib. de patientia & fortitudine. num. 10.

Sic alius quidã in grauiſſima carnis & laſciuiæ ſcelera lapſus, *cũ rigidiſſimam, in deſerto, pœnitentiam, egiſſet, atrociſſimis, corporis totius, ac præſertim hepatis doloribus, excruciatus, vidit Angelum ſuum Cuſtodem, viſibili ſpecie, præſentem, latuſque dextrum, nouacula diſſecantem, & hepar eius, interioraque membra, à bile, noxiiſque humoribus purgantem, iterumque mox loco ſuo reponentem, ac vulnus in momento ita ſanantem, vt nihil amplius morbi moleſtiarum ſentiret, ſed viribus reſtitutus, & auctus, maiori alacritate, in ſeruitio Diuino, ſe deinceps exerceret.* II. Alius ægrotans ab Angelo curatur. Eodem libro num. 19.

Alius denique, memorante Thoma Cantipratenſi, ex ordine Canonicorum Regulariũ, *vir pius ac Religioſus, longo tempore grauiſſima infirmitate oppreſſus, cum dolores vix amplius ſuſtinere poſſet, amariſſimas lachrymas fudit, & S. Mauritium, ſocioſque Martyres, quorum feſtiuitas inſtabat, vt pro ipſo Deum precarentur, obnixiſſimè inuocabat. Nec mora, & ecce leui ſomno correptus, audit ſanctos Angelos in cælo cantantes: Gaudent in cælis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti, & qui pro eius amore, ſanguinem ſuum fuderunt, ideo cum Chriſto, exultant ſine fine. Ex hoc cantu, tanta dulcedine perfuſum ſe ſenſit, vt omnis dolor, morbique tædium, ſic euanuerint, ac ſi nullam vnquam ægritudinem, fuiſſet perpeſſus.* III. Audiens Angelos cantantes à morbo releuatur. Lib. 1. de proprietatibus apum, ca 11. part. 3. Eccleſia in officio de Martyribus.

Quid plures congero hiſtorias, vt Angelicos fauores, erga Religioſos, homines, vberius declarem? ſentiunt ipſimet, & fatentur omnes, qui in hoc ſtatu, Chriſtum Dominum ſuum, preſſis veſtigijs, proximè ſequuntur, eiq; in cordis ſimplicitate, piè famulantur, dum corda ad Deum eleuant, tantam cæleſtium gaudiorum copiam, mediantibus haud dubiè ſanctis Angelis, vt plurimum ſuppetere, vt ſeipſos aliquando vix capiant, ſed in Deum penitus abſorpti, huic mundo mortui, Deo ſoli viuant. IV. Religioſi pij miniſtrãtibus, Angelis non rarò pitiſſant gaudia cæleſtia.

Cum piiſſimus quidam Frater, ex Diſcipulis Beati Roberti primi Abbatis Clarauallenſis, è vita diſceſſurus eſſet, vir ſanctus in Spiritu raptus, vidit duos pulcherrimos Iuuenes, vultu & habitu inſigniter relucentes, qui lilia, roſas, violas, & omnis generis flores, in Choro Clarauallenſi, ſpargebant, ita vt pauimentum, omne pictum, mirificeque venuſtatum eſſe, videretur. V. Angeli piorum Religioſorum exequias honorant. Lib. de Illuſtribus viris ordinis Ciſtercienſis.

Quibus

Quibus ille: Cur ò boni iuuenes, contra conſuetudinem noſtram, pauimentum floribus ſternitis? cur Monaſterio iſtam nouitatem inducitis? at illi: *Noli nobis in officio noſtro moleſtus eſſe, mox enim in hoc choro, noua, noui Sancti feſtiuitas, celebrabitur, de qua gaudebunt Angeli, & Hymnus Deo cantabitur in Sion. Interea dum verbis hiſce attendit, vir ſanctus tabulæ ſtrepitu, omnes ad commendationem animæ, iam iam morituri Fratris, excitantur. cum porrò is inculpabilem & ſanctam, in religione, vitam duxiſſet, haud immeritò creditus fuit, nouus ille Sanctus, cui Angeli ſancti, nouam feſtiuitatem, ſe ſe celebraturos, promittebant.* En quales exequiæ, pijs Religioſis, in tranſitu ex hac vita, parantur.

VI. S. Paphnutius Abbas viribus exhauſtus ab Angelo corroboratur.
In vita S. Onophrij.
E vitis Patrum. lib. 1. Auctore S. Hieronymo, apud Heribertum Roſvveidum. lib. 1.

Dies me deficeret, prius quàm hiſtoriarum copia è quibus ſtupendi fauores, quibus Angeli ſancti Religioſos pios, omni tempore cohoneſtarunt, clariſsimè demonſtrari poſſunt. S. Paphnutius de ſe ipſo fatetur, cum in ſolitudine oberraret, quatuor diebus ſine cibo & potu: *His, inquit, completis, nimium feſſus, humo proſtratus, iacui velut mortuus. Extemplò, cæleſti ſolatus adiutorio, aſsiſtere mihi vidi, virum gloria mirabilem, ſplendore terribilem, pulchritudine laudabilem, magnitudine procerum, aſpectu præclarum, & obſtupui vehementer. Sed tamen ille vultu placido accedens, nunc manus, nunc labia mea tetigit, mihique vires potenter reſtaurauit: Continuò lætus ſurrexi, Deo fauente, per ſolitudinem exinde, decem & ſeptem dierum curſum direxi, donec perueni ad locum, quem Dominus mihi, famulo ſuo, prouidebat.* In eadem vita S. Onophrium introducit, de ſe ipſo confitentem: *Alimenta ſpreui corporalia, vt dignus acciperem ſpiritualia; Angelus enim Domini, quotidie panem mihi offerebat & aquam, miniſtrabat; vt corpus meum conſortaretur, ne deficeret, & iugiter in laude Dei perſeueraret. Omni die Dominico, vel Sabbatho, paratum inuenio Angelum, Domini, ſacroſanctum corpus & ſanguinem Domini mei IESV Chriſti, ſecum deferentem, de cuius manu, precioſiſsima mihi donantur munera, vitaq; ſalus perpetua.* Hæc de Angelo ſuo Cuſtode, S. Onophrius Eremita ſanctiſsimus.

VII. S. Onophrium cibat & communicat S. Angelus.
In vita S. Onophrij.

Vnde non poſſum ſatis mirari, parentes illos, indiſcretos, & parùm ſapientes, quæ Dei ſunt, qui cùm audiunt, filios ſuos, aut filias, Religioſæ vitæ ſtatum meditari, Cælum & Acheronta mouent, vt à tàm pio propoſito, ad huius mundi fallaces illecebras, abſtrahantur, cum potius gaudere, diuinæq; bonitati, gratias agere oporteret, pro filijs & filiabus, quos Deus in hoc mundo, in peculiares ſeruos elegerit, vt olim in cælis, ſupremis Angelorum Choris inſerti, cæleſtium ciuium conſortio, annumerentur, & vnà cum Parentibus, ipſorum precibus, ad æternam ſalutem promotis, diuinam faciem, ſine fine contemplentur. Amen.

SERMO

Digitized by Google

SERMO XII.

Caſtimoniæ, & puritatis amatores, à S. Angelis, impenſiſſimè diliguntur & in neceſſitatis caſibus defenduntur.

Viuit Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & non permiſit me, ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati, reuocauit me vobis, gaudentem in victoria ſua, in euaſione mea. Iud. 13.

Rectiſſimè ſenſit Zeno Cittienſis, inter Græciæ Philoſophos, ſapientiæ & eruditionis laude percelebris, cum à quodam interrogatus, quid eſſet Amicus? reſpondit, *Alter ego, mihi ſimillimus.* Et ſic res habet: Nam cum vera amicitia, in ſimilitudine fundetur, Cicerone atteſtante: *Ea eſt genuina, iucundiſſimaq; amicitia, quam ſimilitudo morum coniugauit; Et inter omnes hominum ſocietates, nulla præſtantior eſt, nulla firmior, quàm cum boni viri, moribus ſimiles, ſunt familiaritate coniuncti: Nihil enim amabilius, nec copulatius, quam morum ſimilitudo bonorum, quæ eſt fons omnis dilectionis;* Hinc inter Angelos & homines, nulla firmior, nulla conſtantior amicitia, iniri poterit, quàm qui ſe Beatiſſimis illis ſpiritibus, animæ & corporis integritate, quantum fragilitas humana admittit, aſſimilarunt: *Et ſunt ſicut Angeli Dei, nec nubunt, neque nubuntur.* Quamuis autem, Apoſtolo teſte, *non omnes capiant hoc verbum*, vt virgineæ puritatis florem illibatum, in omni vita conſeruent, in quocunque tamen ſtatu illi degant, qui pudicitiæ, caſtimoniæq; ſtudio, ducuntur, ab Angelis, impenſiſſimè ſemper diliguntur, & ipſorum gratiæ fauoribus, præ alijs hominibus, innumerabiliter ſæpè afficiuntur. Id hoc ſermone, dum vobis ex hiſtorijs potiſſimum, do explicatum, vos, ô ſancti Angeli, nos omnes & ſingulos, caſtitatis & puritatis ſtudio, per veſtras orationes, accendite, & inflammate; vt cum S. Iudith, in fine vitæ, conteſtari valeamus, vnuſquiſque in ſuo ſtatu, in quo à Domino inuenietur: *Viuit Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & me* deinceps, contagioſæ carnis maculis, *non permiſit* amplius *coinquinari.*

Laert. lib. 7. cap. 1.

Lib. 1. officiorum.

Quanam vera amicitia?

Matt. 19.

1. Cor. 7.

Ardua res eſt, *ignem in ſinu geſtare, & non amburi*, in carne viuere, & à carnis incentiuis non inflammari, in medijs concupiſcentiæ flammis degere, & nunquam lædi, quod ſingulare Dei donum, & paucorum priuilegium eſt, non cuicunque conceſſum: Nam Salomon ait: *Sciui quoniam non potui eſſe continens niſi Deus det*: Et hoc ipſum eſt ſapientia ſumma. Veriſſimum quidem, quod Spiritus ſanctus pronunciat de virginibus, de qui-

I. Laus Caſtitatis.

1. Singulare Dei donum virginitas.

Sapient. 8.

Digitized by Google

1.Cor.7. de quibus Apoſtolus aſſerit, *ſe Domini præceptum non habere*, vt alieni iugum iſtud imponat: Nihilominus, *Felix eſt ſterilis & incoinquinata, quæ neſciuit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum:* (Sap.3.) *Nam mulier innupta & Virgo cogitat, quæ Domini ſunt; Dico enim non nuptis & viduis*, addit Apoſtolus: *Bonum eſt, ſi ſic permanſerint, ſicut ego.* Et tàm quidem ſublimis eſt virginitas, vt de ea S. Ambroſius fateatur: *Supergreditur virginitas conditionem humanæ Naturæ, per quam homines Angelis aſſimilantur. Maior tamen eſt victoria Virginum, quam Angelorum: Angeli enim ſine carne viuunt, Virgines verò, in carne triumphant.* Et S. Cyprianus Martyr: *Virginitas flos eſt, Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, illuſtrior portio gregis Chriſti. Virginitas eſt ſoror Angelorum, victoria libidinum, Regina virtutum, poſſeſſio omnium bonorum.* Quia tamen non omnibus eximia virginitatis laurea, obtingit, dummodo quilibet ſiue in Matrimonio, ſiue in viduali ſtatu, ſiue poſt lapſum, pœnitentiam agens, impuras libidinum fœditates, & pudendas carnis illecebras, cane peius & angue fugiat, & puritatem, Deo, ſumme dilectans, toto mentis conatu, ſectetur, ſuo apud Deum præmio, non deſtituetur. Vnde S. Auguſtinus conſulto & recte: *Virginitas altus mons eſt, ad quem Angelus hortatur: Saluum te fac in monte: ſed qui videt ſe non poſſe aſcendere, maneat in Segor, id eſt, in legitimo Matrimonio: quia melius eſt, mediocri bono vti, quam extremo malo, per abrupta libidinum præcipitari.* Quamobrem Iudith, viduæ, præclarum hoc Elogium, à Iudæorum primoribus accinitur: *Confortatum eſt cor tuum eo, quod caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum, alterum neſcieris: Ideò eris benedicta in æternum: Et Anna Filia Phanuel, quæ ſeptem annis à virginitate ſua, cum viro ſuo vixerat & vidua per annos octoginta, quatuor manſerat*, cum Chriſtus in Templo, à benedicta matre ſua offerretur, vna cum Simeone, eum agnoſcere, amplecti, deoſculari, & futura de ipſo promeruit vaticinari: Quin etiam lapſis lubricitate carnis, ſed reſipiſcentibus, hoc ab Apoſtolo conſilium datur: *Hæc eſt voluntas DEI, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere, in ſanctificatione & honore.*

II. Eius laus ex SS. Patribus. Lib.1. offic. & lib. de viduis. Lib. de Virginit.

III. Caſtitas matrimonialis & vidualis. Lib. ad ſacras virgines Et in ca. 19. Geneſ. Iudith. Luc.2. 1.Theſſ.4.

IV. Caſtimonia zelus, quanta laude dignus. Sap.4. Eccl.26.

Sed quid proferam de inconcuſſo pudicitiæ propoſito, & feruenti Caſtimoniæ Zelo, in quocunque ſtatu inueniatur? lubeat exclamare cum Salomone: *O quàm pulchra eſt, caſta generatio cum claritate: Immortalis eſt enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota eſt, & apud homines.* Quin etiam, *Omnis auri ponderatio, non eſt digna, continentis animæ*. nullæ opes, nullæ diuitiæ, nullæ gazæ, præſtantiam eius attingunt, nedum æquarent. Non mirum itaque, caſtos & puritatis amantes homines, à ſanctis

ſanctis Angelis, tantopere amari, vt omnes in virtute illa, ſibi cupiant aſſimilatos, quod è nocturna illa, Patriarchæ Iacob, cum Angelo colluctatione, ſatis elucet: Cum enim neruum fæmoris eius tetigit, ſtatim emarcuit, ac ſi voluiſſet, omnem in eius lumbis, humorem libidinis extingui & aboleri. Nec myſterio caruiſſe cenſendum, quod Sodomitas, Angelorum manibus, vltor Deus caſtigârit: Nam cum turpitudo illa, Angelicæ Naturæ potiſſimum repugnaret, Angelos, in deſperatiſſimæ libidinis homines, Diuinæ vindictæ gladium, exercere ac ſtringere condecebat. O beatum, quem *Angelus* Domini *non permittit*, talibus ſpurcitijs *coinquinari*. Gen. 32. Gen. 19.

Videamus age, & ex hiſtorijs condiſcamus, quanta promptitudine, caſtis hominibus, Angeli ſancti patrocinentur? De beato Equitio iſta poſteritatis memoriæ, tranſmiſit & ſcripſit, S. Gregorius Magnus: *Cum enim tempore iuuentutis, acri certamine, carnis incentiua fatigarent, ipſa tentationis anguſtia, ad orationis ſtudium, ſolertiorem fecerunt. Cumque ab omnipotenti Deo, remedium continuis precibus quæreret, nocte quadam, aſſiſtente Angelo, Eunuchari ſe vidit, eiuſque viſioni apparuit, quod omnem motum, ex genitalibus eius membris abſcinderet, ac ſi ſexum in corpore amplius non haberet. Qua virtute fretus ex Dei omnipotentis auxilio, vt viris antea præerat, ita cæpit poſtmodum feminis etiam præeſſe. Nec tamen ceſſabat, diſcipulos admonere, ne ſe eius Exemplo, in hac re facile crederent, & caſuri, non tentarent donum, quod non accepiſſent.* II. Angeli Patroni caſtitatis amatorum. I. S. Equitius. Lib. 1. Dial. cap. 4. *Angelus tollit incentiua libidinis.*

Huic non admodum diſſimile, quod ex Heraclidis libro, quem Paradiſum nominat, Palladius, accuratè deſcribit: *Venerabilis quidam Pater, Elias nomine, trecentas feminas in monaſterium collegit, & regere cæpit. Tranſacto autem biennio, iam triginta quinque circiter annos habens vitæ, tentatus à carne, in Eremum fugit, vbi biduo ieiunus, orans Deum, ait: Domine Deus, aut occide me, aut libera me, ab hac tentatione. Veſpere igitur, ſomnus ei irrepſit, in quo tres Angelos ad ſe venire vidit, quibus interrogantibus, cur à Monaſterio Virginum fugiſſet? nec ille præ verecundia reſpondere auderet, dixerunt Angeli: Si liberaberis, nunquid ad regimen Virginum redibis? Tum ille: Quàm libens. Viſi ſunt igitur illi Angeli, omnem libidinis ſenſum, ac motum, è ſecto corpore eximere, quærentibus igitur Angelis; Num remedium ſentiret? reſpondit ille; ſe plurimum exoneratum. Vnde quinta die ad Virgines reuerſus per quadraginta annos, quibus ſuperuixit, priſtinæ tentationis, nec ſcintillam ſenſit.* *II. Elias Præpoſitus feminarium. Hiſtoria Lauſiaca. cap. 35. Angeli eximunt fomitem libidinis.*

Addo aliam, eiuſdem Argumenti hiſtoriam, ex collationibus Patrum, Ioannis Caſſiani, de Beato Sereno Abbate: *Hic*, inquit Caſſianus, *pro interna cordis atque animæ caſtitate, nocturnis diuiniſque* *III. Serenus Abbas. Collat. 7. c. 2.*

precibus, ieiunijs quoque ac vigilijs, infatigabiliter inſiſtens, cunctos aſtus, carnalis concupiſcentiæ, tandem per diuinam gratiam, in ſe extinxiſſe percepit. Deinde maiori zelo caſtitatis ſuccenſus, præfatis vſus remedijs, à Deo petijt, vt interioris hominis caſtitas, in corpus redundaret, Dei dono. Poſtremoque autem, veniens ad eum Angelus, in viſione nocturna, eiuſque velut aperiens vterum, quandam ignitam carnis ſtrumam, de eius viſceribus euellens, ac proijciens, ſuiſque omnia, vt fuerant, locis, inteſtina reſtituens; Ecce, inquit, incentiua carnis tuæ abſciſſa ſunt; Et obtinuiſſe te noueris, hodierno die, perpetuam corporis puritatem, iuxta votum quod popoſciſti. Sic ne ipſo quidem naturali motu, qui etiam in paruulis & lactentibus excitatur, vlterius pulſabatur.

Idem beneficium præſtant Angeli S. Sereno.

IV. S Thomæ Aquinati Angeli lumbos cingentes conferunt donum caſtitatis.

Sur Tom 2. 7. Martij. Nobilis S. Thomæ victoria.

Haud minus illuſtre Caſtitatis donum, ſancti Angeli, Beato Thomæ Aquinati, contulerunt, verbis hiſce, in eius vita, deſcriptum: *Inter varias artes, quibus vſi ſunt parentes Thomæ Aquinatis, ad eum vel inuitum, à Religionis propoſito reuocandum, mulierem, venuſta ſpecie, omni nefanda libidine contaminatam, quæ pudiciſſimo adoleſcenti, ſuis lenocinijs, laqueum inijciat, inuitant: Illa lucri cupiditate facilè allecta, Thomam aggreditur verbiſque laſciuis, eius animum pulſat. At ille ſentiens, ſe impuris illecebris nonnihil moueri, inuocato Nomine IESV, & Virginis Matris MARIÆ, arrepto è foco titione, procacem, impudentemque feminam, à ſe protinus abegit. Deinde clauſo oſtio, eodem titione, crucis figuram in pariete depinxit, proſtratuſque in terram, multis lachrymis Dominum, vt perpetuæ continentiæ & integritatis donum, largiri dignetur, deprecatus eſt. Vix leui ſomno correptus erat, cum duo, eximio ſplendore fulgentes Angeli, adeſſe viſi ſunt, qui cingulo renes eius ſtringentes, omnem impuræ libidinis motum abſtulerunt.* O ineffabilem, Sanctorum Angelorum promptitudinem, homines iuuandi, vt virginitatis & caſtimoniæ palmam atque victoriam, indipiſcantur.

III. Angeli cuſtodiunt & defendũt Caſtos.

I. Euſebium virginitatis amatorem S. Angeli è ſacro fonte leuant, & à periculo caſtitatis præſeruant.

2 part hiſt. tit. 10. cap. 1 §. 12.

Quàm vigili porrò ſedulitate & induſtria, ſancti Angeli Caſtitatis amatores, protegant, quàm ſtrenuè defendant, vel vnicus adoleſcens Euſebius, clariſsimè demonſtrabit: *Is enim*, vt ſcribit S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, *adhuc Catechumenus, paruus, cum Parentibus Romam venit, & ab Euſebio Papa, Baptiſma & nomen accepit. At Pontifex Euſebius, ab Angelo, antequam eum baptizaret, qualis & quantus vir futurus eſſet, inſtructus eſt, & quo eum nomine vocitaret. In ipſo eius baptiſmo, manus Angelicæ viſa ſunt, quæ eum de ſacro fonte leuarunt. Virgo ſemper manſit, nullamque feminam, poſt baptiſmum, nec Matrem, vel oſculando tetigit, neminem deſpiciendo, ſed culpam fugiendo. Cum autem quædam Matrona nobilis, eius pulchritudine capta cubiculum eius clàm adire vellet, tota nocte plateas vrbis circuiuit, & ad illum, cuſtodientibus Angelis, peruenire non potuit. Vnde in-*

Digitized by Google

de in craſtinum compuncta, ad pedes eius prouoluitur, & quod cogitauerat, crimen fatetur.

De Ammo viro pio, qui vxoris conſenſu, monaſticam vitam profeſſus eſt, refert Socrates, *cum flumen ei tranſeundum eſſet, & ipſe caſtitatis amore, veſtes exuere, & corpus nudare nollet, ad Deum orauit, vt ſine corporis nudatione, tranſire daretur. Ecce in momento praſto ſunt Angeli, qui eum manibus ſuis, ad alteram fluminis ripam, tranſtulerunt.* tàm promptè puriſsimi Spiritus illi, puritatis amatoribus, famulantur. Sancta Cæcilia in hæc verba, de Angelo ſuo Cuſtode, locuta legitur: *Habeo Cuſtodem corporis mei, Angelum Domini, qui nimio zelo, cuſtodit corpus meum.* Narratur de Theophila Virgine, à ſancto Baſilio, & Cæſare Baronio, quod *appropinquantibus, vt eam polluerent, impijs Maximiniani miniſtris, ſubitò apparuit defenſor Angelus, incredendæ pulchritudinis, & ſplendoris, ita vt ex oculis illius viuæ flammæ, quaſi totidem ignita iacula euolarent; quod vtique terribile ſpectaculum, cum impij ſatellites perferre non poſſent, intactam Virginem, capeſſentes fugam, reliquerunt; quam Angelus ad Eccleſiam reduxit.* Haud diſsimile beneficium ſancta Dionyſia Virgo, ab Angelis tutelaribus accepit: *Cum enim coram Decio Imperatore, in Ciuitate Troade, eos qui in gratiam Imperatoris, à fide Chriſtiana defecerant, graui oratione redarguiſſet, iratus Imperator, Proconſuli eam, omni contumeliarum genere, exagitandam, tradidit & conſignauit, qui Imperatoris iuſſa executurus, duobus iuuenibus corrumpendam, exponit. Hi cum tota nocte, pudicitiam eius, nefandis auſibus impugnaſſent, nec tamen expugnare voluiſſent, viderunt Virgini aſsiſtentem Angelum ſplendidiſsimo habitu, flammantibus, & totam domum illuminantibus oculis, vultu minaci, ſi Virgini vim inferrent. Timore itaque correpti, ad virginis pedes ceciderunt, rogantes, vt pro illis intercederet, ne quid eis mali contingeret.* Sic ſancta Ermelindis Virgo, cum relicta paterna domo, & cognatis, Virginitatem ſuam Deo vouiſſet, & in locum veniſſet, vbi duo Adoleſcentes, eam rapere & violare decreuerant, vocem audiuit Angelicam: *Recede ab hoc loco, Virgo, recede, & virginitatem, quam Deo conſecraſti, immaculatam cuſtodi. Cumque viam ingreſſa eſſet, apparuit ei Angelus Domini, monuitque vt pergeret, & locum, vbi ſecurius Deo ſeruiret, ei denominauit.*

[*II. Manibus ſuis famulantur Ammo. — Lib 4. hiſt. Eccleſ. c. 23. — III. S. Cæcilia. — Sim. Metaphraſt. in vita. — IV. S. Theophila — Bar Tom. 2. — S. Baſilius de virginitate. — V. S. Dionyſia Virgo. — Vincent. Belouacenſis. lib. 11. Spec. cap. 46. — VI. S. Ermelindis. — In eius vita apud Sur. Tom. 4.*]

Sanctus Amator Epiſcopus Altiſiodorenſis, à parentibus coactus, vt vxorem duceret, ei perſuaſit vt Virginitatem Deo voueret; quod vbi illa feciſſet, adfuit de cælo Angelus, qui vtrique coronam ferebat, hortabaturque, vt in eo propoſito perſeuerarent. Ita illa virginum collegio adiuncta, ipſe ſacris initiatus; inter Eccleſiæ Miniſtros degit, tanta cum laude, vt poſtea Epiſcopus miraculis illuſtra-

[*VII. S. Amator. — Petrus de Natalibus. lib. 4. c. 113.*]

Digitized by Google

VIII. S. Maria Ogniacenſis. Iacobus de Vitriaco apud Sur. To. 3. Marul. li. 4. cap. 6.

retur, & defuncti anima in cælum, columbæ ſpecie, prouolare ſit viſa; aqua verò illa quæ defuncti cadauer attigerat, paraliticus fuerit curatus. S. Maria Ogniacenſis, duodecim annos nata, contra voluntatem, Matrimonij vinculo à parentibus irretitur; ipſa tamen, religionis rigori addicta, à marito facultatem ſibi, continentis vita fieri, petijt, & impetrauit, claruitque viua miraculis, & iam moritura, Chriſtum cum Angelico comitatu præſentem, Beatam etiam virginem, in cælos ductricem habere promeruit, quod Angelis in vita ſimilis effici conata fuiſſet. Sic ecce diliguntur, ſic honorantur ab Angelis, caſtitatis & virginitatis amatores.

IX. Iuliani & Baſiliſſæ hiſtoria inſignis. E Simeone Metaphraſte Aloyſius Lippomanus To. 7. in vita S. Iuliani & Baſiliſſæ.

1. Angelus ſuadet vt ducat vxorē quæ cū ipſo in virginitate per mãſura eſſet.

2. Celebrat nuptias cum Baſiliſſa.

3. Angeli vtriusq; cuſtodes præſentes in cubiculo.

Non me contineo dilecti, quin ad honorem & laudem, immaculatæ ac virgineæ puritatis pulcherrimam hiſtoriam recenſeam, quam ad longum deſcribit, Simeon Metaphraſtes: *Cum S. Iulianus, multum vrgeretur à parentibus vt vxorem duceret, per quam & genus ſuum conſeruaret, & adoleſcentiæ lapſus euaderet, orationi ſe dedit, auxilium petens à Domino, ne virginitatem promiſſam, aliqua oratione violaret. Apparuit autem ei Angelus Domini, dicens: Iuliane, ſurge, & Parentum voluntatem perfice; Accipies quidem coniugem, non quæ te polluendo, à Domino ſeparet, ſed quæ tecum Virgo perſeueret. Et ego te non deſeram, ſed in omni neceſſitate, fideli aſſiſtentia tuebor. Diſparet Angelus, cuius nuncio mirificè exhilaratus Iulianus, parentes etiam lætificant: ſicut, inquit, deſideraſtis, ecce ſic facio. Quæritur ergò puella, diuitijs, nobilitate atque decore præſtantiſſima, nomine Baſiliſſa, quæ & ipſa ſuorum, vnica erat filia, Parentum. Venit ergò dies, quo vicini inuitantur ad nuptias. Plateæ & habitacula, aulæis ſericis ornantur, & aures omnium, ſonis Muſicorum, & cantilenis Virginum oblectantur, ita vt ſi homo etiam ferreus eſſet, in luxuriam ſolueretur. Producitur adhæc, onerata gemmis, & auro, ſponſa de thalamo. Ingreditur iuuenis, cum Virgine, cubiculum, vbi vterque ſuum Angelum, feſtiuiſſimo habitu, iucundiſſimaque ſpecie, præſentem cernunt. Facta igitur à Iuliano, & Baſiliſſa oratione, tàm ſuaui odore, cella repleta eſt, vt viderentur ſibi, in tali loco, conſtituti eſſe, vbi vernant lilia & roſæ, omnium odoramentorum aromatumque vapores, exhalantur. Et ait Baſiliſſa ad Iulianum: Miram rem ſentio; cum enim hyemis tempus ſit, ita mihi omnium roſarum, liliorum, & aromatum odor famulatur, vt his ſatiata, iam omnem deinceps, thori coniunctionem, exhorreſcam. Cui Iulianus: Odor qui tibi apparet, ab Angelis ſpargitur, Domini iuſſu, qui eſt amator Caſtitatis, & integritatem corporum ſeruantibus, vitam repromiſit æternam. Ait igitur illa: Quæ melior, ô Iuliane, ſalus eſt, quàm integritatem cuſtodiendo, vitam æternam acquirere? Opto igitur, vt pariter, in eo virginitatis propoſito perſeueremus. Tunc procidens Iulianus, in faciem, ait: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

4. Vterque vouet caſtitatem.

Quam

Quam orationem, ſimiliter & Baſiliſſa perſoluit. Et ſubito fundamenta cubiculi, commota ſunt, & lux immenſa emicuit, ſitque ibi ſpectaculum mirabile, ſed iucundiſſimum aſpectu: Nam ex hac vna parte, in medio multitudinis candidatorum Angelorum, omniumque Sanctorum, ſedebat Rex Æternus, Dominus I E S V S; *ex alia parte, in media multitudine virginum, glorioſiſſima virginum Regina, tenebat principatum. A parte Regis, clamabatur: Viciſti Iuliane, viciſti: A parte Virginis clamabatur: Beata es Baſiliſſa, quæ ſalutaribus monitis Iuliani, conſenſiſti: Et oſtenſus eſt Iuliano aureus liber, vt legeret, & legit ſic: Iulianus, qui pro amore meo, mundum contempſit, deputetur in eorum numerum, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Baſiliſſa verò, quæ et integro corde ſociata eſt, deputetur in numero Virginum, quarum Virgo* M A R I A, *tenet principatum. Et dicebant omnes, Amen. Cumque totus ille cæleſtis aulæ ſplendor, in cælos, vnde nunquam diſceſſerat, rediiſſet, Sponſi Virginales, totam noctem, in diuinis laudibus tranſegerunt.* hæc omnia ex Simeone Metaphraſte, Aloyſius Lippomanus, vt alia plurima, quæ apud ipſos legi poſſunt, omittam. Hîc aures arrigite, hîc mentium oculos reſerate, quotquot virginalis caſtimoniæ Zelo eſtis inflammati, & penſitate, quàm tenero vos affectu, ſancti Angeli proſequantur; quanta vobis in cælo præmia, inter Angelorum Choros, parata reſeruentur, & inæſtimabilem theſaurum, *quem in vaſis fictilibus portatis*, poſthac pluris facite, & Angelis veſtris tutelaribus, in omni vita, enixius commendate.

5. Chriſtus Dominus & Beatiſſima Virgo vtrig. apparent.

6. Liber aureus oſtenditur Iuliano.

Sed quid de illis, qui virginitatis florem, ex humana fragilitate amiſerunt, prioris vitæ maculas, acri pœnitentiæ lixiuio, & contritionis ſmigmate, iam Chriſti ſanguine eluerunt? An illos Angeli ſancti, ab amore ſuo, penitus excludunt? an illos fauoribus ſuis, nunquam dignantur? an æquioribus oculis, nunquam aſpiciunt? an conſueta, beneuolentiæ ſuæ, ſubſidia ſubtrahunt? An eorum conuerſationem, familiaritemque defugiunt? Abſit, hanc eis duritiem, & inclementiam affingere, licet ſint, ſummi Caſtitatis, & puritatis amatores. Non curant præterita, nec eos remorantur, prioris vitæ maculæ, ſeria pœnitentia, per Chriſti ſanguinem dilutæ. Quot abſequia *S. Mariæ Magdalena*, in montis ſpelunca, poſt Chriſti in cælos aſcenſum, vt ipſa poſtmodum, Eliæ Monacho Dominicano, reuelauit, haud procul Marſilia, Deo ſeruienti, quot inquam, obſequia detulerunt? Quoties eam *Archangelus Michael, ab importuniſſimi Dæmonis tentationibus eripuit?* Annon, *cum in horribiliſſimi Draconis forma, eam deglutire moliretur, adfuit, eam defendit, & Draconem compeſcuit?* Annon *Dæmonum Choros, eius, quem tenebat, vitæ rigorem, diſſuadentes, in fugam compulit & abegit?* Annon *crucem, in ore ſpeluncæ erexit,*

IV. Pœnitentes poſt lapſum carnis, non contemnentur ab Angelis.

1. S. Maria Magdalena. Ludou. Granat. Serm. 1. De Maria Magdalena ex Sylueſtro Prierate & relationes, Eliæ Monachi Dominicani. Bredenb lib. 4. cap. 2.

erexit, dicens: *Caue ne extimeſcas inpoſterum: Cuſtos tui eſt altiſſimus?* Annon corám cruce orantem, *læta & iubilans, Angelorum turba ſæpius circumſtetit, vt æterna gaudia, in antro illo, ſe perſentiſcere crederet?* Audi, obſecro, ipſammet, paucis de ſe confitentem: *Ad crucem tandem iterum repoſita, Angelus dixit: Quanto tempore, tuus ac noſter amor IESVS, in terris, propter te vixit, tanto tu quoque in hac ſpelunca, moraberis. Steti igitur, eo diſparente, ad crucem, orans, & Chriſtum ſalutem meam, contemplabar. Omni autem euoluto die, Angelorum adfuêre militiæ, & me tàm ſublimem, in aëra ſuſtulerunt, vt cæleſtes audiuerim reſonare melodias, quod abinde citra ſepties, ſemper intra diem & noctem, fecerunt.* Quod ſi ſancti Angeli, tot & tàm luculenta obſequia, ſpeculo pœnitentium peccatorum, exhibuerunt; ne dubitet, qui ſecutus eſt *Mariam labentem*, viciſsimque ſequitur *pœnitentem*, & criminum maculas, calentibus lachrymis deplorantem, Angelorum beneficentia, non minus, ac ſi nunquam aberraſſet, in omni vita, ſe potiturum.

II. S. Maria Ægyptiaca. Concil Nicænum II. Petrus Caniſ. lib. 5. Marial cap. 20. Paulus Diac. & alij.

Vlterioris fiduciæ ac fidei ergò, addo Mariam Ægyptiacam, & ipſam infamem peccatricem, priuſquam ſingulari B.mæ Virginis ope ac Patrocinio, ad pœnitentiam conuerteretur: Hanc enim, cum in ſolitudine Paleſtinæ omnibus incognita, ſolo Zoſimo Abbate conſcio, duriſsimam pœnitentiam ageret, *ſancti Angeli, quotidie ſepties, in aëre, ſublimem extulerunt, vt Angelicas laudes, & harmoniam cæleſtium ciuium, ſingulari, animæ ſuæ, ſolatio, audiret: Hunc vitæ curſum,* inquit Caniſius: *ad annos vſque quadraginta, tenuit, & abſoluit omnium ferè tentationum, & Diabolicarum inſeſtationum, acerrimis, vexata ſpinis, vt impuris, & viris & feminis, ſi ad emendatiorem viuendi diſciplinam, adſpirent, pœnitentiæ ſpeculum, præbeat & Exemplar, digna etiam, quæcum Magdalena Euangelica, Peccatrice, ab omni Eccleſia, feſto proprio, quotannis decoretur.*

III Officiũ Eccleſiæ ex Simeon Metaphraſte.

Sic Aglae Nobili Matronæ Romanæ, cum de carnalibus peccatis, iam diu pœnituiſſet, dignoſq; pœnitentiæ fructus egiſſet, Angelus apparens, conſolatus eſt eam, & aduentum Reliquiarum S Bonafacij, Martyrio iam conſummati, ſignificauit.

IV. S. Nicetas Martyr. S. Hieron in vitaS. Pauli pr.mi Eremitæ cap 3. Baron. To 3. Ann 253. Niceph. li 7. cap 13.

Ponderate, obſecro, dilecti mei, quàm Deo & Angelis eius grata ſit Continentia, quam iucunda, carnis victoria, per quam homines Angelis aſsimilantur, & ad eorum conſortia aſſumuntur.

Non miror itaque, iuuenem quendam re & nomine Nicetam & Victorem pro cõſeruanda caſtimonia referente S. Hieronymo, facinus, ab omni ſæculo, inauditum, deſignaſſe, cum Decij perſecutio, in Chriſti membra deſæuiret: *Alium*, inquit, *iuuenili ætate florentem, in amæniſſimos hortulos præcepit abduci, ibique inter candentia lilia, & rubentes roſas,* cum

cum leni murmure aquarum, iuxta ſerperet riuus, & molli ſibilo, arborum folia, ventus præſtringeret, ſub extructum plumis lectum, reſupinari iuſſit. Et ne ſe inde poſſet excutere, blandis ſerico nexibus irretitum, reliquit. Quò, cum recedentibus omnibus, meretrix ſpecioſa veniſſet, cœpit delicatis colla ſtringere complexibus, vt corpore in libidinem concitato, ſe victrix impudica ſuperiaceret. Quid ageret miles Christi, & quò ſe conferret, neſciebat. Quem tormenta non vicerant, ſuperaret voluptas? Tandem cælitus inſpiratus, præciſam morſu linguam, in oſculantis ſe faciem expuit, & ſic libidinis ſenſum, ſuccedens doloris magnitudo, ſuperauit. O factum, omnibus retrò ſæculis inuſitatum: O rem, omnibus poſt ſæculis obſtupeſcendam. O periculoſiſſimam pugnam; at multò illuſtriorem victoriam.

Aſſiſtite nobis, ô ſancti Angeli, præſidio veſtro, nos ſubleuate, ſi quando & nobis cum hoc domeſtico & quotidiano hoſte, confligendum. *Infirmitatem* noſtram roborate, *imbecillitatem* ſuffulcite, *lubricitatem* conſtabilite, arma ſubminiſtrate, vires augete, nobiſcum pugnate, id vnicum elaborate, vt nos penes, victoria ſubſiſtat, & hoſtis continentiæ confundatur, & erubeſcat in ſæcula ſæculorum. Amen.

SERMO XIII.

Complura beneficia corporalia, quæ ab Angelo Cuſtode ſolent exhiberi. I. Matrimonia ſecundant & fœcundant. II. Famelicos & ſitibundos cibant & potant. III. Solantur ægros. IV. Itinerum pericula propulſant.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris. Matth. 18.

OMnipotens ille, & liberaliſsimus omnium bonorum dator Deus, non contentus cælum, terram, ſolem, lunam, ſtellas, totumque firmamentum, aërem, ignem, aquam, & omnia quę ex quatuor Elementis compoſita ſunt, immò quę terræ ambitu continentur, hominis cauſa creaſſe, *oues & boues, inſuper & pecora campi, volucres cæli & piſces maris,* omnia metalla auri & argenti, gemmas lapideſq; precioſos, pedibus eius ſubieciſſe, longè adhuc præſtantiori beneficio, eum voluit afficere & exornare, cum Angelicam Creaturam, humana Natura multis paraſangis præſtantiorem, & incomparabiliter, quoad ſubſtantiam, Nobiliorem, ad hominis ſeruitium, cuſtodiam atque tutelam, deputauit:

Pſal. 8.

Immenſitas beneficij Angelica Cuſtodia.

Digitized by Google

putauit: Vnde in Euangelio, de ſingulis, etiam infimi generis, ac ſtatus, hominibus, qui à potentioribus opprimi & ſcandalizari poſſunt, affirmat: *Videte ne contemnatis vnum de puſillis iſtis; quia Angeli eorum, ſemper vident faciem Patris mei, qui eſt in cælis.* Angeli, inquam, quorum cuſtodiæ atque tutelæ ſunt commendati, ſemper ſunt in cælo, & contemplantur Eſſentiam Diuinam, & nihilominus Clientibus ſuis in terra cohabitant, & aſſiſtunt, eoſque in omni neceſſitate occurrente, defendunt.

Math. 18.

Quamobrem cum *Ill.mus & Reu.mus Princeps noſter*, ſancti Angeli Cuſtodis Feſtum, iam pridem ab Apoſtolica ſede inſtitutum, totoq; orbe Chriſtiano vnanimi conſenſu acceptatum, ſingulis inpoſterũ annis, *prima Dominica Octobris*, ſumma cum pietate ac deuotione celebrari præceperit, æquum eſt, vt de beneficijs eius corporalibus, quæ omni hora & momento, toto vitæ noſtrę tempore, à ſanctis Angelis noſtris accipimus, aliquid in medium afferamus, indeq; condiſcamus, ad quantam animi grati viciſſitudinem, erga tantam eorum beneficentiam obligemur. Vos ô S. Angeli, Cuſtodes, nobis aſſiſtite, & gratiam recognoſcendi tot tamq; eximia beneficia veſtra à Diuina Maieſtate, precibus veſtris impetrate.

I. Beneficia Corporalia dum Matrimonia ſecundant & fecundant.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris. Summæ gratiæ, & incomparabilis beneficij nomen ac vicem obtineret, ſi Imperator, Rex aut Princeps, non quoſuis ex Aulico famulitio, ſeruos, ſed ſummæ dignitatis Satrapas, aut Principes viros, ad alicuius ſeruitia & obſequia deſtinaret: Quantum igitur, ô Deus Creator, tu nobis fauorem, quantamque clementiam exhibuiſti, cum Beatiſſimos illos Cæli Principes, ſanctos Angelos tuos, ad noſtram cuſtodiam deſignaſti, & vt nobis in quauis neceſſitate inſeruiant, in omni aduerſo caſu, nos protegant, præcepiſti? Agnoſce, ô miſer homo, vilis terræ vermicule, agnoſce incomparabile iſtud beneficium, quod Regius vates, magnificentiſſimis verbis exaggerat: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis: In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum: Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* O admiranda tua benignitas! O ineffabilis dignatio tua, potentiſſimè, hominum & Angelorum Creator! Tu enim, *qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignẽ vrentem*, conſtituiſti nihilominus & ordinaſti, vt ijdem Miniſtri tui *ſint adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Vix naſcimur in hanc miſeriarum vallem, & mille pericula, nos vndique circumſtant, quæ niſi cuſtos Angelus prouida manu propulſaret, primus noſter Spiritus, quem ducimus, vltimus quoq; non rarò futurus eſſet.

Dei ſumma erga nos clementia.

Exaggeratio beneficij Angelicæ Cuſtodia.

Pſal. 90.

Hebr. 1.

eſſet. Quot in ætate infantili, morborum nos inuadunt agmina? his me-
dicam manum adhibet, non ſecus ac cæcis oculis Senioris Tobiæ. Quot *Tob. 11.*
in pueritia periculoſi caſus? hic Angelus cuſtos ſupponit manum ſuam,
ne collidamur. Vnica hæc ei cura videtur, *vt gaudium nobis ſit ſemper*; vt *Pſal. 36.*
nos veluti iuniorem Tobiam *ſaluos ducat*, ex vtero matris, per huius vitæ *Tob. 5.*
anfractus, *ac* ſoſpites in cælum *reducat*. Quid ni optimo iure cum S. Cæ-
cilia, quod ipſa Valeriano Sponſo ſuo, manifeſtabat, dicere valeamus:
Angelum habeo Amatorem, qui nimio Zelo, cuſtodit corpus meum, ne quid aduerſi *In eius vita.*
mihi contingat, *ne vnquam ad lapidem pedes meos offendam.*

Hūc venite, ad S. Angeli Cuſtodis patrocinium properate, *Iuuenes &* *I. Matrimo-*
iuuenculæ, qui matrimonium felix, & à Deo benedictum inire deſideratis; *nium con-*
Adeſte coniugati, qui prolem piam, ſanctam, Deoque gratam, à Deo *tracturis be-*
impetrare & piè Chriſtianeque cupitis educare, à qua non dedecus & *nè conſulunt*
ignominiam, ſed honorem & gloriam expectare habeatis. Quis hæc om- *& aſſiſtunt.*
nia vobis melius, quàm S. Angelus Cuſtos, procurabit? Vos iuuenes vxo- *1. Qui nam*
raturientes, vos puellæ nupturientes, vos Parentes, qui filios & filias ve- *pronubi ad-*
ſtras, in Matrimonio collocare propoſuiſtis, noſſe auetis, quem nam Pro- *hibendi.*
nubūm, quem Paranymphum, aut Mediatorem adhibere debeatis? Ve-
tulas meretrices, & meretricum receptatrices, Lamias, ac Diabolicas in-
cantatrices? abſit abſit: Angelos Cuſtodes veſtros, & liberorum veſtrorū,
Tutelares Spiritus, arbitros & interpoſitores veſtros, adhibetote, & im-
penſiſsimè obſecrate, vt de tali ſponſo aut ſponſa, filijs & filiabus veſtris
prouideant, quorū alter, alterius, conditioni & affectui, Dei benedictio-
ne, cælitus cōmunicata, reſpōdeat. Hoc vos docet, & erudit S. Patriarcha *2. Exemplū*
Abrahā, qui cum ſeruum domus ſuæ Seniorē, Eliezer nomine, ſibi aliàs *Abraham*
fideliſsimū, ad quærendam filio ſuo Iſaac dignam vxorē, eſſet in alienam *Patriarchæ.*
Regionem miſſurus, de tali, inter Ethnicos & Idololatras, cognatos heri *Gen. 24.*
ſui, inuenienda, deſperantem, hiſce verbis conſolatus eſt: *Non eſt quod an-*
garis animo: Nam Deus qui eripuit me, de multis malis, ipſe mittet Angelum ſuum,
& accipies vxorem filio meo. Vnde tibi fiducia iſta, ſanctiſsime Patriarcha,
erga tuum, & Filij tui Cuſtodem Angelum? Negotiū iſtud tàm arduum,
haud dubiè Angelis Tutelaribus, in tuis orationibus impenſius cōmen-
dâras & in eius dexteritate, ſpem tuam omnem collocâras; nec te fefellit
rerum euentus: Capeſsite & vos parentes idem cōſilium, in matrimonijs *II. Matri-*
contrahendis per preces & pia vota, S. Angelum Cuſtodem conducite, *monio iam*
præ alijs adhibete, & matrimonia veſtra, feliciſsimū euentū, ſortientur. *contracto,*

Vos *noui coniuges ac Neonymphi*, vultis matrimonium, ōmni benedi- *quid à S. An-*
ctione, in mutua animorum concordia, vt duo quaſi vnum cor viuatis, *gelo cuſtode*
abundatiſsimè cumulatū? Angelos veſtros Cuſtodes iterum mediatores *vlterius pe-*
tendum.

 accipite,

Digitized by Google

accipite, eos rogate, vt Aſmodæum Diabolum, omnis libidinis, ſcopo matrimonij, & generationi prolis repugnantis, fœditatem, à vobis eliminet, & à thoro veſtro iugali auertat: Sic voti compotes euadetis: Exemplo ſit vobis *Sara* Raguelis filia, in Rages Ciuitate Medorum degens, in cuius complexu Dæmon Aſmodæus, ſeptem viros, prima nuptiarum nocte, interfecit, & ſtrangulauit. qua de cauſſa? Raphaelem Archangelum audi: *Quia ita libidini obſequebantur, vt Deum prorſus à mente ſua excluderent.* Et ſubiungit ibidem, inſtruens etiam, quo affectu, matrimonio vti deberet: *Tu autem cum acceperis eam, per tres dies continens eſto, ab ea, & nihil aliud, niſi orationibus vacabis cum ea, atque hac ratione, fugabitur Dæmonium, & benedictionem conſequeris, vt filij ex vobis incolumes procreentur.* Sanctificate ſimiliter Matrimonium veſtrum, omnem inconceſſam libidinem fugite & euitate, nil aliud quàm prolis generationem, & incontinentiæ medicinam intendite, & ſimilem vobis benedictionem, per ſanctos Angelos, Cuſtodes & Tutelares veſtros, Matrimonij fundator, Deus elargietur.

I. Exemplũ Sara. Tob. 6.

Vnde prouenit, obſecro, quod in hac ciuitate (quod rariſsimè alibi auditur) tot infeliciſsima matrimonia, inueniantur, in quibus, nil, niſi iurgia, iniuriæ, & contumeliæ, nil, niſi verbera, nil niſi zelotypiæ, ſuſpiciones, accuſationes, coram Magiſtratu, audiantur? in promptu cauſſa eſt: Non Angelum Cuſtodem, ſed Venerem & Libidinem habent, pro matrimonij fundatore, & vel ante Sacramentum & Eccleſiæ benedictionem, fornicati ſunt, vel adhuc in vſu matrimonij, cum ſeptem Saræ viris, ſic ſe gerunt, *ſicut Equus & Mulus, in quibus non eſt intellectus*, vt Deum prorſus à mente ſua excludant.

2. Vnde tot infelicia matrimonia in hac Ciuitate.

Pſal. 31.

Vos *coniugati*, qui in matrimonio ſteriles vixiſtis, & eius finem primarium, id eſt prolem, non eſtis conſecuti, nunquid vobis poſteros optatis, per quos compleatur numerus Electorum? Et in hoc beneficij genere, Cuſtodem Angelum, beneuolum licebit experiri: Sic enim vxori Manue, ſterilitatem ſuam lamentanti, apparuit Angelus, eique dixit: *Sterilis es & abſque liberis, ſed concipies & paries Filium.* Sic Angelus Domini apparuit Zachariæ, & filium Ioannem, ex vtero matris, gratia Dei replendum, ex Eliſabetha vxore ſterili, ei naſciturum prædixit. Sic Angelus Domini, apparuit S. Ioachimo, & Filiam MARIAM, Dei Matrem, ipſum cum Anna vxore ſterili, ſuſcepturum prænunciauit.

III. Steriles in matrimonio.

Iudic 13. Luc. 1. S. Ioan. Damaſc. lib. 4. Fidei orthodoxæ, cap 15. Et S. Epiph. hæreſi. 78. S German. in Encomio Deiparæ.

Vultis denique, vt Filij, quos diuina benedictione ſuſcepiſtis, ingenuè, piè ac virtuosè educentur? In hoc etiam beneficum Angelum Cuſtodem experiemini, ſi conſilium eius efflagitaueritis: Sic enim Manue Angelum, cum ei ſimiliter, quemadmodum vxori apparuiſſet, interrogauit: *Quando ſermo tuus fuerit expletus, quid vis vt faciat puer? aut à quo ſe*

IV. Educatio pia liberorũ. Iudic. 13.

obſeruare

obſeruare debebit? quaſi diceret: Tu me inſtrue, tu me doce, ô ſancte Angele, quomodo eum educare debeam, vt is olim fiat, quem tu futurum prædixiſti; id eſt Iſraelitici populi liberator. Conſulito te & vos, ô parentes, per quotidianas preces, veſtros & filiorum veſtrorum Cuſtodes Angelos, & eorum educationem illis enixè commendate, & mihi tutò credite, nunquam vobis eueniet, quod Heli Sacerdoti, filios ſuos omninò negligenti: *1.Regum 2.* Sancta Amelberga cum S. Gudilam vtero geſtaret, & ante paucos puerperij dies, inſtar parturientium angeretur, Angelica conſolatione recreata eſt, dicente Angelo ad ipſam: *Surius Tom. 4 in vita. 10.Iulij.* *Ne timeas Amelberga, Lachrymæ tuæ & preces & Eleemoſynæ aſcenderunt ad Dominum: Paries filiam Deo dilectam, ſummæ continentiæ & Caſtitatis, integritate conſpicuam, quæ omnibus vitæ ſuæ diebus, gratum Deo exhibebit famulatum. Eam vbi nata fuerit, Gertrudi offeres, è ſalutari lauacro ſuſcipiendam, & in Chriſto, lacte verbi Dei enutriendam. Tu autem, cum marito tuo, mutatis veſtibus, & Monaſtico ſumpto habitu, ambo voſmetipſos, ſanctas Deo hoſtias immolabitis, & in ſancta conuerſatione, perdurabitis, vſque in finem.* Hæc Angelus ad ſanctam Amelbergam, de filiæ, quam paritura erat, pia educatione. Ecce quàm Angelus Cuſtos, *qui ſemper videt faciem Patris*, ſit paratus, ſit promptus, ad Matrimonia veſtra, omni proſperitate cumulanda.

V. Angeli indignantur parentibus piam liberum educationem negligentibus. Vnum denique addo pro parentibus, qui piam educationem liberorum, omninò negligunt: Illi ſanè ſummam Angeli Cuſtodis indignationem incurrunt: Nam ſi Angelus Domini, Moyſi, cum in Ægyptum mitteretur, à Domino Deo, vt populum educeret, è duriſſima, quam patiebatur, ſeruitute, obuiam factus, voluit eum occidere (tantum ideò, quia filiolum, ex filia Iethro Sephora vxore ſua genitum, necdum circumcidiſſet) ni Sephora, acutiſſima petra, illicò arrepta, eum circumcidiſſet: *Exod.4.* quantam ſanctorum Angelorum indignationem incurrent parentes, qui liberos ſuos, in omni impietate, & ignorantia rerum Diuinarum, adoleſcere ſinunt? qui nec ad ſacrum diebus feſtis, neque ad doctrinam Chriſtianam, eos compellunt? Rectè de talibus iudicas S Apoſtole Paule: *1.Tim.5.* *Qui ſuorum, & maximè Domeſticorum, curam non habet, infidelis eſt, & infideli deterior.* Curam ergo liberorum veſtrorum gerite, quia *Angeli eorum, ſemper vident faciem Patris.*

II. Sedat famem & ſitim.

I. Exempla Scripturæ. Dicite mihi, obſecro, eſt ne corporea neceſſitas aliqua, cui ſancti Angeli, præſentem opem & auxilium tempore ſuo, non impenderint? Sitis & fames te premit? Ecce Angelus Domini, fontem limpidiſſimum *Agar ancillæ Abraham*, in deſerto oſtendit, vnde ſitientem filium Iſmaelem, ſiti peribundum & viribus exhauſtum, refocillans, in vita ſeruauit. *Gen.21.* Fame confecto, & murmuranti *populo Iſraelitico*, in deſerto Angeli, veluti *Exod 15. Pſal. 77.*

Digitized by Google

In cap.17. Exod. mel apes, ita Manna in aëre conficiebant, & populo cum rore, vt rectiſſimè notat Salianus, deſuper emittebant, atque ita, teſte Propheta: *Panem, Angelorum* manibus confectum, *manducauit homo*. Sic Angelus Domini, *Eliam*, fame ſitiq; in deſerto, ad extrema redactum, pane ſubcinericio, & aquæ hauſtu refecit: Sic Angelus Cuſtos *Danieli* in lacu leonum, per Prophetam Abacuc, prandium apportauit.

3. Reg. 19. Dan. 13.

II. Hiſtoria. 1. S. Paulus primus Eremita. S. Athanaſius in vita S. Antonij. Sic Angelus Cuſtos, *S. Paulo primo Eremitæ*, ſicut olim Eliæ, per coruos panem & carnes bis quotidie afferri præcepit, in deſerto Ægypti, plurimis annis, per coruum quotidie dimidium panem, ſine dubio, Angelica manu paratum tranſmiſit, eumque vſque ad extremam ſenectam, ſuſtentauit. Sic duos ex ordine S. Dominici, fratres, in longo itinere, fame confectos, apparens Angelus, conſolatus eſt, prædicens, in vicinia eis occurſuros, qui eos refectione ſufficienti, eſſent releuaturi. Sic duobus alijs è ſocietate Patribus, per arenoſas Inſularum Philippinarum ſolitudines, ſub æſtu nimio, propemodum ſiti & fame enectis, cum ſe per preces, Diuinæ prouidentiæ commendaſſent, in medio ſterili & arenoſo ſolo, in forma humaniſſimi cuiuſdam Indi, Angelus Domini apparuit, exhibens optimos illius terræ fructus, cumque ſe quam largiſſimè ſatiaſſent, & abirent, retroſpicientes, eum non amplius viderunt, & Angelum fuiſſe intellexerunt.

2. Duo ex ordine S. Dominici, Thom. Cantiprat. lib. 2. Apum, cap. 45. p. 11. 3. Duo è ſocietate Patres. Ex lit. Inſul. Phil. Ann. 1591.

III. Abbas Hellen ab Angelo paſcitur. Ruffinus. li. 2. c. 11 apud Herib. Roſvveid. lib. 8. ca. 59. Quàm promptè demum Angeli ſancti, in corporalibus etiam neceſsitatibus quibuſcunq; hominibus miniſtrent, hiſtoriam accipite, de admirandę ſanctitatis viro, Abbate Hellene, multis prodigijs claro: *Quidam autem alius Pater*, inquit, *qui vocabatur Abbas Hellen, cum ab ineunte ætate ſe fortiter exercuiſſet, ſæpenumero ignem geſtabat in ſinu, incitans eos, qui propè erant, fratres, ad oſtendenda ſigna, dicens eis: Si vos verè exercetis, virtutis ſigna, de cætero oſtendite: Aliquando autem, cum per ſe eſſet in ſolitudine, inceſsit eum mellis deſiderium, cum verò illicò fauos inueniſſet ſub petra, dixit: Recede à me, intemperans cupiditas; ſcriptum eſt enim, Spiritu ambulate, & deſiderium carnis non perficietis, eiq; relictis abijt. Cum autem iam tres hebdomodas ieiunaſſet, in ſolitudine, inuentis, qui diſiecti erant, fructibus, dixit: Non comedam, neque attingam aliquid ex ijs, ne fratrem meum ſcandalizem, nempe animam meam. Scriptum eſt enim: Non in alimento ſolùm viuit homo. Cum autem adhuc aliam ieiunaſſet hebdomadem, poſtea dormitauit, & veniens Angelus in ſomnis, dixit ei: Surge, & tolle ea, quæ inueniuntur, & comede. Is autem ſurrexit, & circumquaque aſpiciens, vidit fontem in orbem herbas delicatas germinaſſe. Cum autem & potum ſumpſiſſet, & comediſſet olera, affirmabat, nihil vnquam fuiſſe ſibi iucundius. Cũ paruam deniq; ſpeluncam in loco inueniſſet, manſit ibi paucos dies ieiunus. Vbi autem egebat alimento, orabat flexis genibus, ei autem protinus apponebantur eſculenta omnia, & panis*

Tentationibus fortiter reſiſtit. Galat. 5.

Cibatur ab Angelo non ſemel ſed ſæpius.

panis calidus, & oliuæ, & varij fructus. Aliquando autem inuiſit fratres ſuos, & cũ eos multùm monuiſſet, contendebat in deſertum, afferens quædam, ad vſum neceſſaria. Cum autem vidiſſet quoſdam onagros paſcentes, ait illis: In nomine Ieſu Chriſti, veniat vnus ex vobis, & ſuſcipiat onus meum. Is ergo ſtatim ad ipſum acceßit; Cumque ſuppellectilem ei impoſuiſſet, & ei inſediſſet, vno die peruenit ad ſpeluncam. In ſole verò, ab eo poſitis panibus, & fructibus, cum ad ea veniſſent feræ, vt ſolent ad fontem, & panes ſolum tetigiſſent, mortuæ ſunt. Acceßit enim aliquando ad quoſdam monachos, cum eſſet Dies Dominicus, & dixit eis: Cur hodie non egiſtis ſynaxin? Cum ij autem apertè dicerent: Eò quod non venit Presbyter. Dixit autem eis: Ego ibo & eum vocabo. Illi autem dixerunt: non poſſe aliquem tranſmittere alueum propter altitudinem. Quin etiam dicebant, eo in loco eſſe beluam maximam, nempe Crocodilum, qui multos homines conſumpſerat. Is autem non cunctatus, ſtatim ſurgens, profectus eſt ad vadum: quem cum belua ſtatim tergo excepiſſet, tranſmiſit. Cum autem in agro inueniſſet Presbyterum, rogauit ne deſpiceret fraternitatem. Ille porro eum videns, multis conſutis pannis oblitum, rogauit, vndenam pannum habuiſſet, dicens: Habes animæ veſtem pulcherrimam, ô frater; eiusq́; humilitatem & frugalitatem admiratus, eum ſecutus eſt abeuntem, ad fluuium. Cum autem, quà tranſueherentur, cymbam non inueniſſent, vocem emiſit Abbas Hellen, aduocans Crocodilum. Is itaque ſtatim ei obediens, aderat, tergum ſubſternens: rogauit autem Presbyterum, vt cũ eo aſcenderet; is verò timore affectus, cum vidiſſet beluam, retroceßit. Cum autẽ eum teneret admiratio, & eos qui tranſfluuium habitabant fratres, videntes eum cum belua tranſmittentem alueum, ille aſcendens in terram, vnà ſecum attraxit beluã, dicens: melius eſſet ei vt moreretur, quàm interemptarum animarum, quæreret ſupplicium. Ea autem cadens, protinus eſt mortua. Tres autẽ dies permanens apud fratres, ſedebat, docens eos præcepta, & quæ erant occulta, vniuſcuiuſq; conſilia, apertè enuntians: hunc quidem dicens vexari à fornicatione, illũ verò à vana gloria, alium à delitijs, alium ab ira, & alium quidẽ pronuntiabat eſſe mitem, alium verò pacificũ: illorum quidem vitia arguens, horũ verò virtutes commendans. Hæc autẽ audientes, mirabantur dicendo, reuera ita eſſe. Eis autẽ dixit: Parate nobis olera, hodie enim ad nos venient plures fratres. Cum illi autem adhuc pararent, ſuperuenientes fratres, ſe inuicem ſalutarunt. Rogauit inſuper eum quidam, ex fratribus, volens vnà cum eo degere, in deſerto: Eo autem dicente, non poſſe illum ſuſtinere tentationes Dæmonum, is contentioſus, ſe omnia toleraturum aſſeuerauit. Cum eum autem excepiſſet, iuſsit habitare in alia ſpelunca. Ad eum autẽ noctu aduentantes Dæmones, eum ſuffocare aggrediebantur, cum eum primùm turpibus perturbaſſent cogitationibus. Ille autẽ excurrens, renunciauit Abbati Helleni quæ euenerant. Ipſe verò cũ ei figurã crucis impreßiſſet, iuſsit eũ deinde manere ſecurè. Cum autẽ aliquando panes ei defeciſſent in ſpelunca, aduentans Angelus in figura fratris eius, attulit nutrimentum. Rurſum denique ipſum aliquan-

Bruta animalia obedunt ei.

Flumen traijcit inſidens dorſo Crocodili.

Denuo traijcit flumen inſidens Crocodilo, eumq́; illico mori & interire iubet.

Angelus alimenta eſurienti ſubminiſtrat.

Digitized by Google

aliquando quærentes fratres, decem numero, errabant per ſolitudinem, ſeptimo iam die ieiuni, permanentes: cum verò eos inueniſſet, iuſſit in ſpelunca reſici, illi verò eum victus admonuerunt. Ille qui nihil habebat, quod eis apponeret, dixit eis: Potens eſt Deus, menſam parare in deſerto. Statim autem quidam adoleſcens, pontone, ipſis orantibus, pulſauit fores. Cum autem aperuiſſet, viderunt adoleſcentem, habentem magnam ſportam panis & oliuarum. Iis autem ſuſceptis, comederunt, Deo agentes gratias, cum adoleſcens ſtatim euanuiſſet. Hæc & alia multa miracula, cum nobis narraſſet Pater Copres, nosq; benignè & humaniter tractaſſet, induxit in ſuum hortum, oſtendens nobis palmas, & alias arbores frugiferas, quas ipſe plantauit in ſolitudine, admonitus à fide ruſticorum, quibus dixit: Poteſt deſertum fructus producere, ijs qui fidem habent in Deum. Poſtquam enim vidit, vt aiebat, eos qui arenam ſeminauerant, & eorum agrum fructum tuliſſe, ipſe quoque idem eſt conſecutus. Mirabilis iſta, à fide digniſſimis authoribus conteſta hiſtoria, fidem adſtruit, S. Angelos, non raro, peculiaribus Dei ſeruis alimenta ſuppeditare.

Angelus in forma adoleſcentis affert panes.

III. Ægritudines fugat & dolores lenit.

I. Exempla ſcripturæ. 1. Tobias. Tobiæ 5. Tobiæ 12. 2. Piſcina probatica. Ioan. 5.

Morbus aliquis te premit? Dolor excruciat? Angelus Cuſtos, ſi Deo ſic placeat, ad maius bonum tuum, te facilè ſeruabit, & remedia ſanitatis non ſecus, atque cæco Tobiæ, Archangelus Raphael, prouidebit; Nam eum ſic ſolabatur: *forti animo eſto, quia in proximo eſt, vt cureris*: Et ita breui poſtea factum eſt. Et ſicut aquas piſcinæ Siloe certo tempore anni mouens Angelus Domini, eas ad quemcunque morbum ſanandum ſalutares efficiebat, vt deſcribit S. Ioannes Euangeliſta; Ita & Angelus tuus Cuſtos, Medicinis & alijs medijs, quibus vteris, ſi tibi ad ſalutem æternam conducant, occultam virtutem facilè poteſt ingenerare, vt optatæ valetudinis effectum infallibiliter aſſequaris. Sic S. Cuthbertum, adhuc puerum, tumore & contractura, grauiter decumbentem, Angelus in equo apparens ſanat. Sic cuidam nouitio, in ordine S. Dominici extremè laboranti morbo caduco, apparuit S. Raphael, aſſerens, ſi voueret, tota vita, ſe feria ſecunda in honore Angelorum ieiunare, ſaluatum iri. Vouit, & morbus illicò abſceſſit. Sic S. Rochum, Epidimiæ morbo laborantem, Angelus Cuſtos inungens, ab vlcere peſtifero & venenato liberauit. Sic in Eremo Ægypti, decumbenti cuidam Monacho ſolitario, Angelus Cuſtos, aliquot ſeptimanis, diligentiſſimè miniſtrauit, cumque ægrotus ab alijs Eremi incolis & confratribus inuiſeretur, Angelus illicò diſparuit; vnde illos ſic affatus eſt: *Abite amabo fratres, quia vobis ſuperuenientibus, Angelus meus Cuſtos, à quo viſibiliter præſente, omne obſequium hactenus habui, repente dilapſus eſt.* quibus verbis finitis, anima ægroti è corpore diſceſſit, ab Angelo Cuſtode, haud dubie, Deo Creatori reſtituta. Recenſet Franciſcus Albertinus; *In Prouincia Mexicana,*

II. Hiſtoria. 1. S. Cuthbertus Surius c. 1. Vita S. Cuthberti 2. Nouitius ex ord. S. Dominici Petrus de Natalib. lib. 4. Catalogi Sanctorum cap. 144. 3. S. Rochus. Sur. in eius vita. 4. Solitarius Ægyptios. Spec. Exempl diſt. 2.

in ſtr-

infirmo cuidam iuueni, metu mortis vehementer conſternato, pulcherrimum adoleſcentem apparuiſſe, immenſa luce coruſcantem, eique ad leniendam eius triſtitiam, montes aliquot, auro ac margaritis opertos, in quibus clariſſimis veſtibus ac vultibus, conſpicui homines, mutuis ſeſe applauſibus, inuicem recreabant. Cumque eo ſpectaculo mirificè recrearetur, Angelus Cuſtos ei dixit, hunc eſſe Paradiſum cæleſtem, & choros exultantium beatorum; qua viſione aſtantibus recitata, iuuenis regni cæleſtis deſiderio accenſus, nihil aliud quam mortem accelerari exoptauit. 5. Mexicanus ægrotans lib. de Angelo Cuſtode, cap. 11. ex Annal. Societ. Ieſu. Ann. 1587.

Commemoratæ viſioni haud immeritò ſubiungo, quod hortulano cuidam, inter Ægyptiacæ Eremi ſolitarios contigit: *Hortulanus quidam, omnem laborem ſuum, expendebat in Eleemoſynam, non plus ſibi retinens, quam ad victum ſufficeret: Poſtea verò Sathanas, immiſit in cor eius, dicens: Collige tibi aliquantam pecuniam, ne cum ſenueris, aut ægrotaueris, opus habeas, ad expenſas. Et collegit, & impleuit lagenam, de nummis. Contigit autem eum infirmari, & putreſieri pedem eius, & expendit quod collegerat, in medicos, & nihil ei potuit prodeſſe. Poſtea venit quidam de expertis medicis, ei dicens: Niſi inciderìs pedem tuum, totum Crus tuum putreſiet. Conſtituerunt ergo diem, vt id fieret. Illa autem nocte, rediit in ſemetipſum, & pœnitentiam agens de his, quæ geſſerat, ingemuit & fleuit dicens: Memor eſto Domine operum meorum priorum, quæ faciebam, cum laborauerem in horto meo, ex quo pauperibus miniſtrabam. Et cum hoc dixiſſet, ſtetit ante eum Angelus Domini, dicens: Vbi ſunt nummi quos collegiſti? Et vbi eſt ſpes de qua tractaſti? Tunc intelligens diffidentiam ſuam, Peccaui, inquit, Domine, ignoſce mihi, amodò non amplius faciam. Tunc Angelus tetigit pedem eius, & ſtatim ſanatus eſt; Et exurgens, abiit in agrum, & operatus eſt terram. Medico tandem ſuperueniente, vt ſectionem faceret, cum videret eum in agro operantem, ac terram fodientem, cum retuliſſet, quid ea nocte ſibi contigiſſet, vterque Dominum glorificauit.* hæc Ruffinus. 6. Hortulanus Solitarius. Heribertus Roſvveidus li. 5 de vitis Patrum nu. 21. libell. 6. Ex Ruffino li 3. cap. 28.

Felix ægrotus, quem talis ſanat medicus; feliciſſimus vulneratus, cui medelam adhibet cæleſtis Chirurgus. Et hoc beneficij genus, teſte Seuero Sulpitio, contigit Beato Martino Præſuli Turonenſi: Nam vt eius verbis vtar, *cum caſu quodam de cænaculo eſſet deuolutus, & per confragoſos ſcalarum gradus, decidens, multis vulneribus eſſet affectus, cum exanimis iaceret, in cellula, & immodicis doloribus cruciaretur, nocte ei Angelus viſus eſt, eluere vulnera, & ſalubri vnguento, contuſi corporis membra, contingere. Atque in poſtero die, reſtitutus eſt ſanitati, vt nihil vnquam incommodi pertuliſſe putaretur.* Noli dubitare, Angelus tuus Cuſtos, *qui ſemper videt faciem patris*, ſimilia tibi beneficia, in morborum moleſtijs, ſi te ipſi deuotè commendaueris, exhibebit. 7. S. Martinus. De vita S. Martini. lib. 1. cap. 24.

IV. Itinerũ pericula amouet.

Iter aliquod ſatis periculorum tibi eſt adeundum? Ecce tibi Angelum Cuſtodem, ad obſequia tua denuò paratum. Nam Angelus Cuſtos, Iſrahelitici populi, diuiſit eis mare rubrum, vrenti vento exicca- 1. Exempla ſcripturæ. Exod. 14.

3. Reg. 19.

rum, vt eſſet ſicco pede tranſeunti populo, vtrinque pro muro. Angelus Cuſtos Eliam in itinere, ad montem Horeb, magnoperè defatigatum, refocillat & ad pergendum excitat, *grandis,* inquiens, *adhuc tibi reſtat via.*

Tob. 5.
Daniel. 14.

Angelus Raphael Tobiæ ſe comitem adiungit, & ei contra piſcem deuoraturientem, & contra Aſmodæum Diabolum patrocinatur. Angelus Cuſtos, Prophetam Abacuc, itineris moleſtijs ſubleuauit, & cum cibo, quem meſſoribus parauerat in Babyloniam, ad Danielem, in lacu leonum poſitum, tranſuexit. Angelus Cuſtos, Philippum Diaconum in Azotum, vt Eunuchum Candacis Æthiopiæ Reginæ in Chriſti fide inſtrueret & baptizaret, deportauit.

Actor. 8.

Quin etiam Angelus Raphael, ſeſe Tabellarium ac nuncium, Iuniori Tobiæ exhibuit: nam ad Gabelum, in Rages Ciuitatem Medorum, excurrit, & reſtituto Chirographo obligatorio, pecuniam ab eo recepit.

Tob. 9.

II. Exempla ex hiſtoria Eccleſiaſtica.

Et ſicut Angelus Gabriel Cuſtos Infantiæ Saluatoris, Beatiſſimam Virginem, & Ioſephum cum Infante IESV, tàm in fuga in Ægyptum, quàm in reditu direxit, & ab omni periculo defendit atque protexit: Sic tuus Angelus Cuſtos, ſi te ei deuotè commendaueris, ad ſimilia beneficia, tibi exhibenda, eſt procliuis, & omni momento paratus.

1. S. Onophrius.
Franciſcus Albertinus de Angelo cuſtode. c. 11.

Sic S. Onophrio in ſolitudine, cum tædio aliquo deambulanti, comitem ſe adiunxit Angelus Cuſtos, dixitq́; ei: *Ab hora natiuitatis tuæ, ductor ac ſocius tuus extiti*, & cum eodem in viſibili forma, ſex milliaria confecit, vt de itinere hæſitantem, erudiret:

2. S. Benedictus.

Sic S. Benedicto, è ſublaco, in montem Caſſinum migraturo, duo Angeli apparuerunt, & rectam viam per Eremum monſtrârunt;

Sigebertus in Chronico.
3. S. Dominicus.
Theodoricus in eius vita. lib. 2. cap. 6.

Sic S. Dominico de nocte cum ſocio iter facienti, Angelus ſe comitem adiunxit, & cum ad monaſterium, media iam nocte clauſum, veniſſet, ianuam protinus aperuit, & illis intromiſſis, iterum clauſit, & diſparuit.

4. Viatorem dirigit S. Raphael.
Petrus de Natalibus, li. 4. Catalogi Sanctorũ, lib. 4. c. 141.

Sic S. Raphael Viatorem, qui ſe eius tutelæ commendauerat, cum latrones inſequerentur, in momento, ad alteram fluminis ripam eum tranſportauit, cumquè eadem via rediret, & latrones timeret, ſub arbore obdormienti, S. Raphael apparet, & bono animo eſſe iubet, ſe, aſſerens, eſſe Raphaelem; Tobiæ Comitem, & ſaluum & incolumem, in Patriam reducturum. Euigilans itaque, ſe aliquot dierum itineris compendio, in patria eſſe, animaduertit.

5. S. Balduinus Rex Hieroſolymam Tom. 12. Ann. 1144.

Sic Balduino Hieroſolymorum Regi, teſte Baronio, cum ipſius exexcitus, viarum anguſtijs adeò concluſus eſſet, vt nullo negotio internecioni dari, ac deleri potuiſſet, cum per preces ad Deum confugiſſet, ſubitò apparuit Angelus eius Cuſtos, inſtar Ducis exercitus, qui apprehenſo primario & Regio vexillo, vniuerſum agmen incolume, Hieroſolymam perduxit. Sed eſto, perferendas tibi aliquando moleſtias in itineribus, pro Dei gloria ſuſcipiendis, nunquid Angelum tuum, etiamſi

eum

eum non ſemper videas, à te abeſſe putas? falleris, ſi hæc tibi perſuades: *6. Num... greſſus tuos, Franciſcus Albertinus, & lib. doct. Patrum. c. 6*
Ecce hiſtoriam è vitis Patrum: Religioſus quidam, in ſolitudine degens, aquam ad cellam ſuam vſque à duodecim milliaribus apportabat. Tedio tandem laboris affectus, & propiorem fonti habitationem eligere parans, conſpicatus eſt Angelum ſuum cuſtodem, qui omnes ipſius paſſus, in libro accuratiſſimè deſcribebat, olim cæleſti præmio remunerandos; qua re animaduerſa, quo ſenior eſt effectus, tantò alacrius iter illud continuauit. Et hic eſt liber, Angeli Cuſtodis, in quo omnia, quæ facitis, bona, diligentiſſimè annotantur, de quo Malachias Propheta: *Attendit Dominus & audiuit, & ſcriptus eſt liber monumenti, coram eo, timentibus Dominum*: Vt Hebraicus textus habet: *Liber memoriæ & recordationis*; quaſi dicere velit, & monere: Nolite dubitare, quæcunque bona opera feceritis, ea non ſolùm videt & audit Dominus Deus veſter, ſed & Angelus Cuſtos, ea deſcribit in libro, quem coram tribunali Diuino, cum in morte veſtra iudicandi ſtabitis, exhibebit, vt æternam, pro laboribus veſtris, mercedem recipiatis: *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri.* *7. Liber Angeli cuſtodis. Malach. 3. Hebr. 6.*

Quàm verè igitur, ô S. Pater Auguſtine de S. Angelis affirmas: *Magna cura & vigilanti ſtudio, adſunt nobis Angeli, omnibus horis & locis, ſuccurrentes & prouidentes neceſſitatibus noſtris, & ſolliciè diſcurrentes inter nos & te Domine*: Nam mediatorum more inter Deum & homines, ſeſe medios interponunt, & nunc irato Deo, nos interuentu ſuo, reconciliant, nunc manus porrigunt, vt lapſos erigant, nunc corporum & animarum noſtrarum ſalutem procurant. *8 Vigilantia & cura SS. Angelorum. Soliloq. c. 27*

Eia agite dilecti, ſimus grati tantis Patronis & benefactoribus, vt cum in agone noſtro, eorum ope, quam maximè indigebimus, benignos opitulatores & auxiliatores, experiamur. Res eſt Deo gratiſſima, S. Angelos honorare: S. Franciſcus quadraginta dierum ieiunio & orationibus honorabat S. Michaelem Archangelum & ecce, per Seraphinum, in forma crucifixi, in monte Aluerniæ, *Sacratiſſimorum vulnerum Chriſti ſtigmata accepit.* Et Beatus Rogerius, ex eius ordine, impenſiſſimè amabat & venerabatur ſanctos Angelos; Is cum quadam die, inter pſallendum, ſub iſtis Pſalmi verbis: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos, mentem in Deum eleuans, cuſtodiæ Sanctorum Angelorum recordaretur, per ſplendorem maximum, inſtar Lunæ, vidit Angelum Cuſtodem, ſuper caput ſuum deſcendere: Vnde cor eius ineffabili gaudio manſit oppletum.* Præſtemus & nos, quidquid obſequij poterimus, in laude & obſequio S. Angeli Cuſtodis, pro certo ſcientes, eos ſeruitia noſtra, millenario beneficiorum numero liberaliſſimè compenſaturos Amen. *III. Honorandi S. Angeli. 1 S. Franciſcus quantopere S. Angelos honorauit. In eius vita S. Bonauent. cap 13. 2. Beatus itē Rogerius ex eius ordine. Franciſcus Albertinus. Pſal. 33.*

SERMO XIV.

Alia tria beneficia corporalia, S. Angeli cuſtodis; V. Inique oppreſſos ſubleuant; VI. Arcent mala; VII. Contagioſos morbos & peſtem depellunt.

Dico vobis quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt. Matth. 18.

QVI ſancti Angeli cuſtodis beneficia omnia & ſingula ſpeciatim enumerare vellet, is citius vaſtiſſimum Oceanum, exiguo vaſe clauderet, facilius ſtellas cæli, arborum folia, campi gramina, frumentorum & plantarum ſemina & grana, maris & fluuiorum arenas, aëris atomos, numeraturus eſſet. Nam ſi iunior Tobias interrogatus à Parente: *Quid poſſumus dare viro iſti ſancto*, Raphaelem Archangelum indigitans, *qui venit tecum?* reſpondens Tobias, dixit Patri: *Quam mercedem dabimus ei? aut, quid dignum poterit eſſe, beneficijs eius? Me duxit & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit; Vxorem ipſe me habere fecit, & Dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus eius fecit, me ipſum à deuoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus, per eum repleti ſumus.* Cenſuit ergo Tobias, pro his octo beneficijs, non poſſe dignam gratitudinis vicem, Angelo ſancto rependi: *Quid ad hæc*, inquiens, *poſſumus dignum dare?* quin etiam medietatem de bonis omnibus, quæ ſecum attulerat, voluit illi offerre: Quid ſi innumera alia, quæ nobis adhuc quotidie, omni propemodum hora, & momento, ab Angelis noſtris tutelaribus, obtingunt ſeruitia, & obſequia, in mentem reuocaſſet, & eorum numerum inijſſet proteſtaturus fuiſſet? Nos igitur pauca iterum, de corporalibus, Angeli Cuſtodis, beneficijs hoc ſermone delibabimus, vt ſimili erga eos, gratæ mentis affectu, inflammemur.

Tob. 12.

Dico vobis quia Angeli eorum, ſemper vident faciem Patris: Noli dubitare, tametſi in cælo, Diuinam faciem iugiter contemplentur, tecum tamen ſunt, vt te protegant, atque defendant. Times forſan, oppreſſionem alicuius potentioris, qui te vel iniuria aliqua afficiat, aut in carceres abripiat, & in vincula compingat? Ad Angelos Cuſtodes ſecuriſſimè te conuerte. Annon *Angelus Domini, euaginato gladio, ſtans in via*, ne aſina Balaam progrederetur, inhibuit, & ne populo Iſrahelitico malediceret, impe-

I. Inique oppreſſos ſubleuant.

I. Exempla ſcripturæ.
1. Balaam.
Num. 22.

impediuit? Annon Iacob fugiens iracundiam perſecutoris Eſau, ad defenſionem ſuam, conſurgere vidit caſtra Dei, id eſt exercitus Angelorum? Annon in circuitu Heliſæi Prophetæ, cum Regis Syriæ Exercitus, eum captiuum abducere vellet, innumerabiles Angelorum turmæ, comparuerunt, ipſeque timenti Giezi ſeruo ſuo, fiducia plenus dixit: *Noli timere, quia plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis.*

2. Iacob fugiens Eſau. Gen. 32. 4. Reg. 6.

De Theophila Virgine memoratur, in Annalibus Baronij, *cum impij Tyranni Maximiani Satellites accurrerent, vt eius virginitatem polluerent, ſubitò apparuit eius defenſor, Angelus Cuſtos, admirandæ pulchritudinis & ſplendoris, ita vt ex eius oculis, viuæ flammæ, quaſi totidem ignitæ iacula euolarent, quo viſo ſpectaculo, impij ſatellites, intacta Virgine, aufugerunt, quam Angelus ad Eccleſiam reduxit.* Sic, *cum Eudoxia Imperatrix, odio erga S. Ioannem Chryſoſtomum, accenſa, duos centuriones cum ducentis militibus ad templum Conſtantinopolitanum miſiſſet, vt ei vim inferrent, viderunt in veſtibulo templi, Angelum Domini, euaginatam rompheam vibrantem, & eos arcentem. territi itaque receſſerunt, rem totam cum tremore, Imperatrici narrantes.*

II. Hiſtoria. 1. S. Theophila. Bar. Tom 2. pag 677. 2. S. Ioannes Chryſoſtomus. in vita S. Ioannis Chryſoſtomi.

Quinimò officium Angelorum eſt, à grauaminibus, quibus ſerui Dei à Tyrannis opprimuntur, ſuos Clientes eripere, & ſubleuare: Sic *cum Gainas Tyrannus, magnam militum manum miſiſſet, ad ſuccendendum Palatium Imperatoris Arcadij, & vaſtandam totam Ciuitatem Conſtantinopolitanam, comparuerunt Angeli Cuſtodes, terribili aſpectu, & grandi ſtatura, hoſtes tertiò, cum ipſomet Gaina, in fugam conijcientes.*

3. Gainas Tyrannus. Socrat. lib. 6. cap. 5. Bar. Tom. 5.

Simili modo pauperes viduas & pupillos, qui à diuitibus & magnatibus ſæculi opprimuntur, coram tribunali Diuino defendunt, & vindictam contra eorum oppreſſores, inclamant: *Videte*, inquit Chriſtus, *ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis minimis, qui in me credunt, quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* quaſi diceret. Angeli cuſtodes, non ceſſant vindictam expetere, contra potentes, qui puſillos, & humiles Chriſti ſeruos, ac pauperes, iniqua dominatione, exagitant & moleſtant.

III. Defendunt viduas & pupillos. Matth. 18.

Similiter ſi forſan præter ius & æquitatem in carceres conijciaris, Angelus Cuſtos, inuocatus, tibi præſto erit, non ſecus ac S. Apoſtolo Petro, ab Herode incarcerato. cuius cathenas confregit, vt de manibus eius deciderent, portam ferream reſerauit, & liberum per medios Vigiles & Carceris Cuſtodes, ad Coapoſtolos ſuos reduxit: *Nunc ſcio verè*, inquiebat iam liberatus, *quia miſit Dominus Angelum ſuum, & liberauit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.* Sic quando populus Iſraheliticus, in captiuitate Babylonica, tenebatur, Angelus qui Danieli ſæpius apparuit, Deum ſæpiſſimè precatus eſt, vt fideles ſuos, à preſſura illa

IV. Iniuſtè incarceratos liberant. 1. Petrus Apoſtolus. Actor. 12. 2. Daniel. Dan. 10.

Digitized by Google

3. S. Felix. Sur. 14. Ianuarij.

educeret & liberaret. Sic etiam Angelus Cuſtos, S. Felicem, Nolanum & alios quamplurimos, è carceribus eripuit, & libertate donauit. Sic cum in Iuliani Apoſtatæ perſecutione, Incarceratum quendam, à ſuis, conſolationis ergò, inuiſiſſet S. Appollonius, ipſemet etiam à Centurione, carceris Præfecto, in vincula eſt coniectus.

4. S. Apollonius. Euagrius in vitis Patrum. In vita Apollonij cap. 7. Bar Tom. 4. Ann. 362.

Media nocte, inquit Baronius, *ingenti cum luce, apparet Angelus Domini, clauſtra omnia aperiens, & perterrefaciens cuſtodes, qui humiliter rogant captiuos, vt abeant, ſe nolle diuinæ virtuti obſiſtere. Summo manè, Præfectus carceris, cum domeſticis ſuis venit, aiens, ea nocte terræ motu, domum ſuam corruiſſe, & chariſſimos queſque famulos, trucidaſſe, impenſius orans, vt liberi diſcedant. Agnoſcunt itaque beneficium S. Angeli, Deo liberatori gratias agentes.*

5. Suuibertus. Marcellinus Presbyter in vita.

Sic *ſanctus Suuibertus Epiſcopus in inferiori Germania, prope Traiectum, fidem prædicans, ab idolorum ſacrificulis, carceri duriſſimo mancipatur: Nocte inſequenti, dum oraret, ſumma cum claritate, Angelus Domini carcerem ingreditur: Noli timere ſerue Dei,* inquiens, *quia Dominus tecum eſt: Et ſtupentibus cunctis carceris Cuſtodibus, eum eduxit. Cumque ad ſocios rediÿſſet, Deo, & S. Angelo liberatori, immenſas grates perſoluerunt.*

6. S. Benignus Mart. Sur. in vita. Tom. 6. 1. Nouemb.

Iuſſerat Aurelius Imperator, *S. Benignum Martyrem, Dÿs ſacrificare, quod cum ille conſtanter recuſaret, mandauit in carcerem includi, & in ſaxo, ad hoc excauato, pedes eius, plumbo liquefacto, perfundi, & in digitos manuum eius, candentes ſubulas in longum defigi, & per ſex dies, nullum ei, nec cibum nec potum præberi; duodecim etiam canes ſæuiſſimos, fame & ſiti emaceratos, vt ab illis diſcerperetur, includi: Ingreſſo carcerem, Angelus Domini apparuit, & canes ita manſueſecit, vt nec pilum capitis eius, nec fimbriam attingerent veſtimenti. Idemque Angelus Domini, alimentum ei, id eſt panem cæleſtem præbuit, & diſcutiens ſubulas de manibus, & plumbum à pedibus eius; Accipe, inquit, Chriſto dilectiſſime. Ille verò accipiens & manducans, gratias egit. Aperta tandem cuſtodia, inuenerunt eum, ita illæſum, & tàm integrum, vt ne vna quidem plaga, in eius corpore appareret, Angelo Domini medicante.*

7. S. Acyndinus & Pegaſius Apud Sur. in eius vita. Tom. 6

De ſanctis Martyribus Acyndino, Pegaſio, & Acempodiſto, & ſocijs, refert Simeon Metaphraſtes, *cum ſub atrociſſimo ignis tormento, Saporis Perſarum Regis iuſſu, inflicto, acerrimè torquerentur, viderunt exercitus Angelorum, ad ſuccurrendum paratos, quorum ſplendorem ferre non valentes, qui oculis animæ caligabant, humi ceciderunt.*

8. S. Gregorius Mart. Sur. Tom. 5.

Sic S. Gregorio Martyri Presbytero, Spoletano, *Angelus Domini apparuit, Pax tecum Gregori, dicens, noli timere: continuò vincula eius diſrupta ſunt, & claritas Domini circumfulſit eum.*

9 S Hermogenes & Menas. Sim. Metaphr. in eorũ vita. Sur. Tom. 6.

Sic *S. Hermogeni & Menæ in grauiſſimis tormentis ſeſe præſentes exhibuerunt, & grauiſſimos dolores, quos in fidei confeſſione perpeti cogebantur, lenierunt.*

Num

II. Arcent omnis generis mala.

I. Exempla ſcripturæ varia.

Num varia tibi mala, tàm ab inanimatis, quàm animatis rebus imminent? *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet illos.* Dubitas? En Angelus Cuſtos retrahit gladium Abrahami, ne Filium Iſaac occidat. En Angelus Cuſtos, educit Loth, ab incendio Sodomitico, & in Ciuitatem Segor vſque comitatur. En Angelus Cuſtos Tobiam iuniorem ab immani piſce liberat, qui egreſſus fuerat è flumine, vt illum deuoraret. En tres pueros, ab igne fornacis Babylonicæ, ſic eripit, *vt faciat medium fornacis, quaſi ventum roris flantem.* En Leones rugientes, & fame tabeſcentes, ita manſuefacit, atque compeſcit vt ad Danielis pedes ſeſe abijciant, et tanquam canes abblandientes, nec vllam prorſus læſionem inferentes, *miſit Dominus Angelum ſuum, qui cond ſit ora leonum, quia coram eo, iuſtitia non eſt inuenta in me.* En Angelus Cuſtos, Patriarchæ Iacob, viam aperit, qua oues, concipiendo maculoſos fœtus, abſque iniuria ſoceri, ditaretur, & locupleteretur. Quis vnquam mali aliquid expertus eſt, & inuocato Cuſtode Angelo, non eſt releuatus? Qui dubitas audi S. Patriarcham Iacob, Ioſephum & Filios eius, benedicentem: *Angelus qui eripuit me de omnibus malis, benedicat pueris iſtis.* Qui de Angelica protectione ancipiti cogitationum agitatione fluctuas, audi Populi Iſrahelitici primariam Heroinam Iudith, cum trucidato Holoferno, victrix Bethuliam remearet: *Viuit Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.* Sic etiam Apoſtolum S. Paulum, in mari periclitantem, conſolatur Angelus, & promittit, ſe omnes, qui cum eo in mari erant, à naufragio ſeruaturum. I nunc, quiſquis es, inſipiens contemptor Angelicæ tutelæ, & nega: Immò ſi vis, pernega ſanctos Angelos, omnis mali, quod hominibus vſpiam inferri poſſit propulſatores eſſe.

Gen 22. Gen 19. Tob. 6. Dan 3. Dan. 6. Gen. 31. Gen 48. Iudith. 13. Actor 27.

II. Hiſtoria memorabilis de Maximiliano I. Imperatore. In Hercule Prodicio. Et Iacob Gretſerus lib. 2. de Cruce. cap. 13. Periculum vitæ Maximiliani Principis.

Conuincat hanc ipſam veritatem, notabilis illa hiſtoria, quã de Maximiliano primo Auſtriaco, Romanorum Imperatore, Stephanus Pighius refert: *Is dum per prærupta Oenipontanorum montium rupes, & confragoſa loca, iuuenili ardore, rupicapras ſiue Damas, curioſius inſequeretur, eò incautus præcipitij deuenit, vnde nec pedem referre, nec vlterius progredi poſſet, niſi è ſublimi montis, nubes tangentis vertice in profundiſſimam vallem, ſubiectam, quam ex altiſſimi ſilicis cacumine proſpectabat, ſemetipſum deijcere vellet: Nec funibus iuuari poterat, nec à lapicidis, ſemita quæpiam, menſtruo labore, parabilis erat. Stabant ex aduerſo eius Aulici & Miniſtri, Heri ſui ſortem, ciulantibus lachrymis deplorantes: Dies integros duos, noctesque binas, ea afflictio perdurabat, ingenti fame, & inſomnio accedente. Nulla ergò ſpe vlterioris vitæ reſidua, pijſſimus Princeps, ad mortem ſe comparare incipiebat; Iubet igitur, vt Sacerdotes allata Euchariſtia, eius ſaltem aſpectus, & ado-*

& adorationis poſtremæ, compotem reddant, quandoquidem re ipſa, ſynaxin ſacram, percipere non daretur. Interea dum exitum vitæ, calentibus cum lachrymis, Diuino Numini, enixius commendat; audit poſt ſe ſtrepitum, videtque iuuenem, ſpectabili quidem vultus elegantia, ſed habitu venatorio, & ruſticano, per ſcopulorum coſtas, & latera proreptantem, ingentiaque ſaxa remouendo, callem parare, qua ex periculoſo præcipitio, in tutum euadere poſſet. Cumque viciniſſimè ad ipſum deueniſſet, porrecta dextra: Macte, inquit, animo, virtuteq; tua Princeps viuit & adeſt, qui te ſeruare poteſt. Depone metum & me ſequere, confeſtim te in tutiora loca traducam. Ducem igitur confidenter ſequitur, pauloq; poſt, in patentiſſimo campo, ſe videt conſtitutum, & ex mortis faucibus, ereptum, gaudet. Interea fidiſſimus ille viæ Dux, qui haud dubie Angelus Cuſtos erat, eius oculis & aſpectui, ſeſe ſubducit. In huius miraculi memoriam æuiternam, Pius Princeps, viam ad locum præcipitij, ingenti ſumptu, lapicidarum, opera reſerari, & ibidem Crucifixi Seruatoris imaginem, valde conſpicuam tranſeuntibus, Oenipontum, collocari curauit. Quis ergo in dubium reuocet, S. Angelos, in præcipitijs, alijſq; periculis, nobis adeſſe.

Liberatur ab Angelo

III S. Oſitham triduo ſubmerſam in vita ſeruat.

Albericus Veerius apud Sur. To. 5. in vita S. Oſithæ.

Nec contemnendum eſt beneficium S. Oſithæ Virgini & Martyri, Angelo mediante præſtitum: *Nam cum in flumine, vi ventorum, à ponte deiecta, iam à triduo ſubmerſa, perijſſet, Angelus Domini, Moduennæ Abbatiſſæ apparuit, iubens eam ad fluminis ripam feſtinare; Vbi cum Oſitham ſubmerſam intellexiſſet, orationi ſe dedit, qua abſoluta, ter Oſitham vocauit, quæ illicò rediuiua, è flumine ſe erexit, exſcendit, & cum Moduenna domum remeauit.*

IV. Mulier paupercula cum in faucibus in naufragio ſeruatur.

Dier. Canicular. colloquio. 13.

Nec minoris æſtimandum, quod Simon Maiolus, Epiſcopus Vulturarienſis memorat. *Cum complures in vrbe Aſtenſi, nauigio, ingentem Fluuium Tanarum, traijcerent, nauis in medio fatiſcens flumine, omnes, etiam nautas, & alios artis natandi peritiſſimos Epibatas ſubmerſit. Sed ecce prodigium Angeli Cuſtodis: Erat multitudini admixta, mulier inops, quæ flumen traijcere inſtituerat, colligendorum lignorum cauſſa, vt ſuæ, liberorumq; inopiæ, ſuccurreret. Naui ergò paulatim fundum petente, ipſa puerulum triennem dextra tenebat, lactantem alium, læua in ſinu fouebat, ita vt nec brachia, contra fluminis impetum mouere, nec ſe alio modo, à periculo præmunire poſſet. Sed ecce, cum paruulorum ſuorum, & ſuum pariter Angelum Cuſtodem, inuocat, illicò quidem, ſed inuiſibili, Angelorum opera, & manibus, è profundo Voraginis, in alteram fluminis ripam, cum vtroque infantulo, tranſportatam ſe perſentiſcit, id quod maxima hominum multitudo admirabunda, conſpexit.* Præclariſſimum iterum Paradigma, Angelicæ tutelæ. Hinc enim S. Agatha Virgo & Martyr, tantum præſidij fiduciæq; collocabat, in Angelo Cuſtode, vt diceret Tyranno, Ignibus illam cruciare minitanti: *Si ignem adhibeas, rorem mihi ſaluificum, Angeli de cælo*

V. S. Agatha Virgo & Martyr.

Sim. Metaphr. in vita.

cælo miniſtrabunt. Quis vnquam tutelarem ſuum Angelum in ſubſidium vocauit, & eſt confuſus?

Accipite, quod quidam è ſanctis Patribus, inter pericula, in viſitatione Anachoretarum, Ægypti obita, commemorat: *Octauum, & maximum quidem periculum fuit, quod cum ad Nitria Monaſteria, veniremus, lacum quendam incidimus, in quo refluentis Nili Aqua reſidens, velut ſtagnum quoddam effecerat, in quo multæ beſtiæ, & præcipuè Crocodili plurimi erant: qui cum tempore ſolis exiſſent, reſoluti circa oram ſtagni iacebant, ita vt ignorantibus nobis, mortui viderentur. Et cum accederemus ad videndam, mirandamque magnitudinem beſtiarum, quas exanimes putabamus, continuò vt ſemitam pedum audiuerunt, excitati, irruere & inſectari nos, vehementer cœperunt. Nos autem cum magno clamore, nomen Domini IESV inuocauimus, cuius miſericordia illicò affuit. Nam Angelus Domini forma conſpicuus, apparuit, & beſtias, quæ cōtra nos inſurrexerāt, repellens retrò, in ſtagnum protinus diſparuit; nos autem curſu intento, ad monaſterium feſtinauimus, Deo pro liberatione, gratias agentes.* Ecce rurſus euidens exemplum, in quo Angelica tutela, ſatis perſpicuè probatur: *Dico vobis, quia Angeli eorum, ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.*

VI. A plurimis Crocodilis ne deuoretur ſeruatus.

Heribertus Roſvveidus in vitis Patrum, lib. 2. ex Ruffino cap 33. & Palladio cap. 50.

Peſtiferam luem, alioſque contagioſos morbos à te propulſatos cupis? Ne dubita; in hac etiam neceſſitate, S. Angelum ſubleuatorem experieris: Nam ſi cum Romæ ſæuiſſima peſtis adeò vehementer graſſaretur, vt oſcitantes aut ſternutantes, mortui conciderent, ſancto Gregorio Litanias & ſupplicationes publicas, pro tanti mali auerſione, vnà cum populo celebrante, *viſus eſt in mole Adriani S. Angelus, enſem ſanguine tinctum ſtringere, & illicò recondere in vaginam; eoque momento plaga ceſſauit.* In cuius rei memoriam, Rupes illa, cui Arx eſt ſuperſtructa, hodiernum in diem, *S. Angeli Caſtellum*, appellatur, & Angeli, adhuc ſaxo impreſſa veſtigia, conſpiciuntur. Sic cum lues contagioſa, Galliam propemodum vniuerſam vaſtaret, S. Gallo Aruernenſi Epiſcopo, pro populo ſuo aſſiduè deprecante, apparuit ei S. Angelus ſplendida facie, niue candidiori veſte, conſolans eum ac dicens: *Exaudita eſt oratio tua, & eris cum populo tuo, ab hac lue immunis.* Angeli porrò promiſſionem, confirmauit euentus.

III. Depulſio peſtis & contagioſorum morborũ.

I. Peſtis Romæ ſopita. Bar. Tom. 8. Ann. 590. Carol Sigon. de Reg Ital. S. Gregor. lib 4 Dial.

II Lues inguinaria in Gallia. S Gregor. Turon li 4. hiſt. Franc. Sur. Tom 4. in vita S. Galli. Bar. Tom. 4.

Nolim vos, auditores mei dilectiſſimi, prolixiori hiſtoriarum commemoratione diutius fatigare: nam tædium veſtrum, quantum in me eſt, euitare decreui: Penſitate, obſecro, grandia illa, & ineffabilia prorſus beneficia, quæ innumeri homines à ſanctis Angelis, iam pridem ſunt aſſecuti: Amate Angelos ſanctos, omni honore & obſeruantia, eos colite, tutelam eorum, quotidianis in precibus fideliter expoſcite, fiduciam in eorum feruentiſſimo erga nos amore, abſque omni hæſitatione collocate, piè in conſpectu Domini viuendo, inculpabiliter cum alijs con-

Digitized by Google

conuerſando,eorum præſentiam,reuerenter cohoneſtate; mihi credite, re ipſa & experientia infallibili comperietis,eos tàm eſſe beneficos, tutores,qui neminem prorſus,à ſua munificentia excludant, ſed omnes ſibi à Creatore concreditos Clientes, à malis quibuſcunque conentur euellere,& ad ſummi boni,æternam poſſeſſionem,extremis viribus, promouere; quod vt fiat, ô ſancti Angeli, *per æterni Regis veſtri, ſacratiſsima quinque vulnera*,effectum date. Amen.

SERMO XV.

Alia duo Beneficia Angelica, VIII. Diem obitus prædicunt; IX. Martyres adiuuant certantes,in agone,& in tormentis conſolantur.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum,& eripiet eos. Pſal.33.

Prou.18. NON inſcitè, nec perperàm dictum, à Salomone: *Frater qui adiuuatur à Fratre, eſt quaſi Ciuitas firma*: Id enim,cum in qualibet ciuili congregatione,locum habeat, in Angelica tutela, potiſſimum, experientia reali comprobatur: Nam præter ingentia, quibus aliàs homines præueniunt, merita & beneficia, Dei ſeruos,Clientes ſuos,non ſolùm de obitu imminente, haud raro præmonent,vt ſe ad illud temporis momentum,tantò feruentius præparent,& ad gaudia æterna capeſſenda,diſponant: Verùm etiam, ſanctos Martyres,in conflictu tormentorum,& cruciatuum iuuant, & conſolando, ad conſtantiam animant,& ne haſtam clypeumuè abijciant, donec ad coronas perueniant, efficaciſſimè exhortantur. Quæ duo, illorum officia,paucis introductis hiſtorijs,præſenti ſermone, Dei gratia cooperante,& eorundem Angelorum fauore annuente,collubitum eſt, aliquantiſper explicare.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Si

I. Obitum prædicunt. quando pericula imminent Dei ſeruis, haud procul aberit Angelus, qui

Matth.18. *ſemper videt faciem Patris*, ſed vel in media rerum diſcrimina, ſi pati aut ſubire poſſit,ſemel inijciet, atque præcipitabit, vel caſtra metabitur in

Pſal.90. eorum circuitu,vt eripiat,& à læſione præſeruet: *Cum ipſo ſum in tribula-*

I. Deſiderium Dauidis ſciendi ſuũ finem. *tione,eripiam eum & glorificabo eum*, inquit Angelus tuus Cuſtos. Orabat quandoq; Regius vates: *Notũ fac mihi Domine finem meũ,vt ſciam quid deſit mihi*; Et rectè: Nam huius mortalis vitæ finis,haud raro grauiſſimis æter-

Pſal.38. næ vitæ periculis,exponitur, quin etiam, à malignis hoſtibus potentiſſimè

Digitized by Google

mè infeſtatur: *Iacula præuiſa minus feriunt*. Felix qui finem præſcit pericula eliminat, neceſſaria prouidet, animam ad *cæleſtes nuptias* ritè adornat, *vt veniente Sponſo, cum prudentibus virginibus, ad cæleſtes nuptias ingrediatur*. O te millies beatum, qui Angelo præmonente, ad reddendam coram Diuino tribunali rationem, ſic res tuas diſponis, vt audire à Domino merearis: *Euge ſerue bone & fidelis, quia in paucis fuiſti fidelis, intra in gaudium Domini tui: Veni benedicte Patris mei, percipe regnum, paratum tibi à conſtitutione mundi. Immittet Angelus Domini in circuitu tuo*, vt te iuratus ille hoſtis à tanti boni poſſeſſione, in æternum non valeat deijcere, aut exturbare.

Matth. 25.
Luc. 19.

Non indigebat equidem, Beatiſſima Virgo, Dei Genitrix MARIA, non indigebat, inquam, vt de obitu ſuo ſanctiſſimo præmoneretur, cum anima pariter & Corpore, in cælos aſſumenda, & ſuper omnes Angelorum Choros exaltanda: Summi nihilominus beneficij, ſummæq; gratię loco, à filio ſuo dilecto accepit, quando Gabriele Archangelo, Palmæ ramum, victoriæ ſignum, cælitus afferente, tranſitum ſuum ex hoc mundo, prænunciari cognouit: Nam illicò, diſpoſitis omnibus rebus ſuis, ad Filij aduentum ſe parauit.

II. Archangelus Gabriel pdicit obitũ ſuum Beatiſſimæ Virgini
Sim. Metaphr orat. de dormit. Deip. Georg. Cedrenus in compendio Hiſtoria. Niceph. li. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 2.

Sic Archangelus Michael S. Arnulpho Sueſſionenſi Epiſcopo diem obitus prædicit, & ſe illum ad æterna gaudia, inter Angelorum choros, conducturum pollicetur. Sic idem Archangelus, cæleſtis exercitus princeps, S. Wilfrido Archiepiſcopo Eboracenſi, poſt quatuor annos, diem mortis denunciat, cum putaret ſe iam iam, in grauiſſima, qua cum conflictabatur, ægritudine, moriturum. Sic Angelus Domini, S. Philiberti Abbatis, feliciſſimum ex hac vita tranſitum, S. Aichardo annunciauit.

III. Archang Michael S. Arnulpho. Liſiandrus in eius vita Bar. Tom. 11. Sur. Tom. 4.
IV S. VVilfrido Beda lib. 5. hiſt Ang. cap 20.
V. Obitum S. Philiberti.

Iucundum auditu, quod de S. Maglorio Dolenſi Epiſcopo, in hæc verba refertur, ab eius vitæ authore: *Cum ſic autem innumeris clareret virtutibus, & miraculorum ſignis, obitum ſuum, longè ante præſciuit: Nam pridiè eius diei, quo ſacroſancta Paſchalis ſolennitas celebrabatur, illi in templo, noctu more ſuo vigilanti, Angelus Domini candidiſſimus apparuit, eum familiariter allocutus: Sancte Maglori, age quod agis, operare quod operaris, nec dubites nomen tuum ſcriptum in libro cæleſtis militiæ. Viſum eſt altiſſimo, cuius voluntati, ab ineunte ætate, haud ſegniter obtemperaſti, dignam, tuo certamine, in cælis mercedem, tibi reſtituere: Audiens hæc Maglorius, lætus quidem ex promiſſione, ſed incertus de viſione, veritus ne Angelus Sathanæ, in Angelum lucis ſe transfiguraret, admodum prolixè in precibus perſeuerauit. Quibus perſolutis, Angelus Domini, volens eum de viſione certum facere, bis teruè verba ſua repetijt, ita dicens: Nihil haſites de hac viſione Maglori: Sicut enim ego ſum perpetuus miniſter ſummæ VERITATIS; ita legatio mea, omnis planè falſitatis expers eſt. Certiſſimè ergò annuncio tibi, propediem te, cum inſigni, ex hoſte, reportata victoria, & triumpho, è corpore migraturum in*

VI. S. Maglorio Angelus bis apparet.
Sur. Tom. 5. in eius vita.

cælos,& præſentem Dei vultum,inter illos,beatæ patriæ, Ciues,ſine fine iucundiſſimè conſpecturum. Tum verò rogauit S. Maglorius Angelum,vt antequam diſcederet,largam illi benedictionem impertiret.ſed Angelus reſpondit: Quonam modo ego tibi benedicam, cui benedixit is, à quo ſancti omnes benedicti, & ſanctificati ſunt? Atque ita poſt mutuam ſalutationem, Angelus cum multo lumine receßit ad ſuperos: porrò Maglorius, vti cæperat, noctem duxit peruigilem. Poſt dies paucos, rurſum ei apparens Angelus, iußit eum,de ſuo obitu eſſe ſecurum,dixitque ei: Quod obſeruatam carnis integritatem,centeſimum in cælis fructum,eſſet percepturus: Et tradidit etiam ei,tanquam breui morituro, viaticum. Atque ab illo die, de ſuo obitu ſollicitus,niſi cauſſa ineuitabilis,& multis profutura,adeſſet, vſque ad diem euocationis ſuæ,vix vnquam è cellà abſceßit, ſed ſemper verſum hunc ore repetebat: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. hæc vitæ S. Maglorij conſcriptor. Ex qua ſancti Angeli apparitione, duo præcipuè condiſcimus: Primùm, ne cuilibet ſpiritui,temerè credamus,ſed prius, vtrum ex Deo ſint, probemus *cum ſe Angelus Sathanæ, frequenter in Angelum lucis transfiguret.* Deinde,vt apud ſanctos Angelos,pro ſimili,ab ipſis impetranda gratia, deuotis in precibus, inſtanter ſollicitemus,certi nimirum de Prophetica promiſſione: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum,& eripiet eos,*ne mala morte, ab huius lucis vſura, diuellantur.

Iterum apparet Angelus dans ei ſacrum viaticum.

Pſal. 26.

Documenta ex hac hiſtoria

2. Cor. 11.

Quomodo ſanctis,in Martyrij agone certantibus, opem tulerint, audire placet? prouoco in primis ad ſcripturas ſacras. Tres pueros in Babylonica fornace, & Danielem in lacu Leonum, Martyrij coronas promeruiſſe,nemo erit,qui auſit inficias ire. Ecce tibi, in tribus pueris, in media fornace,inter flammarum globos,liberandis, Angelus Domini,ſex ingentia prodigia deſignauit. Quid enim aliud,Ignis horrendum in modum,crepitantibus flammis emicans,at eos non comburens? Quid aliud quàm ingens miraculum,illæſis Martyribus, qui concremandi erant,miniſtros Regis,fornacem ſuccendentes,omninò in cineres redigi & abſumi? Quid aliud! non læſis trium puerorum veſtibus, vincula, quibus illi,antequam inijcerentur,erant ligati,penitus diſſipari? Annon ingens portentum,in medio flammarum tres homines ſine omni Spiritus interclusione,reſpirare & loqui,diuiniſque laudibus occupari? adde quod miraculoſius,omnes eaſdem ſententias, & verba, quaſi vno ore pronunciare? Ipſe inſuper Angelus,res haud minus prodigioſa, humana ſpecie,cum ipſis,inter medias flammas,liber gradiebatur,& tres Martyres,omnium opinione,in cineres iam redactos,ſed ſuperſtites, mirificè recreabat. Ignis denique loco,Angelus, ſuauiſſimum roris ventum, quo ignis æſtus amæniſſimè temperabatur, excitauit. Annon hoc eſt

II. S. Martyres adiuuant certantes.

1. Quod S. Martyres adiuuent & conſolentur, probatur è ſcripturis. Daniel. 3.

2. Sex ingentia miracula in liberatione trium puerorum.

ſanctos

ſanctos Martyres, affluentiſſimè conſolari? Similiter Danielem conſolatus eſt Angelus Domini,& non vno, ſed pluribus miraculoſis beneficijs recreauit: Annon miraculoſum beneficium, dum Angelus Domini *conclusit ora* famentium *Leonum*, ne Danielem, aut poſſent, aut vellent lædere,& admordere? Annon prodigioſum beneficium, Angelum Domini, vnico inmomento, à Iudæa in Babylonem adducere, Prophetam Abacuc, vt Danielem inuiſeret,& ei prandium ferret, quod meſſoribus ſuis parauerat,& apportabat? Annon peculiare prodigium, Danielem, ab immaniſſimis feris, illæſum, & poſt tres dies, è lacu Leonum educi? Annon notabile prodigium, cum Calumniatores ſancti Prophetæ, Leonibus obiecti fuiſſent, Angelum Domini, Leonum rictus denuò reſeraſſe, vt eos omnes in momento, dentibus ſuis commolirent, ac deuorarent? Hic verè impletur verbum tuum, ô Regie vates: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos:* Quod S. Hieronymus è Chaldaico tranſtulit in hæc verba: *Caſtra metabitur Angelus Domini, in circuitu timentium Deum, & defendet eos.*

3. Exemplū Danielis in quo etiam quatoor miracula. *Dan. 6.* *Pſal. 33.*

Idem etiam præſtitit S. Angelus Cuſtos, S. Vito Martyri, ſua ſponte quidem,& invito & inſcio parente, baptizato: *Nam cum ſanctus puer ab ipſomet patre ſuo, Valeriano Iudici traditus eſſet, vt tormentis adhibitis, à Chriſti ſide auelleretur, & ipſe nihilominus conſtans permaneret, ideoque exacerbato Patri, redderetur, Angeli monitu, ac ductu, in alienas terras commigrauit, ibique ſanctiſſimam, cum Modeſto & Creſcentia Educatoribus ſuis, vitam duxit. Et cum tandem omnes tres, iuſſu Diocletiani Imperatoris, hominis ingratiſſimi, cuius Filiam Vitus ab immundo Spiritu liberauerat, in vas liquato plumbo, feruenti reſina, & pice plenum inijcerentur, Angelus Domini, naturalem liquatæ materiæ feruorem, contemperauit, vt nihil omninò læſionis experirentur, ſed trium puerorum more, diuinos hymnos, cum iubilo demodularentur. Ex hoc tormento erepti, fame emaceratis leonibus obijciuntur, qui naturalis feritatis obliti, eorum pedes lambebant. Excandeſcens denique Imperator, cum eos in cataſta ſterni, eorumque oſſa ac membra omnia confringi iuſſiſſet, dum eorum animæ in cælos emigrarent, Angelus Domini, ad conteſtandam eorum innocentiam, & ſanctitatem, Tonitrua horrendiſſima & fulgura excitauit, & terræ motus horribiles, longè lateq́; omnia concutientes, Deorum Templa ſolo æquarunt, & innumerabiles idolorum cultores, ruina oppreſſerunt.*

II. Ex hiſtoria Eccleſiaſtica. S. Vitus Martyr. Surius in vita. 15. May. Sæpius ab Angelo, è tormentis liberatur.

Haud diſsimile beneficium præſtitit S. Conſtantio Peruſinæ Ciuitatis Epiſcopo, in tormentis acerbiſsimis conſtituto, S. Angelus Cuſtos: *Nam cum à militibus, Marci Aurelij, ſæuiſſimè torqueretur, & iam Spiritus ei deficeret, vt animam ſuam Deo recommendaret, aſtitit Angelus Cuſtos, hiſce verbis eum compellans, & conſortans:* Noli *timere Conſtanti: Ego ſum Angelus Domini:*

III. S. Conſtantius. Sur. in vita 29. Januar.

Curatur ab Angelo & tortoribus eripitur.

Miſit me Chriſtus vt plagis tuis, curationem adhibeam, ac deinceps tibi adſim, in omnibus vijs tuis. Et ecce illicò, omnis plaga fuit curata. Tunc ille Angelico ſolatio recreatus, immenſas Deo grates perſoluit: Gratias tibi ago Domine IESV CHRISTI, qui per Angelum tuum, me in anguſtijs poſitum, confortaſti, & curaſti vulnera mea: Nunc verè ſcio, te nunquam deſerere in te ſperantes.

IV. S. Theodorus Dux exercitus ſub Licinio. Sur. Tom. 1. 7. Februar.

Memoribile & illud eſt, S. Angeli beneficium, quod legitur in vita S. Martyris Theodori, Ducis exercitus, ſub Licinio Imperatore: Nam cũ immaniſsimum Draconem, interfeciſſet, & Imperatoris Licinij Deos aureos atq; argenteos minutatim cõfregiſſet, pauperibusq; diſtribuiſſet, eoq; medio, innumerabiles ad Chriſti fidem traduxiſſet, frementem ac frendentem Imperatorem, in faciem redarguiſſet, furore percitus Tyrannus, *iuſſit eũ exui*, inquit Martyrij eius ſcriptor: *& à quatuor robuſtiſsimis lictoribus extendi, & boum neruis, ſexcentas plagas, ſuper dorſum, & quingentas ſuper ventrem ei inferri, & poſtea plumbeis globis, eius corpus immiſericorditer verberari, ac tandem ferreis vngulis carnes lacerari, & lampadibus igneis, vulnera vſtulari, acutiſsimisq; teſtis ſanguinem abradi. Poſt hac cathenis onuſtus, quinq; diebus fame & carceris ſqualoribus emacerari, ac tandem clauis, per occultas corporis partes adactis, crucifigi, alijsq; compluribus ludibrijs & contumelijs iuſſus eſt affici & excarnificari. Exiſtimans porrò Licinius Tyrannus, eum iam expiraſſe, in cruce pendentem, reliquit. Circa primam verò noctis vigiliam, Angelus Domini ei adſtitit, & è cruce ſolatum, totum ſanum reddidit, & dixit: Gaude & corroborare, in gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, Dei ſerue Theodore, & conſumma curſum tuæ decertationis, & veniens ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, accipies coronam immortalitatis. Animatus itaque ſanctiſsimus Martyr, conſtantiori deinceps fiducia, certamen inijt, & Martyrij brauium, heroica ſtrenuitate, eſt aſſecutus.*

Innumerabilibus tormentis iam ſuperatis & cruci affixus ab Angelo deponitur & ſanatur.

V. S. Fauſtinus & Iouita.

In mare demerſi ab Angelo ſaluantur.

Officium Romanum & Surius.

Conſimiliam S. Angelis beneficio affecti fuère S. Martyres, Fauſtinus & Iouita nobiles Brixiani: *Nam cum in varijs Italiæ Ciuitatibus, ſub Traiano Imperatore, circumducti, ſæuiſsimis cruciatibus fuiſſent exagitati, tandem Neapoli, manibus pedibusq; vincti, in mare demerguntur: Vnde per Angelum mirabiliter liberati, conſtantia ſua, & miraculorum gloria, innumerabiles ad Chriſti fidem adduxerunt, donec ſub Adriano, ſecuri percuſſi, Martyrij palmam conſequerentur.*

VI. S. Chriſtina Virgo & Martyr. Ado Treuerenſis in Martyrol. 9 Auguſti.

Fas non eſſe arbitror, hoc loco, S. Chriſtinam Virginem & Martyrem præterire, quæ & ipſa ſingulare, ab Angelo Cuſtode, ſolatiũ in Martyrio ſuo eſt indepta. *Hæc enim Vrbani Patris ſui Præfecti, Deos aureos, cõtriuit, & pecunias exinde conflatas, pauperibus diſtribuit; ideoq; Patris iuſſu, colaphis & alapis contuſa, & ferro onerata, in carcerem fuit coniecta. Poſterò die, cum toto corpore, crudeliſsimè dilaniaretur, carnis fruſtum patri in faciem coniecit, & ferinam, erga propriam carnem ac ſanguinem, crudelitatem, ei exprobrauit. Cumque alligata rotæ, igne ſuppoſito, & infuſo deſuper oleo, immani ſpectaculo torreretur, erumpens flamma,*

Digitized by Google

ſtamma, mille gentiles corripuit, & in cineres redegit. Iterum denique in tetricam cuſtodiam compacta, ab Angelo viſitatur, reſocillatur, perfectiſſimeq́; ſanatur. Excandeſcente denique maiorem in modum, Ethnico parente, incredibilis ponderis, ſaxo ad collum eius alligato, in lacum Vulſinum iactatur; ſed iterum, ſoluto ſaxo, ab Angelo eximitur periculo, & liberatur; Tandemq́; gladio, Martyrij curſum conſummans, cæleſte brauium comprehendit.

Ab Angelo curatur, & à ſubmerſionis diſcrimine præ eruatur.

Non aliter Illuſtriſſimi Martyres, Paulus & Iuliana, qui apud Ptolemaidem prænobilem Martyrij agonem ſuperârunt, incredibilibus tormentis iam exantlatis, cum ferreis vinculis onerati, ligneisq; cyppis iniecti, inedia emacerati, in carceres detruderentur, Angelico ſolatio recreati fuêre: *Cum enim media nocte*, inquit ſcriptor eorũ vitæ Simeon Metaphraſtes, *Martyres Deum precarentur, lux quædam magna effulſit in carcere, & Angelus coram illis ſtetit, eisq; dixit: Paule & Iuliane, ſerui Dei altiſſimi, ſurgite & Deũ orate. hæc cum diceret Angelus, ad eos acceſſit, ac ſtatim inſtrumento, quibus colla eorũ conſtricta erant, tetigit, ſtatimq́; tàm illa, quàm reliqua vincula ferrea, & lignea confracta, de iuſtorum Martyrum corporibus exciderunt. Duæ autem ſedes, pannis ſtratæ, & menſa coram illis illicò appoſita eſt, omnigenis ferculis plena; eisq; Angelus dixit: Venite requieſcite, cibum ſumite, quẽ miſit vobis Ieſus Chriſtus. Paulus verò, & Iuliana ea re lætati, diſcubuerunt. Cumq́; panem ipſum, in manus ſumpſiſſent, & oculos in cælum erexiſſent, Deo gratias egerunt, & cibi participes facti ſunt. Viderunt autẽ carcerũ cuſtodes, lucem illam magnam; cumq; ad eos repentè introiuiſſent, quod factum fuerat, didicerunt, ipſos inſuper comedentes, & hilares factos viderunt. Itaq; cum illis recumbentes, & ipſi comederunt, Deoq́; laudem & gloriam dederunt, qui talem gratiam, filijs hominum contuliſſet; ita vt pleriq́; ex illis, Deo crediderint, & Chriſtiani euaſerint.* Ecce quot beneficia vel ex vna Angelica viſitatione. *Nec multò poſt, cum Iuliana in Lupanar, iuſſu Tyranni ducta fuiſſet, ne violaretur; Angelus eam protexit, & quicunq; nefario auſu ad eam accedere tentabant, excuſſo è pedibus puluere, in eorum oculos ita iniecit Angelus, vt illicò excæcarentur, & virginem intactam relinquere cogerentur.*

VII. SS. Paulus & Iuliana.
Simon Metaphr.
S. Angelus Martyres inuiſis ſanat, paſcit, mirificeq; recreat.
S. Angelus protegit Iulianam in Lupanari, ne violaretur.

Haud minoris æſtimandum Angelicum Beneficium, quod præclariſſimo Martyri Procopio, antea Neania appellato collatum, dum ſub Diocletiano & Maximiano, Nobiliſſimam Martyrij palmam, Alexandriæ conſequeretur: Cum enim grauiſſimis tormentis, iam toleratis, vix ſemiuiuus in carcerem raptaretur, *circa mediam noctem*, inquit Metaphraſtes, *magnum terræ motum excitat Deus, in ciuitate, ſtrenuum Athletam, cum Angelis viſitaturus. Aperitur carcer, reorum cathenæ ſoluuntur, Angeli virorum ſpecie ingrediũtur, dicentes: Reſpice Neania; ille verò reſpexit, & vidit; Et quinã eſtis qui adeſtis, placidè interrogauit? Illis, ſumus Angeli à Chriſto, ad te miſſi. Si eſtis Angeli Chriſti, inquit Neanias, genu ei flectite, & ſignum crucis, in veſtris oculis ſignate. Illi autem*

VIII. S. Procopius Martyr antea Neanias.
Sim. Metaphr. apud Sur. Tom. 4.

autem ſic fecerunt. Ille autem ſtatim oblitus eſt, quæ antea ſuſtinuerat, grauiſſimorum tormentorum. Quin etiam poſt ſanctos Angelos, Chriſtus Dominus, humana forma, lucem emittens clariſſimam, eum viſitauit, & cum eum aqua aſperſiſſet, fecit ſurgere, dicens: Non amplius Neanias, ſed Procopius vocaberis: Te ergò fortem & ſtrenuum præbe, proficiens enim proficies, & Patri meo, qui eſt in cælo, numeroſum gregem exhibebis. Prædictionem porrò, euentus luculentiſſimè comprobauit.

IX. S. Mamas Martyr à ſubmerſione liberatur. Sim. Metaphr. in vita. Sur. Tom 4.

Sanctum itidem *Mamantem, Martyrem, cum Aurelianus, diu, tormentis omnibus exagitatum, ſuperare non poſſet, maximoq; plumbi pondere, ad collum eius alligato, in mare præcipitari, iuſſiſſet, Angelus Domini humana ſpecie apparens, in orbem circumiens, terrorem affert eis, qui illum ducebant, eosq; vertit in fugam, & liberatum Martyrem, ducit ad montem, propè Cæſaream, ibique Deo ſeruire iubet;* hæc author eius vitæ.

X S. Vincentius Martyr, ab Angelis curatur. In eius vita. Sur. Tom. 1.

Quàm porrò inſigne ſolatium à S. Angelis reportârit S. Vincentius Martyr, verbis hiſce deſcribit Simeon Metaphraſtes: *Quod itaque Datianus contra S. Martyrem excogitauerat, id ipſum, in ſanctiſſimi viri iucunditatem & gloriam, conuerſum fuit. Terribilis enim & illuſtris Angelorum cohors, illuc acceſſit, athletam curans, & à languoribus eripiens, ac recreans, ita vt locus ille obſcurus, & nocturnæ tenebræ, nouo quodam & admirando lumine illuſtratæ ſint. Repentè igitur cuſtodes experrecti, exiſtimabant, Martyrem ipſum, è carcere aufugiſſe. Illis itaque valde conturbatis, ac metuentibus, dixit vir ſanctiſſimus: Nolite, quæſo, milites, turbari, & clamare, aut metu affici, nunquam enim ego aufugerem, ne repoſitas mihi coronas amitterem: Sed quam celerrimè poteſtis, hùc introite, & videte ſeruum Dei, per Angelicum miniſterium, admirabili quadam conſolatione, recreatum, vt quo loco vos obſcuriſſimas tenebras reliquiſtis, illic cæleſte lumē aſpicientes, gaudeatis.* hæc S. Martyr Vincentius, ad carceris cuſtodes, ſibimet applaudendo & congratulando.

XI. S. Anaſtaſius Perſa. Sim. Metaphr. & venerabilis Beda in vita. A Sanctorū Choro viſitatur, & ab Angelo, incenſum ei datur

De ſancto itidem Anaſtaſio, Perſa Monacho, narratur: *Cum S Martyr matutinos hymnos decantaret, vidit quidam candidatos viros, & pallio, ſacraque veſte, inſtar Pontificum indutos, magnam ex ſe lucem emittere, lucem viſu quidem iucūdiſſimam, ad explicandum autem non facilem, vel potius ad videndum maiorem, quam poſſit humanus aſſequi conſpectus, ſanctum virum in orbem circumdantes. Et S. Martyr eundem, quem illi, ſplendorem, accipiebat. Deinde quidam adoleſcens, ſpecie & pulchritudine eximius, ſuſpenſum, dextra geſtans thuribulum, in magna, quæ erat circa ipſos, Angelorum gloria, ſtabat ante Martyrem ſuffumigans.* Sic ſancti Angeli, inuincibilem athletam honorârunt.

XII. S. Sebaſtianus Martyr. In Martyrol. & Sur. To 1.

Non eſt, mihi credite, vllum obſequij genus, quod S. Angeli in cohoneſtandis & honorandis ſanctis Martyribus, vnquam omiſerint. De ſancto enim Sebaſtiano, ſcribunt venerabilis Beda, & Vſuardus, *cum*

Chriſtia-

Digitized by Google

Chriſtianos, ob fidei confeſſionem, in vincula coniectos, ad martyrium animaret, indutus clamyde, accinctus baltheo, ſubitò per vnam ferè horam, ſplendore nimio de cœlo veniente, perfuſus eſt, & ſub ipſo ſplendore, pallio candidiſſimo, ab Angelis ſeptem candidiſſimis amictus; apparuit iuuenis ante eum, dans ei pacem, & dicens: Tu ſemper mecum eris. *Ab Angelis ſplendida veſte induitur.*

Sancto itidem Demetrio Martyri, *cum iuſſu Maximiani Tyranni, in fœtendiſſimum carcerem detruſus eſſet, apparuit Angelus, eius capiti coronam imponens, ac dicens: Pax tibi, Chriſti Athleta: Eſto fortis, & te virum præbe; qua conſolatione, ad futura tormenta viriliter fortiterque ſuperanda, ſumma animi alacritate, fuit repletus.* Ad quid integrum eiuſmodi Exemplorum volumen hîc allego? abrumpo, ne extra orbites ferar, & modum excedam. *XIII. S. Demetrius Martyr. Sim. Metaphr. in vita. Sur. Tom. 5. Angelus ei coronam imponit.*

Da mihi quemcunque Dei ſeruum, in quibuſcunque anguſtijs, & preſſuris conſtitutum, S. Angeli patrocinium & aſſiſtentiam implorantem, & ego tibi oſtendam, ab eo præſentiſſimè ſemper adiutum. Si ergo *calamitas* aliqua te premit, ſi *clades* obruit, ſi *hoſtilitas* infeſtat, ſi *tribulatio* vrget, ſi *malum* quodcunque inuadit, ſi *propter veritatem* & iuſtitiam, aut Nominis Diuini gloriam, perſecutionis tempeſtas, in te ſæuit, ſi *Diabolus* omnia, inuidiæ ſuæ tela, & fulmina, in te contorquet, noli animum deſpondere, ad ſanctum Angelum tuum tutelarem confuge, ab ipſo præſidium, opemque flagita, *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno; Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Tecum erit in *tribulatione, eripiet & glorificabit te*, hîc patientiæ victoria, illîc immarceſcibilis gloriæ parta corona. Amen. *Pſal. 90.*

SERMO XVI.

X. Angeli pugnant pro Clientibus ſuis, etiam contra viſibiles, & corporeos hoſtes, & eis victorias atque Triumphos obtinent, & acquirunt.

Factum eſt igitur, in nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum, centum octoginta quinque millia. 4 Reg. 19.

CVM optimus maximus Deus, *hominum & Angelorum Creator*, Angelicæ Cuſtodiæ, humanam imbecillitatem ita crediderit & commendârit, vt quilibet ad imaginem Dei creatus homo, ea protegente, ab omni, tùm inuiſibilium, tùm viſibilium, & corporeorum hoſtium incurſione, propugnaretur, & ab armatæ hoſtili-

tatis impetu defenderetur, quantum in hoc beneficij genere, ſancti Angeli, Clientibus fidei ſuæ commiſſis, præſtiterint, quomodo inimicam vim, illorum ceruicibus imminentem, ſæpius excuſſerint, & profligârint, quàm fideliter pro ſuis pugnârint, quas illis victorias, cõquiſiuerint, quàm præclaris eos Triumphis, creberrimè extulerint, ac nobilitârint; corporalium eorum beneficijs meritò venit accenſendum. Id quod, vt eò felicius, diuina cooperante gratia, effectum detur, aliud nihil, quam ſacræ ſcripturæ, & approbatas Eccleſiæ hiſtorias, euoluemus. Veſter hîc iterum ô ſancti Angeli, honor agitur; fauete igitur, & impetrate Diuinitùs gratiam, conatus noſtros adiuuate.

I. Victoriæ, à Scriptura ſacra numeratæ.
I. Victoria Regis Ezechiæ contra Sennacherib Regem Aſſyriorum.
1. Iniquiſſima Regni Iuda oppreſſio.
2. Rex Ezechias modis omnibus conatur Tyrannidem eius auertere.
3. Rex Ezechias cum Conſiliarijs exhorreſcit blaſphemias Rabſacis.
4. Angelus profligat exercitum Sennacherib vna nocte.

Factum eſt igitur, in nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum, centum octoginta quinque millia. In ſummas propemodum, & extremas anguſtias, redactus erat, pijſſimus Rex Ezechias, cum *Senacherib, Aſſyriorum Rex, pluſquam trecentis millibus armatorum, Regnum Iuda inuaſiſſet, & expugnatis munitionibus, ciuitatibus, victorijs inſolens, trecenta Argenti, & Auri triginta Talenta, Regi Ezechiæ ſoluenda indixit, & ni cum toto Regno ſuo, peſſum ire mallet, actutum ſolui mandauit. Neceſſum itaque fuit, vt* Rex Ezechias, *non ſolùm Regium, ſed & Templi ærarium exhauriret: Et cum vbicunque non ſufficeret, etiam valuas, atque aureas Templi laminas, quas ipſe fabrefieri curauerat, confregit, & in numiſmata redegit; atque vt eius Tyrannidem à populo ſuo auerteret, omnia quæ extorquebat, ad vltimum aſſem numerauit, & exoluit. Qui tamen ingenti cenſu iſto, minimè exaturatus, miſſis legatis, quorum caput Rabſaces, homo blaſphemus, & valde importunus, eum adigere cupiebat, vt ſe, totumque Regnum, omnemque populum, cum arcibus & Ciuitatibus, eius poteſtati dederet & conſignaret.* Et tàm quidem atroces blaſphemias, ſacrilegus *Rabſaces enomuerat, vt non ſolùm, Eliacim, Filius Helciæ, Præpoſitus domus Domini, cum adiunctis ſibi Conſiliarijs atque collegis, verùm etiam ipſe Rex, Ezechias, indignatione commoti, veſtes lacerarent, & ſaccis induti, domum Domini ingrederentur, triſtes & conſternati, donec per Prophetam Iſaiam, de auxilio Diuino, certiores redderentur.* Cum Sennacherib, Regiam Vrbem Hieroſolymam, cum trecentis millibus, partim peditum, partim equitum, obſidione cingere, & expugnare propoſuiſſet, prima nocte, antequam opus aggrederetur, *Miſit Dominus Deus,* iuxta pollicitationem Prophetę, *Angelum ſuum, qui vna nocte, in caſtris Aſſyriorum, centum octoginta quinque millia,* pluſquam dimidiam, Exercitus partem, terribili internecione *extinxit.* Quam ſtragem cum primo diluculo, Sennacherib, Aſſyriorum Rex, conſpexiſſet, ſummo terrore correptus, fugam capeſſens, vſque in Niniuen retroceſſit. *Cumque in Templo, Neſroch, Deum ſuum adoraret, Adramelech & Saraſar, filij eius, percuſſerunt eum gladio, fugeruntque in terram.*

ram Armeniorum, & regnauit Aſarbaddon Filius eius, pro eo. Sic Vrbs Regia, totumque Regnum Iuda, eius violentiam euaſerunt. O inſperatam planè; & ab omni ſæculo inauditam victoriam: ſed cuius opera partam? *Nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum, centum octoginta quinque millia.* Quid magis ſtupendum, quam vnicum Angelum, vnica nocte, nec Rege ipſo Sennacherib, priuſquam illuceſcente die, cæſorum corpora hinc inde diſperſim, iacentia viderat, animaduertente, tantam ſtragem edere, & tot homines, internecioni dare potuiſſe? Et potuit tamen Angelus, & æterna memoria, dignam victoriam, Ezechiæ Regnoque Iuda, ſine ſuorum cæde ac ſanguine acquiſiuit.

Sennacherib à filiis ſuis in fano Neſrochoccidiitur.

Quàm acriter S. Archangelus Michael, Dux Iſrahelitici populi, dum vetus lex & Sacerdotium, adhuc veteri vigore floreret, quot ſignis & prodigijs, eius populi liberationem, contra Ægyptios, vicerit, feliciſſimoq; fine, terminârit, nemo eſt qui ignoret. Potiſſimum verò, cum Pharaonis exercitus Iſrahelem ex Ægypto emigrantem perſequeretur: Tum enim *Angelus, qui præcedebat caſtra Iſrael, conuertens ſe, venit & ſtetit inter caſtra Ægyptiorum & caſtra Iſrael.* Qua ipſa ſtatione, toto quidem noctis tempore, Iſraelem ita tuebatur, & ab Ægyptijs diſterminabat, vt ad ſe inuicem accedere non valerent: nec Ægyptij Hebræis, pro libitu poſſent nocere. Quot obſecro, Angelorum Legiones, *Eliſæum Prophetam*, cingebant, quando Regis Syriæ milites eum vinctum in Syriam abripere, moliebantur? Videbat ipſe, *& apud Dominum exorabat, vt oculi quoq; ſerui ſui, aperirentur, vt & illi, quantis eſſent circundati copijs, videre liceret.* De *Iudith Heroina* præſtantiſſima, quid dicam? Annon Angelo Duce & adiutore, ſuperbiſſimum vicit Holofernem, eiusq; deſectis ceruicibus, totum cōfudit exercitum, & ſalua atq; intacta, cum ſpolijs atq; Triumpho, in Bethuliam ad ciues ſuos, bona ſecum noua afferens, eſt reuerſa? Quidquid hîc præclari facinoris editū, ſolius Angeli tutelaris, opera eſt confectum.

II. Michael Archangelus defendit populum Iſrael.
Exod 7.
1. In eductione ex Ægypto.
Exod. 14.
2. Ne caſtra Ægyptiorū filiis Iſrael noceant.
III. Eliſæus Propheta defenditur à Legionibus Angelorum.
4 Reg. 6.
IV. Iudith Angeli ope obtruncat Holofernem
Iudith. 11.

Duas denique celeberrimas victorias, *Iudas Macchabæus*, Angelorum opera, eſt aſſecutus. Eo namque prælio, quo Timotheum ſuperauit, ***quinque in Equis Angeli, aureis excultis armis, comparuêre, quorum duo, Iudam Macchabæum, medium ducentes, defendebant: tres autem alij, ante primam aciem, hoſtes alacerrimè adoriebantur, & eorum cuneos diſſipantes, edita incredibili ſtrage, in fugam adigebant.*** Altero itidem prælio, quo Iudæi contra Lyſiam, dimicarunt, *duo Equites Angeli, auratis armis cataphracti, in aëre, exercitum Iudæ Macchabæi præcedebant*, quorum præſidio, ferocientis Lyſiæ, exercitus turbatis ordinibus, diſperſus eſt, & memorabili clade, proſtratus. Feliciter vbiq; pugnat exercitus Chriſtianorum, vbi ſupremus Dux & Archiſtrategus,

V. Duas percelebres victorias Angelorum ope Iudas Maccabæus obtinuit.
2. Mach. 10.
2. Mach 11.

Digitized by Google

Angelus Domini aciem inſtruit; hoſtes aggreditur, validis impreſſionibus retrocedere compellit, ac tandem ſupe.ior euadit.

II. Victoriæ ex hiſtorijs.

I. Pugnant Angeli pro Conſtantino contra exercitum Maxentij

Euſeb. lib. 1. vita Conſt. Baron To. 5. Annal. Ann. 312. Ex orat 2. Panegyrica ad Conſtant.

Parati ſunt Angeli, vt pro ſuis pugnando Clientibus, victoriam acquirant; Cuius rei mirabile exemplum ſuppeditatur in geſtis Conſtantini Magni: *Nam cum is, in Italiam contenderet, vt Maxentij Tyranni crudelitatem, à populi Romani ceruicibus abarceret, contra eius validiſsimum exercitum, pro Conſtantino, viſi ſunt Angeli ſancti, propè Taurinum dimicare, cuneos hoſtiles diſsipare, totum exercitum, turpi fuga terga dare, & exercitui Conſtantiniano, per anguſtos alpium fauces, ingreſſum reſerare.* Luitprandis Ticinenſis author eſt, S. Wenceslaum, Bohemiæ Ducem, Carſinenſium Principi, Bohemiam, cædibus & rapinis, miſerandum in modum affligenti, cum exercitu inſtructiſſimo, obuiam prodiiſſe, & vt multorum cædibus parceretur, ſingulare certamen, ſine omni trepidatione, obtuliſſe: *Vbi ergo ad manus ventum, Angeli apparuêre, qui Wenceslao, arma miniſtrabant. Quo viſo, hoſtis veniam petijt, & ea obtenta, cum pace & ſatiſfactione, Wenceslai, abſceſſit, & ſanctum Principem, ſummo deinceps honore, & reuerentia eſt proſecutus.* Aimonius teſtis eſt, adſtipulante Baronio, quando grauiſſimi belli incendium, inter Clotharium filium Regis Chilperici, & inter Theodebertum ac Theodoricum fratres, exarſerat, & omnia incendijs, rapinis, cædibus, loca vaſtarentur, cum Campeſtri prælio, de rei ſumma tandem decertandum eſſet, *viſus eſt Angelus Domini, euaginato gladio, à parte Theodeberti, ac Theodorici, contra Clotharij exercitum pugnare*; Vnde illi, Angelico adiuti præſidio, inſignem admodum victoriam reportârunt.

II. Angeli S. VVenceslao arma contra hoſtem ſubminiſtrant.

lib. 2. hiſt. cap. 14. Bozius li. 5. ca. 1. de ſignis Eccleſiaſticis

III. Angelus euaginato gladio pugnat pro Theodeberto & Theodorico fratrib. lib. 3. de geſtis Franc. c. 87. Baron. To. 8. Ann. 601.

IV. Victoria Theodoſii cõtra Perſas. Niceph. lib. 14. cap. 21. Socr. lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 18.

Mirabilis eſt victoria, quam Theodoſius Imperator, vnà cum tota Ciuitate Conſtantinopolitana, ope, auxilioq; Sanctorum Angelorum, à Perſis acquiſiuit: Rem vt geſta eſt, ſic enarrat Nicephorus cum Socrate: *Cum mortuo Iſdogorde Perſarum Rege, qui Chriſtianos in Perſia, minimè perſecutus fuerat, ſed conniuendo quaſi tolerârat, Filius eius Baratanes, Chriſtianis infenſiſsimus, in Regno ſucceſsit. A quo itaque cum fideles diriſsimè exagitarentur, è Perſia profugos, & exules, ac bonis omnibus ſpoliatos, pijſsimus Imperator Theodoſius, in patrocinium ſuum recipiebat. Baratane porrò profugos repetente, nolebat Imperator, innocuum Chriſtianorum gregem, Tyranni, Leonis inſtar ferocientis, rictui obiectare. Vnde Perſa Baratenes, omne robur ſuum, in Theodoſium conuertere decreuit, & pluſquam trecentorum millium exercitum, in ditiones Cæſareanas, eduxit: Quoniam verò,* vt loquitur Nicephorus, *fidem in Deo habebat Imperator, è veſtigio illius beneficentiam eſt conſecutus, quod ex eo factum eſt, manifeſtum: Cum Conſtantinopolitani anxij eſſent, & dubium belli euentum hæſitabundi expectarent, Angeli Dei, cira Bythyniam, ijs, qui Conſtantinopolim, neceſsitatis ſuæ gratia, proficiſcebantur, apparentes, nunciare iuſſerunt, vt bono animo eſſent, & ſe-*

& ſedulò precarentur, Deoque fiderent, victuros eſſe Romanos; ac ſimul addiderunt, eſſe ſe belli huius Diſpenſatores, à Deo miſſos. Hoc audito, non ſolùm Ciuitas confirmata eſt, ſed & milites facti ſunt confidentiores. Quibus promiſſis, exitus etiam reſpondit: Nam Romani Perſas, in ciuitate Niſibenorum, obſederunt, & tantum eis Deus, ſubitò incuſſit timorem, vt Romanorum copias, de repentè, in ipſos irruiſſe exiſtimarent. Et cum inter ſeipſos tumultuarentur, & non haberent, quò aufugerent, ipſi ſe armatos, in fluuium Euphratem, præcipitarunt, in quo homines circiter centum millia ſubmerſi ſunt. Sic numeroſiſſimus ille exercitus, Deo pro Theodoſio, per Angelos, militante, diſſipatus eſt, & Romanis victoriam, ab omni hominum memoria celeberrimam tranſmiſit. Illuſtris hæc victoria, cui nam alteri, quàm ſanctis Angelis adſcribenda? Quàm fideliter, quod antea promiſerant, ciuibus Conſtantinopolitanis, tandem præſtiterint, euentus ipſe comprobauit. Venit enim Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Perſarum, haud pauciora millia, quàm olim in exercitu Senacherib, Regis Aſſyriorum.

V. Angelus in forma Paſtoris ducit exercitum Theodoſii. lib. 7. cap. 23.

Scribit rurſum Socrates, de Ioanne Tyranno, Hunnorum potentia freto, occupata iam Rauenna, Imperatori Theodoſio rebellante: Hæc eius verba: *Aſpar Filius Ardaburij, cum & Patrem à Tyranno comprehenſum, & infinitas barbarorum copias, ad auxilia Tyranno facienda, acceſſiſſe, certior factus eſſet, omninò incertus animi erat, quid ageret. Itaque preces pij Imperatoris, illo tempore, rurſum plurimum momenti habuiſſe, conſtabat: Nam Angelus Dei, in forma & habitu paſtoris, Ducem itineris, Aſpari ſe præbuit, per ſtagnum Rauennæ adiacens, (in ea namque Ciuitate Tyrannus morabatur) copias eius deduxit, quà via, nemo vnquam iter feciſſe commemoratur. Deus igitur, qua tranſiri non poterat, tranſitum Aſpari patefecit. Ille tum copijs per ſtagnum, cuius aqua, diuina ope penitus exhauſta fuit, traductis, portas ciuitatis, quas apertas offendit, ingreſſus, Tyrannum oppreſſit.* Hæc Socrates, de victoria inſigni Theodoſij Imperatoris pietate, per ſanctos Angelos, obtenta.

VI. Elesbaan Æthiopum Rex ope S. Archangeli Gabrielis vincit Dunaam Tyrannum Apoſtatam. Ex actis Arethæ Mart. Bar. Tom. 7. Anni 523.

Nec minus ſuſpicienda eſt, præclara illa victoria, quam imperrante, & ſimul adiuuante Iuſtino Imperatore, Chriſtianiſſimus Æthiopum Rex, Elesbaan, contra Tyrannum Apoſtatam, Iudæum Regem Dunaam, qui innumeram Chriſtianorum Nomeritarum multitudinem, innocentiſſimè, & ſine omni culpa, trucidârat, Deo, per ſanctum Gabrielem Archangelum, adiuuante, obtinuit. *Cum enim, vnà cum ſocijs, omnibus, ſacra prius ſynaxi refectis, Diuinum auxilium, per interceſſionem ſancti Gabrielis Archangeli, quem impenſius colebant Æthiopes, inuocaſſet, vox è cælo inſonuit: Gabriel, Gabriel, Gabriel: Qua audita, Chriſtiani bellatores, mirificè conſortati, hoſtes viriliter adorti, manus cum ipſis conſeruerunt, ordines eorum primo impetu*

diſſiparunt, totum exercitum deleuerunt, & Regem Dunaan vinculis & catheris inuexum, in Triumphum abduxerunt.

VII. S. Angelus pugnat pro S. Heinrico Imperatore.

In eius vita cap 4.

Nec moleſtum erit accipere, quid hac in parte, S. Angelus, Heinrico Imperatori, ſanctiſſimo Principi præſtiterit, cum ab innumera Sclauicarum gentium multitudine, Romanum Imperium infeſtaretur. *Innocato namque ſuper ſe, nomine Domini*, inquit eius vitæ ſcriptor, *ſancto Angelo & ſanctis Martyribus, Laurentio, Georgio, & Adriano, ſeſuumque exercitum protegendum commiſit. Et cum omnes, perceptione corporis & ſanguinis Domini, confortati fuiſſent, ad locum certaminis venerunt. Vbi cum Rex beatus, verbis exhortatorijs, ad viriliter agendum, ſingulorum animos erexiſſet, videns innumerabilem aduerſariorum multitudinem, ad Dominum clamauit, & ait: Deus qui conteris bella, ab initio, eleua brachium tuum, ſuper gentes, quæ cogitant ſeruis tuis mala. Diſperge illos in virtute tua, & deſtrue eos, protector meus. Pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Hæc dicens, aperti ſunt oculi eius; & vidit glorioſos Martyres, Georgium videlicet, Laurentium & Adrianum, cum Angelo percutiente, exercitum ſuum præcedentes, & hoſtium cuneos ad fugam propellentes; Et ſicut exercitus Sennacherib, ab Angelo percutiente contritus eſt: Ita & omnis iſta barbarorum multitudo, virtute Dei, per Angelum conterrita, proiectis armis, ſine effuſione ſanguinis Chriſtianorum, fuga præſidium quæſiuit. Quo viſo Rex ſanctus, eleuatis oculis ac manibus, in cælum benedixit Deo cæli, & ait: Benedico te Rex cæli & terræ, qui ſuperbis reſiſtis, & humilibus das gratiam: Qui cuſtodis diligentes te, & glorificatus es in gentibus, propter datam nobis de cælo victoriam.* hæc ſcriptor vitæ S. Heinrici, qui victis barbaris, aliud nihil, quàm ſuaue iugum Chriſti, imponere tentauit, vt per fidem & Baptiſmum, eius corpori, quod eſt Eccleſia, militans in terris, tanquam viua membra, protinus aggregarentur.

VIII. Angeli in albis equis pugnant pro Alphonſo Congi Rege. Lib. 3. de geſtis Emanuelis Regis. Bozius lib. 3. de ſignis Eccl cap. 1.

Priorem hiſtoriam meritò excipit alia, quam hiſce verbis Hieronymus Oſorius deſcribit: *Congenſe Regnum, Anno Domini, milleſimo quadringenteſimo, octuageſimo quarto, Luſitanorum claßibus, eſt exploratum. Cumque Chriſto Rex nomen dediſſet, vnà cum multis ſuorum, victoriam mirabiliter, de quibuſdam rebellibus, vexillo crucis educto, in prælium reportauit. Ioanni nomen huic Regi fuit. Eo defuncto, filius natu maior, Alphonſus, ſequebatur; minor, à Chriſtianiſmo erat alienus. Quocirca in certamen, acquirendi Regni venerunt. Innumeri qui nondum Chriſtum colebant, natu minorem ſequebantur, & maximas copias, aduerſus alterum, paucis ſtipatum militibus, conficiebant. Ventum tandem ad pugnam, initum vix erat prælium, & ecce Chriſti hoſtes, in fugam ſe protinus, ſubito pauore correpti dederunt. Dux exercitus hoſtilis captus, palàm confeſſus eſt, ſe magnam militum copiam, albis equis inſidentium, & crucibus inſignitorum, ac ſolis inſtar ſplendentium, vt oculos omnium præſtringerent, in prælio conſpexiſſe, eorum*

Digitized by Google

rum metu perterritum, & fugæ ſe cum ſuis omnibus, commiſiſſe. En quàm promptè Angeli ſancti militant pro Chriſtianis.

In Chronico Hiſpaniæ.

Quod ipſum Angelicum beneficium, vt tantò illuſtrius appareat, aliam eiuſdem argumenti, hiſtoriam ſubnecto, ex Ioanne Vaſæo: *Comes quidam Garſias, antequam cum Saracenis pugnam iniret, vnà cum Ferdinando Antolino, Regni Caſtellani Protectore, & Religionis Catholicæ acerrimo propugnatore, templum ingreſsi erant, ad audiendum ſacrum. quo finito, Comes quidem Garſias egrediebatur; at Ferdinandus remanebat in templo, etiam ita Orationi intentus, vt nihil eorum, quæ circa ſe gererentur, perciperet. Serui interim foris, egreſſum eius præſtolantes, murmurare, & moræ huius cauſſam, non, vti reuera erat, pietatem, ſed vanum timorem interpretari. Sed Deus inſigni miraculo, cultoris ſui innocentiæ, patrocinatus eſt: Angelus namque tutelaris, aſſumpta eius Perſona, tàm ſtrenuè partes ipſius, in ipſo conflictu geſsit, vt ampliſsima de hoſtibus reportata victoria, ipſi ſoli accepta, referretur.* hæc ex Vaſæo. Sic nunquam infeliciter pugnat exercitus, quem Angelus Domini, in hoſtem ducit; nec amittitur victoria, pro qua, tàm fortis heros, Angelus laborat.

III. Hoſtoriæ moderni temporis

I. Victoria prope Pragam.

R. P. Hieremias Drexelius in Elegantiſſimo Angeli tutelaris Horologio, hora V. Noctis c. 2.

Præcedentibus, duas alias ſubnecto, noſtri temporis hiſtorias, ex quibus facilè conſtabit, quantum opis & auxilij, tum Inuictiſſimus Imperator FERDINANDVS II. & Ser.mus Bauariæ Dux & Elector, MAXIMILIANVS, tùm Dominus Comes TILLIVS, & alij præclariſſimi Heroes, in acquirendis tot famoſiſſimis victorijs, hauſerint, è Sanctorum Angelorum præſidio, atque tutela, nolo meis quidquam verbis, proponere, ne fingere videar, ex muſca Elephantum; is loquatur, qui totam rei ſeriem accuratiſſimè deſcripſit: *Cum* inquit, *Sereniſsimus Boiorum Dux* MAXIMILIANVS, *Anno M.DC.XX. in Rebelles Bohemos, bellum moueret, non procul Bilſnam in vili pago (Lithiz ei nomen) per aliquot dies caſtra habuit, hoſte ſatis vicino, & ad inſidias variè procurrente. multis fruſtra tentatis noctem vnam, quæ opportunior viſa; delegit ſibi hoſtis, forſan non minimam cladem illaturus. ſi inferre illi tàm conceſſum, quàm deſtinare. mens erat Ser.mum* MAXIMILIANVM *Ducem, & omnem illic militem, vi repentina opprimere; & vt cruenta hæc fraus certiore iret ſucceſſu, ſelectiſsimos quoſque milites, ad ſigna euocabant primipili. ibat agminis caput, quod & belli, Fridericus, quondam Elector Palatinus, cuius Regiam dignitatem, annuum magiſtratum fuiſſe, euentus docuit: Ibat Dux Anhaltinus, ibat & Ducis Anhaltini Filius; ibant præſtanti animo, & numero; Duces complures, cum ſuis quiſque ſelectis copijs. Primum agmen, Comes ab Hollach, ducebat, coniunctis ex omni turma, ſelectis equitibus & Moſquetarijs, vt eſſent mille trecenti. hos Vngari, illos*

Apparatus hoſtium, ad opprimendũ Sereniſſimũ Bauariæ Electoris exercitum.

illos Auſtrij, iſtos alij atque alij ſequebantur. Principis Anhaltini Filius (qui hæc ſua manu conſcripſit) Regem proximus antecedebat. Hi omnes caſtris ſuis, horâ ſeptimâ, primæ noctis, cæperunt egredi. Decem millium inſidioſa hæc phalanx fuiſſe creditur. Euntibus nox fauebat Ser.mum Ducem MAXIMILIANVM, locus non defendebat, nec adeò numeroſus, puto, miles, qui hoſti par eſſet vigilabat: vigilabant tamen pro eo inſomnes Angeli, qui, (quod ipſis facilè) confuſiſſimum hoſtem, & iam inſidias metuentem, quas ſtructurus venerat, in caſtra repulerunt, re non tantùm infectâ, ſed nec quidem incepta. Triplex hoſti obiectum impedimentum; Primùm, à via aberrârunt, qui apud illos viæ Duces peritiſſimi habebantur: facillimum eſt errare, cum Angeli ſeducunt. Alterum; tantæ viarum anguſtiæ occurrebant, vt vniuerſum agminis ordinem turbârint & ſoluerint. Tertium, terror planè Panicus, viam omnem coegit relegare. nam eæ, inter Vngarorum præſertim ordines, ortæ ſunt turbæ, vt hoſtem, quem quæſiuerant oppreſſuri, iam fugerent, velut proditi perditique. Atque hæc, vel ipſorum hoſtium teſtimonio vera eſſe comperta ſunt. nam omnia, quæ narraui, Principis Anhaltini Filius, Gallico idiomate, accurratè perſcripſit, ſed in vltimo prælio, & ipſe, & bellici ipſius commentarij, ſunt capti.

Angeli diſturbant & confundunt hoſtiles inſidias

Duces à via aberrârunt.

Viarum anguſtiæ.

Panicus terror hoſtium.

Attexo narrationem, (in rem ipſam iudicij, partes mihi non ſumo) & duorum colloquium, quo pronum ſit opinari, in vltima dicti anni, & decretoria pugna, milites è cælo ſuppetias, adueniſſe, & luculentam opem tuliſſe Catholicis ſignis. Non ita diu, poſt memorabiliſſimam illam, cæſis rebellibus, victoriam, Auguſtæ in eodem hoſpitio, conuenerunt, miles vnus Religione Catholicus, & gente nobilis, alter Dux belli, è VVittembergia oriundus, qui rebellium Bohemorum caſtra ſequebatur. Hic miles: quæſo, inquit, ſtrenue Domine, fas mihi ſit quærere, quî tandem fieri potuerit, vt omnis adeo animus, in pedes vobis conciderit? Annon vobis æquè ac Catholicis, copioſus exercitus? Annon vobis locus, multò æquior, quàm Catholicis? Annon penes vos Morauî equitatus robur? Annon vos tormentorum curulium numero, illic loci, ſuperiores? annon feſſum Catholicorum agmen, vos iam, diſpoſita per quietem acie excepiſtis? annon vobis à tergo vrbs munimen? vicinum palatium, ſtella nomine, propugnaculum? Vnde ergò Catholicis victoria, vobis fuga? Ignoſcat mihi, Domine, tuus genius, pœnè auſim dicere, feminæ fuiſtis, quia noluiſtis vincere. Audijt hæc è VVittembergia militiæ Dux, Et: ſi finiſti, inquit, quæ in nos promere volebas, & me audi. Pugnæ ratio hæc fuit: Nos nec noſtras, nec hoſtium vires ignorauimus; quis vtrimque numerus eſſet, legionum, ſciuimus, & ita equitatum equitatui, turmas turmis, legionem legioni, oppoſuimus, prout licuit; certè hic Ducum nec induſtria poteſt accuſari, nec prudentia: arma cum hoſte nobis paria fuerunt; locus, fateor, nobis æquior fuit, ac opportunior quàm hoſti; ex edito pugnabamus, in ſubeuntes. Sed & alia, non nego, Bohemorum parti, contra Bauarum militem fauebant. Ideoque victoriæ iam ferè certi, non ſicut illi, diu deliberandum,

Confeſſio Ducis hoſtilis exercitus.

de

de ineundo conflictu cenſuimus; ère noſtra eſſe, viſum eſt plerunq; omnibus CONFLIGERE: At verò poſt aliquod pugnæ initium, noua nobis ex aduerſo, caſtra ſtare, gens incognita, & nunquam viſa, ſe opponere, legio ſe oſtendere, de qua nihil vnquam nobis innotuit. Hic, mihi crede Domine, ea omnium animos inuaſit conſternatio, vt nemo, niſi fugam cæperit circumſpicere, nec eſt quod quis adeò id nobis vitio vertat: ipſi equi ſtabant & tremebant, mox partes noſtræ labare, dein multum inclinare, inde ruere, demum omnes apertiſſimè fugere, & ſanè plures è noſtris, in fuga cæſi, quàm pugna.

In Pragenſi Victoria Angeli velut ingens exercitus terrent hoſtes & in fugam compellunt.

Et quæ autem hæc inuiſa fuit legio, quæ acies illa incognita, quæ noua caſtra? nos qui præſentes fuimus, vetera nouimus, non noua hæc, niſi ea fuerint è cælo: certè nullus militum è formidanda, & fulminatrice hac legione, ſtipendium à noſtris Ducibus vllum exegit. Si Angelos à non nemine noſtrorum viſos, pro nobis pugnaſſe dicamus, nimium in rem noſtram, honorificè locuti videbimur. Sed ſuum hoſti teſtimonium, non refutamus: nobiliſſimum veritatis argumentum eſt, quod aduerſarius ſuppeditat;

——fas eſt, & ab hoſte doceri.

Angeli ſancti etiam à Catholicis nonnullis viſi.

Addo tertium & recentius *Anno M.DC.XXII. Durlacenſis Marchio, Georgius Fridericus, contra Bauaricam aciem, ad Neccarum flumen, inter Wimpfſen & Hailbrun, ſe oſtendit, magnis copijs, nec minoribus minis. nam prædam (vti fertur) à ſe Monachij in foro breui diuidendam ſpondebat. Bauariam certè omnem, bonus Marchio, ſpe iam deuorabat, nec vires deerant, miles ei copioſus, multorum millium cenſebatur. Atque hic illius exercitus planè inſtructiſſimus fuit, ab omni apparatu bellico. Tormenta curulia, & maiores balliſtas, grandi numero ſecum aduexerat. Fuit qui vbi hæc omnia oculis ſpectâſſet, dicere non eſt veritus: ad vrbem Pariſiorum oppugnandam, hunc talem apparatum ſatis futurum. Ita Marchio hic Poliorcetes dici potuiſſet, ſi eius ſucceſſus, perinde reſpondiſſet.*

II. Victoria contra Badenſem Marchionem.

1. Inſignis apparatus hoſtilis exercitus.

Porro Catholicum agmen, gemino, ſed non adeò numeroſo conſtabat milite, Bauaro & Hiſpano, illi TILLIVS *Supremus Dux, virtute ſua, nec vnâ victoria, orbi iam notus; huic* CONSALVVS CORDVBA *præerat. Et vt partes Catholicæ, vel ante pugnam vincerentur, metu ijs pridie commiſſi prælij, Durlacenſis miles, victoriæ iam certus, nunciari iuſſit: operirentur modò diem craſtini, cæſum iri ad vnum omnes, & nec nuncium cladis euaſurum.*

2. Exercitus Catholicorū hoſtili numero & viribus inferior.

*Ergò pridie Nonas Maias, poſtridie Aſcendentis Domini, in cælum vtrinquè velitationes præmiſſæ, conſueta prælij exordia, inde conflictus cæpit, acer, vehemens, cruentus, & qui ad ſex horas tenuit. Diu anceps ſtetit victoria: Demum ex equeſtrium numero, vnus, vnde vnde, aduectus, (*ALBATVM EQVITEM*) dixêre, quod equo candido niueoque ſit vſus, initium fecit victoriæ, à parte Catholicâ, ſtaturæ. Admiranda in hoc equite fuerunt, complura. Primum illud: Equus ei non ſolùm niueus, ſed adeò pernix, & Pegaſeus, vt hoſti non tàm currere, quàm volare*

3. Angelus Eques in equo candido.

4. In eo multa admiranda.

lare crederetur. Alterum: in hunc vnum equitem, plures quam quadringentæ plumbeæ glandes, conuolabant; ſed nec vlla tetigit. Tertium, auſu incredibili hoſtilem aciem, omnem præteruectus, à tergo hoſtium, puluert pyrio, ſubijcit ignem. Atque ita victoriæ nobiliſſimæ prælusit. Nam vbi hoſtes, volantem à tergo flammam, viderunt, velut feræ indagine clauſæ, collapſis metu animis, ad fugam animârunt pedes.

5. Hoſtium confuſio.

Sed vindicem Numinis iram non effugerunt, eoque tunc numero ſunt cæſi, vt campi cadaueribus ſtrati, lugubri ſpectaculo docerent, inſultantem ſuperbiam, detumuiſſe, minas recidiſſe in auctorem: non armis, & viribus fidendum eſſe, ſed DOMINO EXERCITVVM, cui ludus eſt, vel Xerxianas copias, vnico è ſuis milite, debellare. Qui verò facinoris illius animoſiſſimi auctorem ſe ferret, qui vnà cum equo illo candido, duci ſe ſiſteret, qui præmium poſceret, nullus fuit.

Hæc mihi viſa ſunt, ſilentio non inuoluenda, quæ ipſorum hoſtium teſtimonijs ſunt firmata. De re, plura ego non diſputo, nec aduerſariorum narrationem conuello, quæ ſi è ſolido vera eſt, facilè liquet ALBATVM illum, vt vocabant, EQVITEM, fuiſſe Angelum, qui Catholico Exercitui aſpectabilis, venerit ſuppetiatum.

Angelis certè, nihil noui, militiæ, gratuitis ſeruire, ſtipendijs, felicia caſtra, quæ vel vnico tali gaudent milite? & quantam olim nocte vna, Angelus vnicus, in caſtris Sennacherib Regis, ſtragem edidit, pœnè ducenta millia hominum iugulauit vnicus talis, è cælo Archiſtrategus. Atque huius ipſius Angeli, qui Aſſyriorum caſtra, tantis funeribus oppleuit, fuſilem è cera ſtatuam, ante mille ducentos, & amplius annos, Chryſoſtomus ſpectauit, non ſine ſuaui ſenſu, & pijs lachrymis.

Orat. quod vet. & noui Teſtamenti, vnus ſit legiſlator.

Ita pace belloque Angeli, ſuam nobis probant obedientiam, & inuictum robur; neque tantum Scipionem ferunt, vt peregrini, ſed & clauam, vt milites, & Duces; pacem offerunt & bellum, vti olim Q. Fabius Carthagine in curia, ſinu è toga facto: PACEM, inquit, ET BELLVM PORTAMVS, VTRVM PLACET. Pacem ferunt Angeli, Hominibus bonæ voluntatis; bellum rebellibus. Hæc omnia ſuis verbis Hieremias Drexelius, Societatis Ieſu Theologus, & Concionator inſignis.

III. Aduerſæ partis hominum confeſſio de vtraque victoria.
1. Victoria prior.
2. Victoria poſterior.

Audiui & ego, nō vnum, ſed plures, tùm Chiliarchas, tùm Centuriones, & Equitum Magiſtros, & alios viros Nobiles, hæreticos tamen, partim Lutheranos, partim Caluinianos, qui eadem in priori victoria, de incognitis Exercitibus, quos antea nec viderant, nec aliquid de illis audierant, palàm conſpectis memorare: Immò ſibi viſum fuiſſe, totum, quàm latè in circuitu patebat, Horizontem, Equitibus, contra ipſos, in acie ſtantibus, refertum extitiſſe, vnde tantus inter eos pauor, & formido, rem ſtrenuè gerendi, occaſionem præcidiſſet.

De altera porrò victoria, qui interfuerant, ſanctè affirmabant, vidiſſe ſe incognitum illū Equitem, fulgenti & albicanti armatura cataphractum, cum rubea cruce in pectore, medios Durlacenſis Marchionis Caluiniani,

Digitized by Google

uiniani,cuneos penetrantem,ſine omni impedimento. Et licet Moſquetarij,quos vocant iaculatores,innumerabiles contra eum glandes intorſiſſent,gladium tamen,in crucis formam,ſtringendo,illæſum perueniſſe ad locum,vbi currus ſulphureo puluere onerati,aculeatæ machinæ,& ſimilia bellica inſtrumenta,ab hoſtibus aſſeruabantur,ibiq; ſclopetum,vti videbatur, exoneraſſe, incenſoque puluere tormentario,omnes illas Machinas,incredibili cum hoſtium ſtrage,in aërem diſieciſſe. Quo territus Equitatus,cũ Duce ſuo Marchione Badenſi,fuga dilapſus, peditatũ, Hiſpanico & Bauarico gladio,internecione delendum,cõmiſit. De prælio cum Brunſuicenſi Duce Chriſtiano, vbi vltra decem millia peditum capta,de certamine cũ Rege Daniæ,anno ſuperiori ſuſcepto, ante quod nocte præcedenti,igneus in aëre gladius,acumen Danis, capulum Cæſareanis obuertens, victoriæ omen & prænuncians,apparebat, in quorum vtroque *piiſſimus ac feliciſſimus, æternaq; memoria dignus Heros*, COMES TILLIVS, præclariſſimas,cum ingenti,hoſtium detrimento, victorias reportauit,multa hincinde ſtupenda,etiam ab hoſtibus ſparguntur,quæ certè aliud nihil,quam præſentiſſimam Dei, & Sanctorum Angelorum, prodigioſam aſſiſtentiam, & auxilium important. Nos alijs eiuſmodi Myſteria,publicæ inuulganda notitiæ, committamus. *IV. Victoria cõtra Brunſuicenſem Ducem & Daniæ Regem.*

Et vos ô ſancti Principatus,& Archangeli Germaniæ,dilectæ patriæ noſtræ,vnicè obſecramus,vt vtrique Imperatorio Exercitui,quibus hactenus fidelem induſtriam impendiſtis,vlterius aſſiſtere,*perduelles Imperij humiliare*,*Caluiniſmum eradicare*, *Catholicam Religionem*, in Septentrione plurimum labefactatam,*reſarcire*, ac priſtino vigori reſtituere, publicam patriæ pacem ac tranquillitatem inſtaurare,ne omittatis. Amen.

SERMO XVII.

Beneficia ſpiritualia, quæ nobis à ſancto Angelo Cuſtode conferuntur,in genere conſiderata.

Angelis ſuis mandauit de te,vt cuſtodiant te,in omnibus vijs tuis. Pſal.90.

MAGNI Principes & Reges, in aulis ſuis conſtitutos, ſtipendijs alunt, Eleemoſynarios pauperum, Aduocatos, pupillorum & orphanorum Patronos, qui neceſſitatem patientibus, ope conſilioq;, abſq; mineruali, & ſine omni ſolatio ac mercede, ſolo Dei intuitu, ſuccurrant. Quis me falli dicet, aut decipi,ſi in Aula cæleſtis Monarchæ, S. Angelos,eiuſmodi afflictorum cauſſas,agere, & Patrociniũ obire auſim palàm affirmare? Res tàm eſt indubitata, vt

Digitized by Google

præcipui Theologi & vere, nec abs ratione ſentiant, quæcunque à Deo impetramus beneficia per manus Angelorum, nobis conferri, plenoq́; copiæ cornu communicari, cum ratum ſit ac certum, Angelos à Deo, pro nobis depoſcere, quidquid ſalutis noſtræ promotionem concernit. Quod ſi ea impetrat Angelus, fideliſſimus vtpote Numinis Diuini ſeruus, haud dubiè impertiet ijs, pro quibus à Deo obtinuit, & impetrauit. Nos itaque decurſis iam corporalibus eorum beneficijs ſpiritualia ſimiliter aggreſſuri, de illis primùm in genere, pauca præfabimur; ac deinde, ſi non moderno ſermone, ſubſequentibus tamen, ad aliquot ſaltem particularia, deſcendemus. Vos dilecti mei auditores, vt Angelorum beneficia gratanter acceptatis, ita eorum laudibus, libenter auſcultate.

I. Angelorũ actiones variæ, circa ſpiritualia beneficia & in primis purgatiuæ, illuminatiuæ & perfectiuæ.

Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te, in omnibus vijs tuis, non ſolum quà corporis, ſed & animæ potiſſimum neceſſitates, id poſtulant & requirunt. Hæ autem cuſtodiæ Angelicæ actiones, ad duo capita, poſſunt commodiſſimè reuocari. Eorum *primum*, Remotio à malo; *Alterum* promotio ad bonum. Vtræque actiones iſtæ, iuxta triplicem animarum ſtatum, ad tres ſpecies conſtringuntur: *Purgatiuas*, nimirum, *Illuminatiuas*, & *perfectiuas*. Cur purgatiuas actiones exercent? Vt animæ à peccatorum ſordibus emundentur. Cur Illuminatiuas adhibent? vt homo de die in diem, in virtutis via magis magiſquè proficiat, & eò propius, ad Creatorem ſuum, appropinquet. Cur perfectiuas vſurpent? Vt hominem, in Dei & proximi charitate, & intima cum Deo vnione, numeris omnibus, abſolutè perfectum, Dei ſeruum conſtituant, qui nulla penitus à Deo, tentatione ſeparetur.

I. Purgatiuas actiones exercet Angelus Cuſtos. Exod. 19.

Quomodo verò purgatiuis Actionibus ſeſe occupat Angelus Cuſtos? Res adductis inclareſcet Exemplis: In diſpoſitione & miniſterio Angelorum Dominus Deus legem Decalogi, Moyſi in monte Sinai, populo tradidit promulgandam, vt exinde cognoſcerent, quæ cauenda, quæ facienda. Angelus item exprobrat populo Iſrahelitico peccata, in Dei legem commiſſa, dicente ſcriptura: *Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba, ad filios Iſrael, eleuauerunt vocem ſuam & fleuerunt. Et vocatum eſt nomen loci illius, locus flentium, ſiue lachrymarum.* Purgatiuam actionem Angelus Domini exercet; dum Adamum & Euam, flammeo & verſatili gladio, eijcit è Paradiſo, & in vltionem immaniſſimorum ſcelerum, Penthapolim, igne & ſulphure de cælo, exuſſit: Dum Moyſi, propter Filium incircumciſum, mortem intentat; Dum Dauidis ſuperbiam, ob numeratum populum, peſtilentia immiſſa, ſeueriſſimè caſtigat: Dum Herodem impium Regem, diuinitatis Numen & Nomen, ambitioſè ſibimet arrogantem, inuiſibili gladio percuſſit. Purgatiuis actionibus operam

2. Iudic. 2. Gen 3. Gen. 19. Exod. 4. 2. Reg 24. Actor. 12.

dedit

dedit, dum Balaam, ne populo Iſrahelitico, malediceret, deterruit, & ipſius Mulæ fauces, in articulatas voces reſoluit; dum ignito carbone, quem forcipe tulerat, de Altari cæleſti, Eſaiæ Prophetæ, labia emundauit. Eaſdem catharticas operas vſurpauit, dum Philippum Diaconum, vt Candacis Æthiopum Reginæ Quæſtorem, in fide erudiret & baptizaret, mira celeritate de loco in locum tranſtulit: Dum Apoſtolos è carceribus eductos fidem in Chriſtum, & Pœnitentiam, prędicare iuſſit. Dum Cornelium Centurionem monuit, vt Petrum accerſens, ab ipſo fidem condiſceret & ſalutari lauacro tingeretur. Ad eaſdem purgationis actiones, nobis cooperatur, quoties conſcientiæ latebras diſcutimus, quoties Exomologeſi ſacra, peccata expiamus, quoties malas ſocietates declinamus, omnesq; peccandi occaſiones, abijcimus & declinamus. Ecce, quanta ſit illis cura, de nobis, vt in omnibus vijs noſtris, rectè cuſtodiamur. *Num. 24.* *Eſai. 6.* *Actor. 8.* *Actor. 5.* *Actor. 10.*

Quomodo exercet Angelus Cuſtos actiones Illuminatiuas? Quando homines inſtruit, quid agere debeant, vel cauere. Sic Angelus inſtruxit Agar, qua ratione Dominam placare, & ad priſtinum famulitium admitti poſſet. Sic Abrahamo, filium ſuum vnigenitum mactare volenti, Dei voluntatem manifeſtauit. Sic eundem, vt de terra Natiuitatis egrederetur, & inter alienigenas peregrinari non dubitaret ſuauiter induxit: Sic Populum Iſraheliticum lucida nube circumdatus præceſſit, & vbi quieſcere, & quando iter facere deberent, ſignum dedit. Sic vxorem Manue Angelus de ſua, & Filij ſui Sampſonis vita, erudiuit. Sic Eliam, qua ratione, erga nuncios Regis Samariæ, ſe gereret, quid reſponderet, informauit, eundemque in deſerto, laſſitudini ſuccumbentem, pane & aqua refocillauit. Sic Angelus Tobiæ modum præſcripſit, quomodo Dæmoni reſiſtendum, & qua ratione matrimonium piè ſanctéque ineundum, edocuit. Sic Angelus Domini Prophetam Abacuc, ad benefaciendum, non vſque adeò promptum, itineris labore leuauit, & in momento, in Babylonem, ad Danielem, in lacu leonum iacentem tranſuexit. Sic Dæmonis vires, qui maximè proficientibus ſeſe opponit, non rarò coercuit, & edomauit: & alia innumera, Clientibus ſuis, auxilia ſubminiſtrare conſueuit, quibus in omni bono roborentur. Atque vt multa paucis complectar, gerit ſe vt ſpeculum, oſtendens faciei maculas, vt corrigantur, exhibet ſe non rarò vt medicus, infirmo periculum morbi aperiens, non vt pereat ægrotus, ſed vt medicinis ritè vtens, ſanetur & ſaluetur. Et hac etiam ratione, munus à Deo impoſitum, libenter perficit, & Clientes Diuinitùs concreditos, in omni via cuſtodit. *II. Actiones Illuminatiuæ.* *Gen 16.* *Gen. 22.* *Gen 12.* *Exod. 14.* *Iudic. 13.* *4. Reg 1.* *3 Reg. 19.* *Tob. 6.* *Daniel 14.* *Speculum.* *Medicus.*

III Actiones perfectiua. Perficientem, in actionibus ſuis ſeſe exhibuit Angelus Cuſtos, cum paſſim Prophetis futura prædixit, & Regio Vati, *incerta & occulta ſapientiæ Diuinæ manifeſtauit*, & Abrahamo ſecreta Dei conſilia, de ſubuertenda Sodoma & Gomorrha, reſerauit. Sic etiam vt familiaritatem inter Deum & ſuum Clientem conſeruet, per cæli ſcalas cōtinuò aſcendit & deſcendit. Sic preces Tobiæ & Saræ, maxima cum promptitudine, Deo præſentauit, & non exigua, ad eundem dona retulit, eiq; liberaliſſimè impertiuit; Sic caſtimoniam, aliasq; heroicas virtutes, in Iudith vidua, ſartas tectas ſeruauit. Sic Ioanni, vt omnia deſideria ſua, in Deū transferret, cæleſtem gloriam præmonſtrauit. Sic Exemplo ſuo Angelus, nos omnes, ad concinnendum, omni tempore, ſanctiſſimum Triſagion prouocauit: Sic Lazarum Mendicum, in Abrahæ ſinum deportauit. Sic S. Nicolao Tolentinati ſex, ante obitum, menſibus, ſingulis noctibus cæleſtem harmoniā, Angelicumq; concentum, demodulantes, Paradiſi gaudia prægustanda, præbuerunt. Sic S. Martinum Turonenſem Epiſcopum, ſæpius inuiſentes, in obitu tandem, cum Diuinis concentibus, ad æterna gaudia deduxerunt, vt finis glorioſus, tutelæ fideliſſimæ, opus coronaret, & hominē in omnibus vijs ſuis, Angelica cuſtodia, communitum, fuiſſe, reipſa demonſtraretur. Triplicum iſtorum beneficiorum egregium ſpecimen, edidit Angelus Cuſtos, in hiſtoria, quam Cæſarius nobis ſubminiſtrat, his verbis: *In Francia, Virginem Religioſam, Sathanas per ſtimulum carnis, grauiſſimè colaphizabat. Illa porrò neſciens virtutem in infirmitate perfici, iugiter cum multis lachrymis Deum rogauit, vt à tàm immunda tentatione liberaretur. Cui, cum die quodam oranti, Angelus Domini apparuiſſet viſibiliter, dixiſſetq́; : Vis ab hac tentatione liberari? & reſpondiſſet illa: Volo Domine, volo: cæleſtis nuncius ſubiunxit: Dic verſiculum Pſalmi: Configetimore tuo carnes meas, à Iudicijs enim tuis timui, & liberaberis. Angelo verò diſparente, verſiculum dixit, & mox tentatio ceſſauit. Mira res, fugato ſpiritu fornicationis, ſtatim acceſſit Spiritus blaſphemiæ, à quo tantò fortius, quantò periculoſius, tentabatur. Cæpit enim dubitare, de Deo, & fide Chriſtiana. Tum magis quàm prius, Miſericordiam Diuinam inuocans, à tàm nefanda tentatione, cum lachrymis orauit liberari. Tunc Angelus Domini, ſecundò illi apparens, ait: Quomodo habes modò, ſoror? reſpondit illa, nunquam peius, Domine. Et Angelus: Putas te poſſe viuere ſine tentatione? neceſſe eſt, vt alteram iſtarum eligas. Ad quod Virgo reſpondit: Domine ſi ſic neceſſe eſt, eligo primam tentationem; Licet enim fuerit immunda, humana tamen erat; Iſta verò, quam nunc patior, Diabolica eſt. cui Angelus: Dic verſiculum iſtum: Feci iudicium & iuſtitiam, non tradas me, calumniantibus me. quod cum feciſſet, poſt Angeli diſceſſum, Blaſphemiæ Spiritus eam deſeruit, & ſtimulum carnis recepit*: Quid hîc præſtare Angelus ſanctus aliud intendit, quàm Virginem iſtam, peccatis purgatam, ad ſuperandas

Pſal 50. Gen. 15. Gen. 28. Tob. 12. Iudith. 13. Apoc. 21. Eſai 6. Luc. 16.

III. S Nicolaus Tolentinus ante obitum audit Angelos cantantes. In eius vita officium Romanum.

III. Inuiſunt ſæpius S. Martinum. Seuerus Sulpitius de tranſitu B. Martini.

IV. Virginē religioſam à carnis tentatione liberat. Cæſarius. lib. 8. ca 42.

Digitized by Google

perandas fortiter tentationes, in patientia exercendo, perficere, atq; ad æterna victoriæ præmia capeſſenda, præparare? Ideò namque *mandauit Angelis ſuis, vt nos cuſtodiant, in omnibus vijs noſtris.*

Adumbrantur hæc & ſimilia ſancti Angeli Cuſtodis beneficia, in mirabili illa viſione Zachariæ Prophetæ. Inprimis enim ait: *Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occurſum eius.* Et inſuper addit: *Vidi per noctem & ecce vir aſcendens ſuper equum ruffum, & ipſe ſtabat inter Myrteta, quæ erant in profundo, & poſt eum equi ruffi, varij & albi. Et dixi: Quid ſunt iſti Domine mi? Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Ego oſtendam tibi, quid ſint hæc: Et reſpondit vir, qui ſtabat inter Myrteta, & dixit: Iſti ſunt quos miſit Dominus, vt perambulent terram. Et reſponderunt Angelo Domini, qui ſtabat inter Myrteta, & dixerunt: Perambulauimus terram, & ecce omnis terra, habitatur & quieſcit. Et reſpondit Angelus Domini, & dixit: Domine Exercituum, vſquequò non miſereberis Hieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es?* In hac Prophetica viſione, ſpectare licet, Angelum tutelarem, qui intus in mente, cũ Propheta loquebatur; Erat præterea, magnus ille, noui Teſtamenti Angelus, Chriſtus Ieſus, inſidens equo rufo, ſacræ carnis, proprio ſanguine in cruce reſperſo. Sequũtur cũ alij Angeli, velut in Equis rufis, varijs & albis obequitantes, qui perambulant terrã, & omnia terrena, ſecundũ Dei voluntatẽ diſponunt. Quin etiã pro hominum peccatis inceſſanter orando, eũ reconciliant, & iracundię Diuinę curſum retardant, imò penitus abolẽt & extinguunt, & vt Prophetæ verbis vtar: *Loquuntur in nobis verba conſolatoria & bona:* locutio grata, viſio admiranda.

II. Beneficiorũ eiuſmodi figuræ.

I. Viſio Zachariæ Prophetæ.

Zach. I.

Zach. I.

Ad aliam non minus obſtupeſcendam viſionem, mentis oculos reflectamus. *Et oſtendit mihi Dominus,* inquit, *magnum Sacerdotem, ſtantẽ coram Angelo Domini, inter Myrteta,* tormentorum, in ſua paſſione, conſpectum: *Et Sathan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei: Et dixit Dominus ad Sathã: Increpet in te Dominus, Sathan: Nunquid non iſte eſt torris erutus de igne? Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciẽ Angeli;* Dei filiũ repræſentãtis. *Qui reſpondit & ait ad eos, qui ſtabant corã ſe, dicens: Auferte veſtimenta ſordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abſtuli à te, iniquitatẽ tuam: & indui te, mutatorijs, & dixit: Ponite Cidarim mundam, ſuper caput eius. Et induerunt eum veſtibus, & Angelus Domini ſtabat: Et conteſtabatur Angelus Domini, Ieſum, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum, ſi in vijs meis ambulaueris, & cuſtodiã meã cuſtodieris, dabo tibi ambulantes, de his qui nunc tibi aſſiſtunt.* Subiungit iterum: *Et reuerſus eſt Angelus, qui loquebatur in me, & ſuſcitauit me, quaſi virum, qui ſuſcitatur à ſomno ſuo.* Vidit hîc Propheta, ſummum Sacerdotem Ieſu, ſiue Ioſue, propter peccata ſua, ſacerdotalibus exutum, indumentis, & eorũ vice, ſordidiſſimo habitu, conueſtitum, adeò vt carbonibus aſſimilaretur. *Et ecce,* ſubiungit, Propheta,

II. Alia eiuſdem Prophetæ viſio.

Zach. 3.

Zach. 4.

Digitized by Google

Propheta, *Vidi Angelum, qui ſuſcepit defenſionem illius peccatoris, ac Diabolo ſeſe oppoſuit, qui occupato dextro rei latere, audaciſsimè de perpetratis ſceleribus eum accuſabat*. Præcepit deinde Angelus bonus, reſtitui illi veſtimenta ſacerdotalia, munda, & Cidarim reponi ſuper caput eius. Vltimò exhortans illum, ad obſeruationem Diuinorum mandatorum pollicetur: *Si in vijs meis ambulaueris*, non vnum duntaxat, ſed plures Angelos tibi ad defenſionem aſſignabo, ex eorum numero, qui perpetuò coram Throno meo aſſiſtunt. Quot nam hîc beneficia, in compendium quaſi redacta? Angelus defendit Ioſue, Dęmonis audaciam reprimit, neque culpabilem & multis ſceleribus conſpurcatum, relinquit, ſed à maligni hoſtis accuſatione vindicat, ac defendit; & quò magis in virtute proficit, tantò plures ei Angeli ad cuſtodiam aſſignantur. O quàm verè *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te, in omnibus vijs tuis.*

III. Figura Archangelus Raphael. Triplex hominum ſtatus qui ab Angelo cuſtodiuntur. 1. Status in vtero matris.

Aliam Angelicæ beneficentiæ figuram habetote in Archangelo Raphaele; Triplex eſt eorum hominum ſtatus, qui ab Angelis cuſtodiuntur; *Primus*, dum adhuc Matris vtero continentur; *Secundus* à momento Natiuitatis, vſque ad articulum mortis, quando ſtadium huius vitæ terminatur. *Tertius* poſt mortem, quando anima è corporis habitaculo eſt expulſa. Quid Archangelus in primò ſtatu? Antequam Tobias patris iuſſu, paterna domo egrederetur, miſit Deus Archangelum, humana velatum ſpecie, qui in longo illo itinere, peregrinantem, dirigeret ac tueretur. Similiter tu, priuſquam ex vtero Matris egredereris, mandauit Deus Angelo Matris, vt tui curam gereret, donec multiplicibus periculis, quibus tunc cingebaris, ereptus, ad Baptiſmi gratiam, & ſortem filiorum Dei perduceréris. Secundi ſtatus, poſtquam in lucem editus es, idem Angelus, non obſcurè figuram præ ſe tulit: Nam quo pacto Raphael exiens cum Tobia, paterna domo, promiſit ſe ſanum illum deducturum, quod & continuò præſtitit comitatu: Ita etiam ab exordio natiuitatis tuæ, vſque ad mortem, Angelus Cuſtos, de cælo ad terram veniens, animam tuam protegit, & ſuſtinet te, ac promouet, admotaque manu, quaſi puſillum infantulum baiulat, *quia omnes in præſenti ſæculo*, Paulo teſte, *quodammodò pueri ſumus: donec occurramus in virum perfectum, in ætatem plenitudinis Chriſti*, vnde Angelo demandatur: *Eſto vigilans, & confirma*; clientem tuum accuratè cuſtodi, Dæmonem ab illo ſolerter arce, ac diſpeſce, hoſtis ictus excute, conatus infringe, viros debilita, in bono hominem confirma, peccandi occaſiones ab eo elimina, modum edoce, vt eius tentationum laqueos, præuideat, ac declinet, corrobora, ne tribulationum duratione nimia, penitus conſternetur. Tertium ſimiliter ſtatum egregiè repræſentat: Nam qua ratione Tobiam varijs ſubtractum periculis,

2. Status extra vterum matris.

Galat. 4.

3. Status tertius.

Digitized by Google

periculis,à Dæmone defenſum,nec non dotatum,vt vxore, omnibusq; ſoceri ſui bonis auctum, diuitem, incolumemque reduxit: Pari modo, Angelus Cuſtos, vbi animam tuam purgârit,& exornârit,tanquam cælicus Paranymphus,immortali Sponſo deſponſârit,multis præterea fauoribus, ac donis diuerſis, cumulauerit, ad cælum ſubleuat,æterni Patris conſpectui,præſentandam, vt ex illius manibus, præparatam ſibi coronam,immortalitatis,aſſequatur. Et ſic *in manibus portat te, ne vnquam ad lapidem,pedem tuum offendas.*

Clarius adhuc Angelicæ tutelæ, munera, in Diui Petri Apoſtoli liberatione inclareſcent: Nam ſeptem actus in eius viſitatione, exercuit. Adſtat,fulget, pulſat, iubet ſurgere velociter, ſoluit à cathenis, educit ex carcere, liberum relinquit. *Cur adſtat nobis?* vt probè conſideremus, ad quem finem conditi ſimus ac tendamus. *Qui fulget?* Vt in tranſitorio, huius vitæ, carcere, vnuſquiſque ſtatum ſuum intelligat. *Cur pulſat?* Incitando ad bonum, & à maligno Diaboli commercio, minis & incommodis corporalibus,quaſi totidem verberibus coërcendo. *Quo pacto iubet velociter ſurgere?* Dum in animo noſtro, cæleſtium obſeruantiam mandatorum inſerit, & quodammodò implantat. *Quando ſoluit à cathenis?* liberando à vitijs, quibus non aliter, quàm inextricabilibus vinculis,conſtringebamur. *Quomodo educit extra carcerem?* Aperiendo ferream pœnitentiæ portam,& ad priſtinam iuſtitiam dirigendo, pedes affectus, & intellectus per ſemitam ſatisfactionis. *Quando tandem liberos derelinquit?* Dum anima,quaſi in ſe reuerſa, ſeipſam circumſpicit, in gratiarum actionem & laudem,tàm Creatoris,quàm Angeli tutelaris, ſeſe effundit: *Nunc ſcio verè,*inquiens,*quia miſit Dominus Angelum ſuum, qui eripuit me, de manu Herodis,* Infernalis, *& de omni expectatione plebis Iudæorum,* mortis,inquam,& peccati.

IV. Figura in liberatione D. Petri.

Actor. 12.

Quid de his omnibus Angelicæ tutelæ beneficijs proferam? Aio cum S. Bernardo: *Mira dignatio, & verè magna dilectio Charitatis: Angelis ſuis mandauit de te; Quantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem,conferre fiduciam? Reuerentiam pro præſentia, deuotionem pro beneuolentia,fiduciam pro cuſtodia.* Affirmo cum S. Auguſtino: *Angeli adiuuant laborantes,protegunt quieſcentes,hortantur pugnantes,coronant vincentes,compatiuntur patientibus,inſtruunt ignorantes,purgant peccatorum ſordibus ſqualentes, illuminant, in via mandatorum Dei alacriter currentes: Perficiunt ad coronam properantes.* Nec mirum: *Sunt,*inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, *Duces & capitanei noſtri,ſunt Præſidiarij & Excubitores noſtri, ſunt Magiſtri & Doctores noſtri,ſunt Medici & Chirurgi noſtri. Eſt ipſis cura, vt à peccatis expiemur,ad omne bonum inſtruamur, in bono iam perfecti, æternitatis præmio coronemur,*

V. Beneficiorum exaggeratio, ex Patribus.

In Pſal. 90.

Soliloq c. 27.

Serm. de diuite Epulone & Lazaro.

mur. Hæc ſancti Patres, de ſpiritualibus beneficijs, ſancti Angeli Cuſtodis, cui *mandauit Deus de nobis, vt cuſtodiant nos, in omnibus vijs noſtris.*

III. Hiſtoriæ.

I. Tentatus à ſpiritu fornicationis. lib. 3. num. 13.

Obnixiſſimè ſanè allaborant Angeli, vt à peccatis aut expurgemur, aut à tentationibus præſeruemur. Ruffinus author eſt, quendam Eremiticæ vitæ cultorem, libidinis incendio vehementer afflictum, ſeniorem quendam Anachoretam, rogaſſe, vt pro ſe oraret, *qui cum ſe orationi applicaſſet*, inquit ſcriptor, *reuelauit ei Dominus, quæ circa tentatum agerentur. Et vidit eum ſedentem & Spiritum fornicationis iuxta illum, & quaſi ludentem cum illo, & eius latera titillantem. Et Angelus Cuſtos ſtabat, miſſus in adiutorium eius, qui monebat & ſuadebat, & modum reſiſtentiæ oſtendebat. Cumque nolentem ſe inclinare in terram vt oraret Dominum, ſed quaſi delectationibus illis impuris delectaretur, ſuccenſus quodammodo Angelus, eum territabat, vt reſiſtendo Spiritum nefarium fœda ſuggerentem, à ſe tandem fugaret.*

II. S. Paulus ſimplex videbat vniuſcuiuſque Angelum & internam conſtitutionem. Lib. 3. num. 167 apud Heribertum Roſvveidũ. lib. 6.

Nec à propoſito noſtro multùm abſcedit, quod idem Ruffinus deſcribit in hæc verba: *Beatæ memoriæ Paulus Simplex, diſcipulus Abbatis Antonij, narrauit patribus talem rem: Quia aliquando veniens in monaſterio viſitandi gratia, & pro fratrum inſtructione, poſt conſuetam ad inuicem conſolationem, intrauerunt in Eccleſiam Dei, miſſas more ſolito celebrare. Beatus ergo Paulus, intuens ad vnumquemque introeuntium in Eccleſiam, intendebat, quali animo intus intraret: habebat enim hanc gratiam ſibi datam à Deo, vt ſic videret vnumquemque cuius animi eſſet, ſicut nos facies noſtras videmus ad inuicem; ſed & cuiuſque Angelum gaudentem in eis. Ingredientibus ergò omnibus, clara facie & ſplendido vultu, vnum vidit nigrum, & obſcurum corpore toto, & Dæmones ex vtraque parte eius, tenentes & trahentes eum, ad ſemetipſos, & capiſtrum in naribus eius mittentes: Sanctum verò Angelum eius, de longe, lugubrem triſtemque ſequentem. Paulus verò lachrymans, & manu frequenter pectus tundens, ſedebat ante Eccleſiam, plorans valde eum, qui ei talis apparuerat. Qui autem videbant, quod faciebat, & tàm celerem eius mutationem, & lachrymas & luctum, interrogabant rogantes eum, vt diceret quid eſſet, quod videret, timentes, ne quid reprehenſione dignum vidiſſet, pro quo hæc faceret. Poſtulabant etiam, vt ad Miſſas intraret cum eis. Paulus autem eos repellans ac negans, ſe ingreſſurum, ſedebat foras, iacens & plorans nimis, illum, qui taliter ei apparuerat. Poſt paululum autem, dimiſſo Eccleſiæ conuentu, iterum Paulus attendebat, ſingulos exeuntes, vt quorum introitum, agnouerat, ſcirent quales exirent, & vidit illum nigrum virum, & obſcurum toto corpore prius, exeuntem ab Eccleſia, claro quidem vultu, candidoque corpore, Dæmones autem, qui ante tenebant eum, poſtea de longè ſequentes, ſanctum verò Angelum, iuxta ipſum ambulantem, lætum & promptum, & gaudentem ſupra eum valdè. Paulus verò exiliens cum gaudio clamabat, benedicens Deum, &*

dicens:

Digitized by Google

dicens: O ineffabilis miſericordia Dei, & bonitas? O Diuinæ miſerationes eius, & innumerabilis bonitas? Currens autem & aſcendens ſuper altum gradum, magna voce dicebat: Venite, videte opera Domini, quàm terribilia ſunt, & omni ſtupore digna. Venite, videte eum, qui vult omnes homines ſaluare, & ad agnitionem veritatis venire. Venite adoremus & procidamus ante eum, & dicamus: Quia tu ſolus potens es peccata dimittere. Ad hanc vocem eius omnes cucurrerunt, cupientes audire, quæ dicebat. Et conuenientibus omnibus, referebat Paulus quæ vidiſſet, antequam in Eccleſiam intrarent, quæ poſtea, iterum. Et interrogauit illum virum, vt diceret ei cauſam, pro qua ei ſubitò, tantam Deus mutationem donauerit. Homo ergò ille, conuictus à Paulo, coram omnibus, qui circa ipſum erant, apertè narrauit, dicens: Ego peccator homo ſum, & multo tempore in fornicatione vixi, vſque nunc: ingrediens autem modò in Eccleſiam ſanctam Dei, audiui vocem Iſaiæ Prophetæ, cum legeretur, magis autem vocem Dei loquentis in eo, vbi dicit: Lauamini mundi eſtote. auferte malum cogitationum veſtrarum, ab oculis meis, diſcite benefacere, & ſi fuerint peccata veſtra, tanquam phœnicium, velut nix dealbabuntur. Et ſi volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Ego, inquit fornicator, in hoc ſermone compunctus ſum nimis, & ingemiſcens, intra conſcientiã meã, dixi ad Deũ: Tu Deus qui veniſti in mundum peccatores ſaluos facere, & qui hæc, quæ modò lecta ſunt, promiſiſti, per Prophetam, comple effectu & opere, etiã in me indigno & peccatore. Ecce enim amodò promitto tibi, & ſpondeo ſermone, & corde confiteor, quia iam non agã vltra illud malum, ſed abrenuntio omni iniquitati, & ſeruio tibi amodò, in conſcientia munda. Hodie ergò Domine, & in hac hora ſuſcipe me pœnitentem, & interpellantem te, & renunciantem omne peccatũ. In his igitur promiſſionibus, ait, egreſſus ſum de Eccleſia, ſtatuens in anima mea nihil vltrà agere mali corâm oculis Domini. Quod cum audiſſent, omnes clamauerunt ad Dominum, voce magna dicentes: Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti.

III. Hiſtoria de Ægidio qui ſe Dæmoni homagio addixerat per Angelum mirabiliter cõuerſo.

Adduco ex probatiſſimis ſcriptoribus hiſtoriam ſanè admirandam, ex qua triplicia, quæ recenſuimus, triplicis viæ purgatiuæ, illuminatiuæ, & perfectiuæ beneficia, ope Angelorum præſtari ſolita, clariſſimè innoteſcent. Eam Martinus DelRio, ex Ferdinando de Caſtillo, & Alfonſo Villegas, recenſet in hæc verba: *Boncela Municipium Conimbricenſe eſt, ibi nobilibus parentibus natus quidam Ægidius, hic vix dum Adoleſcens, induſtria pariter & fauore, tres Canonicatus & Prioratum vnũ adeptus; omni vitio diffluebat, non indoctus humaniorum literarum, & Philoſophiæ & Medicinæ, cui, quam ſibi oportuniorem, ad nequitiam reabatur, totum ſe dare, & Lutetiã, eius addiſcendi cauſſa, cũ cogitaret, iter aggreſſus, humana ſpecie Dæmonẽ obuiũ habuit. Malus iſte viæ comes, à noto ſibi, ſed ignotus, paulatim varia quærere, vt audiuit profectionis conſilium, quin tu, inquit, me potius audis? ſcientiam indicabo, quæ & adeptu facilis, & vſu præcipuè ad dignitates voluptateſq́; ipſius etiam, quam ſitis, Medicinæ*

Ferdinandus de Caſtillo 1. Parte hiſt. generalis Prædicatorum lib. 2. cap. 72. Alfonſus Villegas, part. 3. de floribus Sanctorum vita 173. Martinus DelRio li. 6. c. 2. q. 3. ſect. 3

ſumma perfectio eſt; Necromantiam dico. Dixit & perſuaſit. Adducit Ægidium, & inducit in vaſtam ſpecum, propè Toletanam Ciuitatem. Ibi occurrêre læti, & excepére venientem viri, dæmonesq́ humana effigie. Itur in ſpecum. Exigitur non ſecreti tantum, ſed & fidei ſiue homagij, perpetuum Sacramentum. Volens adigitur, & ſchedula, proprio conſignata cruore, promiſſum confirmat. Septennio illic, tetris artibus, & caliginoſa ſcientia imbuitur. Poſt Lutetiam perfectus, miros breui, inter Hypocratis ſectatores, progreſſus fecit, & Doctoratus lauream eſt adeptus. Gliſcebant enormia, magis magisq́ peccata, ruebat de ſcelere in ſcelus, ambiguum erat, fama eruditionis, an nequitiæ infamia eſſet maior? Sed ô Dei bonitatem; Vt quem lenitate non poterat ad frugem ſtatuit trahere. Ecce tibi Equitem hoplomachum, lanceam vibrantem, & intentantem miſero, irato vultu, minaci voce, clamantem: Vitam hanc, moresq́ deſere, & ad frugem reuertere. Subitus Ægidium terror occupauit: Sed veloci motu, cum terrore, inſtitutum priſtinum, diſplicere deſijt. Ad volutabrum luti, reuerſo poſt triduum, idem ille Eques, iam terribilior, non ſolùm minatur, eadem verba repetens, de mutando vitæ inſtituto, ſed lanceam pectori infigit, & vulnus, etſi non graue, imponit. Fractus igitur animo ille, Dedo, inquit, me, faciam Domine, quidquid iuſſeris: Saulum diceres, in terram deiectum: Statuit exinde ſeriò, ſe totum Deo dicare, & quò intus impelli ſe ſentiebat (Vrgente, ſic opinor, Angelo Cuſtode, qui apparuerat) religioſi alicuius inſtituti, familiæ ſe addicere. Hoc animo Luſitaniam repetens, dum per Pallentiam iter habet, vbi dum Monachi Dominicani, monaſterium moliebantur, ſubit Cupido cernendi operis. Videt viros, ſanctitate & eruditione claros, quoſdam etiam viribus & ætate defectos, delicatè olim nutritos, calcem ſubigere, ligna dolare, lapides parare, & onera humeris portare, ſumma alacritate & lætitia; optat ſe illis adiungere, petit inſtanter admitti, impetrat. Tirocinio defungitur, magna ſpe ſanctitatis futuræ, data. Poſt aliquot annos, miſſus Santarenum, in Luſitaniam, ibi creſcebat oratione, & victoria ſui. Vnus angebat ſcrupulus, quod penes Dæmonem hæreret, ſchedula illa obſcœna & deteſtabilis. Igitur ardentius REGINÆ COELORVM MARIÆ *Matri ſe commendabat, maliq́ huius remedium aliquod poſtulabat, non ſine lachrymarum imbre, & ſuſpiriorum concentu. Quid neget miſericordiæ Mater, ſic poſtulanti? Die quadam, cum in ſacello templi, prolixius oraret, apparuit illi Dæmon, formidabili aſpectu, deteriore vlulatu, conuitium facit, & præſtitam fidem, acceptaq́ beneficia, petulanter exprobrat. Tandem poſt multa, minaciter & proteruè, impotenterq́ obiecta: Faxo, inquit, huius te Monachiſmi & violentiæ, quæ me tibi ſyngrapham hanc, cogit reſtituere, nunquam ſatis pœniteat, ſimul eam abijcit, ad pedes Ægidij, & videri deſijt. Ægidius chartulam accipit, & lacerat minutim. Nec vanæ minæ Dæmonis fuêre; admirandis illum modis, plus ſeptennio vexauit. Mitto infeſtationes alias. Aſſumebat Monachi cuiuſdam, qui in eodem degebat Monaſterio, ſimilitudinem, & nihil non, quod excogitari inter Domeſticos*

Proprio cruore ſe ei obſtringit.

Angelus Cuſtos in ſpecie Equitis cum lancea eum terret.

Ingreditur Religionem S. Dominici.

Recuperat Chirographum ſuum.

poſſet,

poſſet, moleſtiæ, Ægidio inſerebat. Patiebatur hic, ſed tandem dolens malitiam illam ſerpere, & fratrem, vt putabat, illum Deum ſic ſemper offendere, rem refert Priori, & petit alið mitti, cauſſamq́; aperit. Accerſito fratre, deprehenſus calumniator, & inſolens ab alijs, ſolitus ab Ægidio vinci, deſijt victori negotium faceſſere. Viuus tandem clarus miraculis, non virtutibus duntaxat, ſed & raptibus in Deum famoſus, Anno 1265. mundo denaſcitur, vt cælo naſceretur, ſepultus Santarenni, vt ſanctus colitur. Quis obſecro, Ægidium iſtum conuertit? Quis à peccatis abductum, in viam ſalutis reduxit? Quis ad bonum induxit? Quis Virginis Deiparæ tutelam, anxius flagitare, impulit? Quis in ſanctitate & iuſtitia roborauit? Omnis iſte beneficiorum cumulus, Angelo eius Cuſtodi, in acceptis eſt ferendus. *Angelus Cuſtos*, in forma Equitis eum terruit; *Angelus Cuſtos*, intus cor eius, gratiæ Diuinæ digito, tetigit; *Angelus Cuſtos*, voluntatem eius, à Dæmone abſtraxit, & ad Deum conuertit; *Angelus Cuſtos*, ad compunctionis lachrymas, cor eius emolliuit; *Angelus Cuſtos* ad perfectionis ſtatum, & condignos pœnitentiæ fructus agendos, excitauit; *Angelus Cuſtos*, ad Virginis Deiparæ amorem atque deuotionem induxit; *Angelus Cuſtos*, Virginis Imperio, vt ſanguinis Chirographum reſtitueret, Dæmonem coëgit. Quis Angelicorum beneficiorum numerum ineat? Quis ſingulorum magnitudinem dignè expendat? Obſecramus vos ſancti Angeli Cuſtodes, vt ſi nos etiam in graues errores, incidere videatis, vigilantia, ſolertiaque veſtra, nos ad meliorem frugem reducere, ne omittatis, vt ad Deum noſtrum, perfecto corde conuerſi; eius gratia, in hac mortali, & gloria in altera vita potiamur. Amen.

SERMO XVIII.

Spiritualia Cuſtodis Angeli Beneficia in particulari; I. Conuerſionem infidelium procurat; II. Inſtruit & illuminat dubios & ignorantes.

Me duxit ſanum & reduxit; pecuniam à Gabelo ipſe recepit, me ipſum à deuoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli; Et bonis omnibus per eum repleti ſumus. Tob. 12.

SI, vt Poëta canit, *Vulgus amicitias, vtilitate probat*, & amor alicuius erga tuam perſonam, nulla ex re luculentius declaratur, quàm ſi reipſa experiaris, copioſiſſimam eius beneficentiam, in tua, non ſolùm corporea, verùm etiam, & potiſſimum quidem, ſpirituali & æterna ſalute procuranda, facillimè deprehendes, quin-

Digitized by Google

quinimmò, ad oculum tibi probatum, demonſtratumque conſpicies, te poſt Chriſtum Ieſum, vnicum Saluatorem tuum, & Gratioſiſſimam eius Matrem, præter ſanctos Angelos Tutelares, nec in cælo, nec in terra, fideliores, tuique ſtudioſiores, amicos, nanciſci potuiſſe: Nam ſi corpora propter animas, corporeis beneficijs afficiunt, quantò libentius quantoque promptius animas ipſas, ſpiritualibus fauoribus, proſequentur? Ipſorum eſt, infidelium conuerſionem vrgere, ignorantes inſtruere, & illuminare, peccantes ad pœnitentiam inducere, & in ea, vſque ad vitæ finem conſeruare. Ob hæc Angelorum in nos merita, de illorum laudibus fandi copiam, vt nobis ſubminiſtrent, eorundem cæleſtium ſpirituum, apud Deum, interuentu, exoptamus.

I. Infideliũ Conuerſio. I. Gentiles ſine fide ægrotant animo. *Me duxit ſanum & reduxit; bonis omnibus per eum repleti ſumus*: Infideles Ethnicos, veri Dei cognitione, deſtitutos, ideoq; Dœmonum ſimulachra, Diuinis latriæ cultibus honorantes, & adorantes, animo quàm grauiſſimè, periculoſiſſimeq; ęgrotare, nemo inficias ibit, nemo pernegabit. Quæ nam alia vtilior ſanitas, illis parabitur, quam ſi ad fidem, veriq; Dei cognitionem, & Baptiſmi gratiam perducantur? In quo medicandi genere, quàm ſe induſtrios, Cæleſtis illius Archiatri, qui dixit: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus*, cooperatores, exhibuerint Angeli ſancti, ſcripturæ pariter, aliarumque hiſtoriarum exempla, ſpectabili euidentia, conteſtantur.

Matth. 9.

Eſai. 53.

II. Angeli cooperatores cæleſtis medici in conuerſione infidelium, vt patet. Exemplo Eunuchi Candacis Æthiopum Reginæ. Actor. 8.

Sic Angelus Domini Philippum Diaconum, iuſſit properare ad currum Eunuchi, Candacis Æthiopum Reginæ, legentis illa Prophetæ verba, ſed non intelligentis: *Tanquam ouis ad occaſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum.* Cumque Philippus, iuxta currum ambulans, interrogaret: *Putas ne intelligis quæ legis?* reſpondit Eunuchus: *Quomodo poſſum, ſi aliquis non oſtenderit mihi? rogauitque Philippum vt aſcenderet, ſecumque ſederet, & paruit*, & Prophetæ dicta explicans Philippus, CHRISTVM IESVM, verum mundi Saluatorem ei prædicauit, ex Ethnico Chriſtianum reddidit, & à Spiritu ſancto ſufficienter informatum, illicò baptizauit: *Cumque ex aqua aſcendiſſent*, inquit S. Lucas, *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus; Philippus autem inuentus eſt in Azoto, & pertranſiens euangelizabat, ciuitatibus, cunctis, donec veniret Cæſaream.* Quis hinc Angelorum Sanctorum inflammatiſſimum zelum, incredulos ad fidem conuertendi, non manifeſtè colligat, ac deprehendit?

III. Exemplum Cornelij centurionis. Actor. 10.

Clarius teſtimonium habetote, Cornelium Centurionem: *Is vir erat*, vt S. Lucas deſcribit, *religioſus ac timens Deum, cum omni Domo ſua, faciens Eleemoſynas multas, plebi, & deprecans Deum ſemper*, licet adhuc Ethnicus eſſet.

Digitized by Google

eſſet. Cumque die quadam orationi vacaret, *vidit Angelum Dei introeuntem, ad ſe, & dicentem ſibi: Corneli, orationes tuæ & Eleemoſynæ tuæ, aſcenderunt in memoriam, in conſpectu Dei: Et nunc mitte viros in Ioppen, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus. Hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* accerſito itaque Petro, fidem ex eius prædicatione didicit, & baptiſmi gratiam accepit, exemploq; ſuo, quàm plurimos, è Romanis militibus, quibus cum poteſtate præerat, vt in Chriſtum crederent, attraxit, & verum cæli lumen videre fecit.

Silentio iſthîc prætereundum non eſt, quod ante aduentum Chriſtianorum, in Indias Occidentales, accidiſſe, ab indigenis, poſtea tandem ad fidem conuerſis, eſt narratum, atteſtante Petro Iarrico, & Thoma Bozio in hæc verba: *Erat in more poſitum, vt hominum, plurimis anni temporibus, multa millia, Dijs eorum, impiè ſacrificarentur. Ex his quidam, cum duceretur, ad aram mactandus, vicem ſuam deplorans, oculis in cælum ſæpius conuerſis, opem Diuinam, tacitus implorabat. Tum iuuenis pulcherrimus, ei adſtitit, in alba veſte, nunciauitq; breui fore, vt finis propediem, impijs ſacrificijs imponeretur, venturosq; eò barbatos homines (ijs namque in locis, nulla viris barba) qui ea de medio tollerent, veritatem Diuini cultus introducentes. Veritatem comprobauit euentus: Nam breui poſtea, Hiſpani ea loca per uenêre, & Chriſti fides propagari cæpit.*

IV. Angelus prædicit conuerſionem Indorum. In hiſtoria Indica Petrus Iarricus. Thom. Bozius lib. 5 de ſignis Eccleſ. cap. 2. To. 1.

Conſimili ratione, ſancto Euſtachio, antea Placido cognominato, ferarum in ſyluis venationibus occupato, apparuit Angelus, in cerui pulcherrimi forma, crucifixi imaginem inter cornua præferens, qui eum ad capeſſendum Chriſti fidem & Baptiſma, breui temporis ſpacio, ſufficientiſſimè inſtruxit, & erudiuit, vt poſtea inſigni Martyrio, ab Adriano Imperatore, perfungeretur: nam vnà cum vxore ſua Theophiſte, & duobus filijs Agapio & Theophiſto, primùm ad beſtias damnati, cum Dei ope illæſi euaſiſſent, in bouem æneum, candentem, incluſi, glorioſum certamen, viriliter conſummarunt.

V. Angelus conuertit S. Euſtachiũ. S. Ioann. Damaſc. orat. 3 de Imaginibus. Sim. Metaphr Tom. 6. Niceph. li. 3. cap. 10.

Nec diſcordat à ſcopo noſtro, quod de ſanctiſſima Virgine & Martyre Catharina, memorat Simeon Metaphraſtes: *Cum enim impius Tyrannus Maxentius, à Virgine, diſputando de vno Deo, & Filio eius IESV CHRISTO, ſeſe ſuperatum & confuſum eſſe* coràm omnibus animaduerteret, & quinquaginta Græciæ Oratores, ac Philoſophos præſtantiſſimos, è tota Græcia, Alexandriam conuocaſſet, qui Virginem productis argumentorum arietibus à Chriſti fide abducerent; iamq; ad locum certaminis, vbi innumerabilis hominum multitudo confluxerat, vt viderent, ex qua parte victoria ſtaret; *Nondum venerant*, inquit Simeon Metaphraſtes, *ad cuſtodiam, ij, qui iuſſi fuerant, eam adducere, cum Angelus Domini ei appa-*

VI S. Catharinæ conuerſionem 50 Oratorũ prædicit. In eius vita apud Sur. Tom. 6. hiſt. Sanctorum.

Digitized by Google

S.Catherina ab Angelo promittitur ſapientia cæleſtis & ſupernaturalis.

appar ens; Noli timere, ait, Dei Virgo, Ecce enim præter naturalem & acquiſitam ſcientiam, dabitur tibi à Deo ſcientia, & perſuadebis quinquaginta oratoribus. Neque ſolùm perſuadebis, ſed & ipſos, & multos alios, qui ſunt cum eis, ad Deum adduces. Deinde tu quoque Martyrij corona eris coronata. hæc ille cum dixiſſet, abijt ex oculis eius. Et prædictionem ſecutus eſt euentus: Nam Oratores à Virgine ſuperati, cum innumeris alijs in Chriſtum crediderunt, ac Tyranni iuſſu, flammis exuſti, in ſanguine ſuo baptizati, ad cælos euolârunt.

VII. Angelus procurat conuerſionē S. Geneſii. Lib. 12. ſpec. hiſtorialis cap. 104. Geneſius agit mimum, & irriſorem Chriſtianorum. Repente mutatus profitetur fidem Chriſti.

Memorabilis eſt hiſtoria S. Geneſij Martyris, per Angelos, haud ſine mirabili mutatione, dexteræ excelſi, dum agyrtam agens, mimicis iocis in Theatro Chriſtiana ſacra publicè exploderet, conuerſi, quam verbis hiſce deſcribit, Vincentius Bellouacenſis: *Temporibus Diocletiani & Maximiani, paſſus eſt Romæ, Geneſius Martyr, qui cum eſſet in vrbe Magiſter artis mimicæ, quadam die voluit Imperatori Diocletiano ludum exhibere, de myſterijs obſeruantiæ Chriſtianæ. Huius rei gratia, ſpectante Imperatore, & omni populo in medio theatri, quaſi ægrotus decumbens, ſe baptizari depoſcit, & mimicè in hæc verba prorupit: Eia noſtri, grauem me ſentio, leuis fieri volo. Qui reſponderunt: Quomodo leuem te facimus? nunquid fabri ſumus, & ad runcinam te miſſuri ſumus? His verbis populo in riſum excitato, Geneſius à Domino viſitatus, ait: Veſani, Chriſtianus deſidero mori. Quare, inquiunt? Ne, inquit ille, in illa die, velut fugitiuus inueniar. Hoc Diocletianus audiuit, & riſum tenere non potuit. Tunc ſicut fuerat ordinatum, intrare faciunt Exorciſtam & Presbyterum, qui iuxta lectum eius ſedentes, dixerunt: Quid ad nos miſiſti filiole? At ille iam non ſimulatè, & fictè, ſed ex puro corde reſpondit: quia gratiam Chriſti conſequi cupio, per quam renatus, liberer à ruina, iniquitatum mearum. Cumque Sacramentorum myſteria compleſſent, & veſtibus albis eſſet indutus, quaſi per ludum à militibus eſt raptus, & ad ſimilitudinem Sanctorum, de Chriſti nomine diſcutiendus, Imperatori eſt exhibitus: ſed cum ad falſam adducitur paſſionem, ad veram acceſſit confeſſionem. Aſcendens namque baſim, vbi ſtatua fuerat Veneris, ita concionatus eſt: Audi Imperator, & omnis exercitus, Sapientes, & populi vrbis huius. Ego ſemper Chriſtianum nomen exhorrui, & in confeſſione permanentibus inſultaui, ac ſuper eos accendebam furias populi. Parentes quoque meos, & affines execratus ſum, cauſſa nominis Chriſtiani, & in tanta deriſione, Chriſtianos habui, vt eorum ſecreta myſteria, diligenter perquirerem, non vt crederem, ſed vt de his ludum ac riſum vobis exhiberem. Mox autem, vbi me nudum in conſpectu veſtro, aqua illa perfudit, & interrogatus credere me reſpondi, vidi ſuper me manum de cælo venientem, & Angelos Dei, flammeo radiantes aſpectu, iuxta me ſtantes, qui omnia facinora mea, quæ à iuuentute mea commiſi, ſcripta libro recitantes, dixerunt mihi: Aqua hæc, delet omnia iſta, quæ te feciſſe, cognoſcis. Cum ergò aqua baptizatus fuiſſem, ſimul & liber ille perfuſus, niue candidior effectus eſt, ita etiam vt ſignum ſcripturæ*

Coram Diocletiano Chriſti fidē profitetur.

Manu cæleſti præſentibus Angelis baptizatur.

præterita

Digitized by Google

præterita non demonſtraret. Itaque dum vobis terrenis Imperatoribus placere concupiui, cæleſti Regi complacui, & dum omnibus riſum extorquere ſtudui, Angelis riſum feci. Nunc ergo, ô Imperator, & vos omnes populi, ſicut his ſanctis myſterijs per ignorantiam mecum reſtitiſtis, increduli, ita mecum ab hac irriſione ceſſate, credentes verum Deum eſſe Ieſum Chriſtum Dominum, hunc eſſe verum lumen, veritatem, pietatem, ſalutem, & per ipſum vos ad indulgentiam poſſe contingere. Tunc imperator, accenſus furore, iuſſit omnes, qui cum eo luſus meditati fuerant, ante ſe adduci, & virgis fortiter cædi, æſtimans eos ſimiliter credere. At illi cœperunt Nomen ſanctum blaſphemare, cum exprobratione, dicentes: nos aliter meditati ſumus, iſte autem inſanus factus, lætitiam ſuam dimiſit, & planctum ſibi Chriſtianitatis aſſumpſit, ac per hoc ſolus experiatur, quod ſolus fecit. Tunc Imperator ſæuiens in Geneſium, in conſpectu populi iuſſit eum cædi fuſtibus, tradiditq́ Pluriano Præfecto, iubens eum tormentis ad ſacrificia cogi. Cumque diu in eculeo poſitus, vngulis attrectatus, lampadibus inflammatus, in ſancta confeſsione perſiſteret, dicebat iudici: Si centuplicaueris contra me iſta tormenta, Chriſtum mihi de ore non poteris auferre. Hæc omnia relata ſunt Imperatori, qui iuſſit eum occidi. Sicque cum gaudio coronam martyrij, capitis obtruncatione promeruit. VIII. Calendas Septembris. Illuſtris conuerſio Geneſij, Angelorum opera procurata, haud immeritò tàm nobili martyrio coronatur.

Prædicat diuinitatem Chriſti Domini.

Sæuiſſimis tormentis excruciatur.

Martyrio coronatur.

Subiungo aliam priori, ex parte aliqua haud diſſimilem, Angelica informatione perfectam conuerſionem: Referunt Nicephorus & Euagrius de ſancta Golinduch Martyre, è Magorum nobili proſapia oriunda, *cum in matrimonio non admodum felici, ac fortunato, tres annos conſumpſiſſet, & animum ad Chriſti fidem adieciſſet, in extaſi, extra ſe ipſam rapta, ab Angelo ſuo Cuſtode, in Chriſtianæ fidei myſterijs eruditur, mirificeq́ illuminatur, ac demum iuſſu ac diſpenſatione Diuina, Baptiſmatis lauacro initiatur. quamobrem, cum Chriſtum Dei Filium apertè prædicaret, à Perſis Magis comprehenſa, innumerabilibus tormentis exagitatur, nec tamen ſuperatur. Fulgebat inſuper innumeris prodigijs & miraculis, quibus hominum incredibilem multitudinem attrahebat, vt & ipſi vanitate idolorum ſpreta, Chriſtiana dogmata ſectarentur. Et illud inprimis mirabile ac portentoſum, quotieſcunque corpus eius tormentorum cruciatu diſcerpebatur, viſibili ſemper forma aderat Angelus, qui eam non ſolùm ad acerbiora perferenda, pro nomine Ieſu, cruciamenta viriliter animabat, ſed & in momento, ſaniſſimam efficiebat, donec inaudito Martyrio conſummata, & in gaudia Domini aſſumpta, bonis omnibus Angelorum miniſterio impleretur.*

VIII. S. Golinduch ab Angelo baptizatur.

Niceph. lib. 18. hiſt. Eccl. cap. 25.

Euagr. lib. 6 cap. 20.

Et vt finiam exemplo: Quis neſcit è S Dorotheæ Virginis ac Martyris rebus geſtis, *Angelum quem in forma Pueri, iuxta condictum, Theophilo irriſori, cum tribus malis, totidemq́ roſis, media hyeme, è Paradiſo Sponſi ſui tranſmiſit, eius conuerſionem non ſolùm promouiſſe, ſed & acceleraſſe?* Hiſtoria tàm

IX. Angelus cooperatur conuerſioni Theophili.

Sur. Tom. 1. hiſt. ſanct.

Digitized by Google

eſt notæ, vt non indigeat vlteriori deſcriptione, cum eius memoria, vulgò paſſim concelebretur.

II. S. Angelus inſtruit & illuminat ignorantes.
I. Angeli cur ignis? Pſal 103. Pſal 12.

Sanctus Angelus Cuſtos, inſtruit in rebus dubijs, & illuminat ſuos Clientes: Hinc namquè Angeli ſancti, *Ignis vrens, & flamma* dicuntur; nam ſicut flamma illuminat noctem; ita Cuſtos Angelus humanum intellectum, vt eum deuotus Cliens audacter obteſtari auſit: *Illumina,* ô mi Angele Cuſtos, *oculos mentis meæ, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus prævalui aduerſus eum.* Præterea ſicut ignis calefacit, ſic Angelus Cuſtos, cæleſtium bonorum cupiditate animas inflammat. Quin etiam in omnibus, quæ pertinent ad officium hominis Chriſtiani, nos erudire conſueuit: *Nunc egreſſus ſum, vt docerem te,* inquiebat Angelus ad Danielem; Sic Angelus Cuſtos, omni momento, egreditur à facie Diuina, vt eius voluntatem nobis aperiat, & oſtendat.

Dan. 7.
II Virginem erudit Angelus vt piè viuat.
S. Petrus Damianus. Epiſt. ad Dominicum Abbatem.
Ioan. Raulinus Serm. 9. de matrimonis.

Exemplo ſit, *Virgo quædam Patrem habens probum & timoratum, Matrem verò voluptatibus carnalibus deditam, vtroque parente mortuo, cum deliberaret ſecum, cuius vellet inſiſtere veſtigijs, extra ſe rapta vidit Duce Angelo, Matrem tetro carceri incluſam, in ardente clibano torreri, & horribiliter torqueri, quæ etiam ſic lamentabatur: Heu me miſeram, quantum patior pro vili & breui carnis voluptatula? Poſtmodum verò in locum amœniſſimum ab Angelo tranſlata, Patris mirè exultantis, ad ſe vocem audiuit: Filia mea, ſi his mecum delitijs frui deſideras, ſic viue, ſicut me vixiſſe noſti. Moxque Angeli iuſſu ſibi reddita, ſanctiſſimè vixit, ab eodem Angelo ſæpius viſitata.* hæc de Virgine illa B. Petrus Damianus.

III. Ioanna Vrbeuetana fatetur ſe ab Angelo catechizatam.
Seraphinus Raſzius. lib. de SS. Ord. Prædicatorũ

Exemplo ſit Beata quædam Virgo, Vrbe-Vetana, Ioanna nomine, Tertij ordinis S. Dominici, *hæc enim tametſi trimula, matre, & quinquennis patre orbata, innocentiam tamen baptiſmalem, ad vltimum vſque vitæ diem, Angeli Cuſtodis beneficio, conſeruauit: Nam cum quædam ex ſodalibus ei diceret: Ioanna, num ignoras, te carere patre & matre? ad Eccleſiam, eam manu ducens, & Angeli imaginem in muro depictam oſtendens:* Scito, reſpondit, *hunc Angelum mihi, in matrem eſſe, à quo adhuc paruula, omnia pietatis & fidei documenta percepi.* felix diſcipulus, qui Angelum inſtructorem ſortitur.

III Angeli monitu S. Ioannes Chryſoſt. Presbyter ordinatur.
Orat. de vita S. Ioan. Chryſoſt.
Bar. Tom. 4. Ann. 386.

Stupenda ſunt prorſus, quæ de S. Ioanne Chryſoſtomo memorat Leo Auguſtus: *Flauianus,* inquit, *cum vigilaret quadam nocte, videt Diuinum ad ſe accedere Angelum, qui ei iubebat, ordinare Ioannem, dicens, eum futurum nouum vas electionis: Ecce, ſubinferens, ego ei de hoc mandatum dabo & obediet. Ad quem quidem cum acceſſit Angelus, de hoc mandauit ei, prius dicens futura; & quæcunque par eſt facere, eum qui Diuinus futurus eſt miniſter: Cumquè adeſſet hora ordinationis, & incruentum peragere tur ſacrificium, & inferius aſſiſteret, multitudo innumerabilis, & Angeli deſuper intuerentur, manum impo-*

imponente Epiſcopo, & preces dicente conſuetas, dicitur factum eſſe illud maximè nouum ſpectaculum, vt alba columba deuolans; ſtaret ſupra caput Ioannis, cui manus imponebatur. Tali ornamento ſancti Angeli ordinationem ſancti Ioannis Chryſoſtomi in Presbyterum cohoneſtârunt.

Sic etiam Angeli monitu, S. Melanius conſtituitur Epiſcopus Rothomagenſis, & ad prædicandum Dei verbum, deſtinatur: *Nam cum die quadam, S. Stephanus Romanus Pontifex, & Martyr celebraret, & ei Melanius miniſtraret, Angelus Domini, à dextris Altaris conſtitit, quem vterque illorum vidit. Hic igitur ipſe Angelus, finita miſſa, Melanio Epiſcopalem baculum dedit, & eum Vrbi Rothomagenſi, à Deo electum Epiſcopum, nunciauit, & vt illicò ad prædicandum accederet, mandauit, Chriſtumque ipſi Ductorem futurum promiſit, ſtatimque diſparuit. Melanius itaque ſtatim, accepta Epiſcopali conſecratione, à Pontifice, diſceſſit, & Chriſtum itineris Ducem habuit. Veniens autem Antiſiodorum, inuenit hominem, qui caſu, bipenni pedem diuiſerat, hunc baculo, ab Angelo accepto, tetigit, & ipſum ſine mora, ſanauit. Veniens autem Rothomagum, prædicationis officio fideliter inſtitit, & miraculis clarus, ferè totum populum, ad Dominum conuertit.* Hæc de Melanio Petrus de Natalibus. De ſancto Eucherio narrat Ado: *Cum defuncto Lugdunenſi Antiſtite, vniuerſa Eccleſia Paſtorem, quem Deus vellet, ſibi dari poſtularet, Angelus cuidam puero apparens, ait: Eſt Senator quidam Eucherius nomine, ſuper fluuium Durentiam, retruſo in ſpecu, qui relictis omnibus quæ poſſidebat, ſecutus eſt Dominum, ad hunc pergite, & paſtorem eum, vobis conſtituite, quoniam à Deo eſt electus:* Sic ſancto Maclouio, Angelus apparuit, & Dei vice, vt in Angliam rediret, ibiquè vineam Domini fructuoſe excoleret, præcepit.

IV. Angelus denominat Melanium Epiſcopum Rothomagenſem. Petrus de Natalibus lib. 9. Catalogi Sanct. cap. 93.

V. S. Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus ab Angelo deſignatur. Ado in Martyrologio.

VI. S. Maclouius. Sigebertus in eius vita.

De S. Lauriano Martyre, Hiſpalenſi Epiſcopo, ferè ſimilia memorat Lucius Marinæus Siculus: *Cum enim vir ſanctiſſimus, Hiſpali, Diuino cultui, quàm diligentiſſimè inſeruiret, & Chriſtianos, ad augendam fidem Catholicam, an maret, Rex Hiſpaniæ Totila, exitium ei minabatur. Quamobrem Laurianus, Angelum per quietem, hæc ad ſe loquentem audiuit: Surge Lauriane, & ab Vrbe ſtatim diſcede: nam Ciuitas iſta, propter hoſtium Chriſtianæ fidei Tyrannidem, ſæuiſſima peſte, diu multumquè vexabitur, & Hiſpania tota, ſeptem annis, nullis pluuiis irrigabitur, & flumina ferè omnia, deſiccabuntur. Quo monito accepto, Laurianus, illicò Romam eſt profectus, vbi innumeris patratis miraculis innotuit. Mox autem ab eodem Angelo admonitus, vt in Hiſpaniam rediret, quia Martyrium pati eum oporteret, reuertens, in itinere, à Totilæ ſatellitibus obtruncatur. Porrò præciſum caput ſuum, res mira, ipſemet accipit,*

VII. S. Laurianus Martyr Epiſcopus Hiſpalenſis. Lib. 5. de rebus Hiſpanicis.

Monetur ab Angelo vt redeat.

Obtruncatus ipſemet geſtat caput ſuum.

& geſtando progreditur, ad locum, procul inde diſtantem. Quod cum ſatellites miraculum vidiſſent, perterriti, metuq́; exanimati, ad Chriſti fidem conuerſi, baptiſma expetierunt & caput Lauriani flentes Hiſpalim detulerunt. Et cum Regi omnia, quæ vidiſſent, ex ordine retuliſſent, Rex quoque Fidem Chriſti eſt amplexus: Hæc de S. Lauriano Lucius Marinæus.

VIII. S. Stephanus Hungariæ Rex.

Ioan Cartuicius Epiſ. in vita S. Steph. Regis. cap 7. Sur. Tom 4. Bar To. 10. Annal. Eccl.

Quàm autem promptè, in rebus ambiguis, ne à Diuinæ voluntatis ſcopo aberremus, nos inſtruant Angeli ſancti, vel vnica, quam è vita S. Stephani, Vngariæ Regis, attexo, hiſtoria clariſſimè demonſtrabit: *Anno Domini Milleſimo, Mieſca Polonorum Dux, Chriſtianam complexus fidem, Legatos ſuos Romam miſerat, vt Syluestri II. benedictionem, & Regium ipſi titulum impetrarent. Aſſenſerat quidem Pontifex, & iam Coronam, egregio opere, confici curauerat, quam ei mitteret, ſua benedictione adiuncta: ſed quia nouit Dominus, qui ſunt eius, qui etiam duobus Apoſtolis propoſitis, Matthiam, ſocio ſuo prætulit, & cum Apoſtolis annumerandum curauit, illa Corona Stephanum Vngariæ Regem coronari voluit, poſtea ſelicius gloria ſempiterna coronandum. Nocte enim eius diei, quo ſtatuerat Pontifex, Coronam Polonorum Principi dare, perferendam, apparuit ei Angelus Domini, dixitq́; ad eum: Noueris craſtino die, hora diei prima, ignotæ gentis nuncios ad te venturos, ſuo Duci Coronam Regiam, & Apoſtolicam benedictionem, abs te expetituros. Eam ergo Coronam, quam parari iuſſiſti, illis incunctanter tribue, ad ipſorum Ducem aſportaturis: Nec dubites illi eam, cum Regni gloria, pro eius vitæ meritis, deberi: Itaque craſtina die, Præſul Aſtricus, Stephani Ducis Legatus, vt Angelus præmonuerat, comparuit, & quæ petebat, cum omni ſatisfactione impetrauit, & ad Ducem reuerſus, eum ad Diuinas laudes deprædicandas, efficaciter inflammauit.* Hæc è vita S. Stephani Vngariæ Regis, quem ſanctus Imperator Heinricus, data in Matrimonium, Giſila, ſorore ſua, ad Chriſti fidem amplectendam, induxit.

Angelus Coronam & Regni titulum alteri deſtinatum S. Stephano Vngarorum Principi aſſignari præcipit.

IX Eremita à Diabolo deceptus ab Angelo rectè informatur.

Nicolaus de Niſe in 1. parte Ædificatorij tract. 1. de Prouidentia.

Errore forſan aliquo deceptus, à Diabolo, fluctuas? Sanctum tuum Angelum conſule: is tibi ſimplicem rei veritatem dexterrimè enodabit: Eremita quidam ſenex, à Diabolo, in Angelum lucis transformato, de damnatione iunioris cuiuſdam fratris ſui, admodum piè viuentis, informabatur, ſed falsò & perperam, vti moris eſt Diabolo. Quotieſcunque igitur eum videbat, amariſſimè flebat; cauſſam fletus à iuniore rogatus, eius eſſe damnationem reſpondit, quam ab Angelo didiciſſet. At iunior, amore Dei plenus, ita reſpondit: *Nihil me iſta conturbant: Fiat voluntas Dei, in omnibus cui non ſpe cæleſtis gloriæ ſeruio, ſed quia ipſe prior amauit me, & pro me tàm dira eſt perpeſſus. Si me voluerit ſaluare, poterit vtique: Si verò damnare, quis poterit prohibere?* Sequenti verò nocte, verus lucis Angelus, apparuit Seniori, fraudesque Diaboli retegens aſſeuerauit; Iuniorem, vnico illo tam heroicæ confidentiæ actu, omnia Senioris merita virtuteſque

teſque ſuperaſſe. Sic mendax Diabolus decipit; Sic Angelus Cuſtos fraudes eius in apricum & in lucem producit.

Stas forſan inter ſacrum & ſaxum? in biuio conſtitutus, quam viam tenere oporteat ignoras? ancipiti cogitationum æſtu diſtraheris? Ad Angelum tuum cuſtodem cõfuge, hunc roga, hunc obſecra, vt tibi Diuinam voluntatem, cuius faciem iugiter contemplatur, aperiat, & quid agendum, quidue fugiendum, manifeſtet; nec dubita, nunquam Angelo Duce, à recto tramite, aberrabis. Cuius rei præclariſſimum Exemplum, deſcribit Sophronius, de ſene quodam *pio quidem, & magnæ abſtinentiæ, qui tamen ita ſimplex erat circa fidem, vt vbicunque eum eſſe contigiſſet, etiam apud Hæreticos, communicaret. Apparuit igitur Angelus Dei, viſibili forma, interrogans, quonam modo ſepeliri vellet? An vt Ægyptij quidam Monachi, (qui à vera fide aberrârant) an vt Hieroſolymitæ (qui Eccleſiæ Romanæ fidem tenebant) Et ſenex reſpondebat: Neſcio; ſubdidit Angelus: Cogita & delibera, poſt tres hebdomadas redibo, & dices mihi. Prudentiores interea conſuluit, qui reſponderunt, eum malè feciſſe, quod hactenus apud hæreticos communicâriſt. redit Angelus, cui reſpondit: Et ſentio, & ſepeliri volo, cum Hieroſolymitis, ad quod Angelus, benè eſt. Et ſenex illicò tradidit ſpiritum. Hoc autem totum factum eſt, Angeli Cuſtodis opera,* inquit Sophronius, *ne labores ſuos perderet, & cum hæreticis, condemnaretur.* Sic Angeli aberrantes, ad Veritatis tramitem reducunt.

X. Simplicem ſenem à fide aberrantem reducit.

Prati ſpiritualis c. 178. in vitis Patrum lib. 10.

Huc pertinet & illud, quod de Gennadio, excellenti Medico Carthaginenſi, refert S. Auguſtinus: Erat is miſericordiæ operibus valde addictus, ſed tantum, an alia præter hanc vitam ſupereſſet, dubitabat Eius itaque, propter miſericordiam illam in pauperes, miſertus eſt Deus, miſitque Angelum, qui in ſomnis ei repræſentaret voces cantumq; beatorum. Sed euigilans ſomnium eſſe arbitratus contempſit. Nocte poſtera, eidem apparuit, idem Angelus denuò, habitoq; colloquio, cum illo, tandem concluſit: *Sicut tu in ſomnis, clauſis oculis corporeis, intelligebas tamen, quæ dicebantur, & videbas, atque percipiebas: Ita anima, quamuis à corpore ſeparata, & inſtrumentis ſenſuum carens, intelligere poterit, & ſentire.* Qua Angeli illatione victus, errorem dimiſit, poſthac aliam vitam, firmiter credens.

XI. Euedius ab errore liberatur.

Epiſt. 100. Ad Euodiū. Bredenbach lib. 8. cap. 18.

Et nos ô ſancti Angeli non ſolùm periculoſis erroribus, verum etiam lubricis caſibus, in omni actione noſtra, obnoxij viuimus, vt non ſolùm omni momento, informatione veſtra, ſed & ſuſtentamine ac fulcimento indigeamus. Si quando igitur ad errorem procliues cernitis, corrigite quod ex parte noſtra perperàm inſtituatur; Si quando ad lapſum pronos, animaduertitis, manus veſtras ſupponite, ne lapſu offenſionis aut ſcandali allidamur, ſed inoffenſo pede, rectoq; tramite, ac mini-

mè vacillanti greſſu,ad eum perueniamus,qui eſt via, veritas & vita,Dominũ Ieſum Chriſtũ, à vobis pariter & nobis benedictũ in ſæcula. Amẽ.

SERMO XIX.

III. Angeli Cuſtodis beneficium ſpirituale: Ad pœnitentiam Angeli prouocant,& inducunt peccantes.

Memor eſto vnde excideris,& age pœnitentiam,& prima opera fac. Apoc.2.

QVod periti viæ duces facere conſueuerunt, dum vident aliquẽ, è comitibus ſibi commendatis,per deuia & auia,à vera & regia via,temerè aberraſſe,& parum tuto tramite, pergentem , latronum latibulis imminere,vbi periculum vitę ac bonorum,facilè ſit incurſurus,alta primùm & eleuata voce, erronem reuocant; quam ſi nec audiat,neque compareat,vel acuto & aëra penetrante fiſtulæ ſibilo, vel ſclopeti exploſione, vel alio modo,ſignum edunt, cuius monitu retrocedat,atq; ad comitatum,tutioremq; ſemitam,reuertatur: Id ſanctis Angelis proprium & quodammodò agnatum eſſe cenſeo, quotieſcunq; animaduertunt,improuidum viatorem , huius ærumnoſæ peregrinationis,*à Hieruſalem in Hiericho*,à Dei gratia in peccati lethiferi ſtatum tranſire, *& in latrones illos infernales*,incidere,qui bonis omnibus expoliatum,mul-
Luc. 10. tiſq; vulneribus conciſum,ſeminecem, in via relinquant: Hoc namque periculum,vt auertant,vt erraturientes,ad meliorem frugem redeant,& reſipiſcant;quinimò,pœnitentiæ aratro manum,applicent, amiſſam ſalutem recuperent,& in tuto recuperatam reponant, nîl inauſum, nîl intentatum omittunt. Vnde perpetua illorum vox eſt,quam Epheſinæ Eccleſiæ Præſuli, Angelus in Apocalypſi inculcabat: *Memor eſto vnde excideris,& age pœnitentiam,& priora opera fac*,quibus antequam in damnabilem peccati ſtatum incideras,operam nauabas: Dum igitur, ô ſancti Angeli, beneficium iſtud veſtrum expendimus, & vos ipſi interuentu veſtro , apud Deum effectum date,ne id fruſtra,& ſine fructu in nos collocetis,& quod Deus auertat,oleum operam vé veſtram perdatis.

Memor eſto vnde exideris,& age pœnitentiam,& prima opera fac, quæ antequã in grauia peccata prolabareris, in Dei gratia operari ſolebas. *Memor*
I. Interna monitio Angeli ſancti. *eſto vnde excideris*;Nam Dei gratiã & fauorem , ita grauiter delinquendo, amiſiſti;cũ Angelis rebellibus,ius Regni cæleſtis perdidiſti;Deitatis imaginẽ,animæ tuæ impreſſam,fœdiſſimè conſpurcaſti;omnia cælitùs infuſę
Eſai. 14. Gen. 3. gratiæ dona perditiſſimè diſſipaſti: Cũ Adã & Eua, ſerpentis voci magis,
Matt 18. quàm Diuinis monitis paruiſti; Lapidem veluti molarẽ,quo in profundũ
2. Petr. 2. barathri ſubmergaris,collo tuo appendiſti ; rudentes inferni, quibus in perditionem à Dæmonibus traharis, tibimet imprudenter inieciſti ; è filio Dei,

Digitized by Google

lio Dei, in mancipium Diaboli degeneraſti; rabidorum canum, taurorum
ferocientium, Leonum rugientium, Serpentum virulentorũ, Draconum
peſtiferorũ, à quibus diſcerparis, agmini, temerè auſu pernicioſiſſimo, im-
miſcuiſti; cũ ſis puluis & cinis, terrę miſer vermiculus, Diuinã infinitamq́; Gen. 18.
Creatoris maieſtatem, grauiſſimè offendiſti, tàm huius vitæ pœnis, tem-
porarijs, quàm alterius ſęculi ęternis ſupplicijs, temerè obſtrinxiſti. *Memor
eſto, vnde excideris*, recordare quid amiſeris, ad mentem reuoca, quid ac- Apoc. 2.
quiſiueris, & pœnitentiã age, ex intimo corde compungere, dole, lachry- Luc. 16.
mas funde, ſtultitiam tuã deplora, age pœnitentiam, reuertere cum filio
prodigo, ad amantiſſimum Patrem, qui *cor contritum & humiliatum non de-* Pſal. 50.
ſpiciet, dummodò *dignos* poſthac *pœnitentiæ fructus* opereris: Hæc & ſimilia
ſine numero, Angelus tuus Cuſtos, tibi omni momẽto inculcat & inſpi-
rat, vt ad peccati emendationẽ, veramq́; pœnitentiã exciteris: *Væ nobis*, in-
quit S. Bernard. *ſi quando prouocati Angeli ſancti, peccatis & negligentijs noſtris,
indignos nos iudicauerint, præſentia & viſitatione ſua, qua nos protegere, & pro-
pulſare poterant, inimicum. Quod ſi neceſſariam habemus familiaritatem dignatio-* Serm. 12. in
nis Angelicæ, cauenda eſt nobis eorum offenſa, & in his maximè manendum, quibus Pſal 90.
eos nouimus oblectari: Sed quid maximè recreat Angelos? Audi Saluato-
rem: *Gaudium eſt Angelis Dei in cælo, ſuper vno peccatore, pœnitentiam agente.*
Memor itaque *eſto* homo peccator, *vnde excideris, & pœnitentiam age.*

Sanctos porrò Angelos Tutelares, Clientes ſuos, ad pœnitentiam, de I. Ad Pœni-
peccatis agendam, flectere ac permouere, cui vnquã cordato & ſenſato, tentiam
in mentem venit dubitare? Eius vnica cura eſt, nũc Chriſti & Sanctorum Clientes
Exemplis, tarditatem tuam excitare: Nunc voluntatem, Diuinæ bonita- inuitant.
tis, & beneficiorũ eius commemoratione accendere, quandoq́; intellectũ II. Angelica
futuri iudicij, & infernalium pœnarum, timore percellere, & hominem à in hoc opere
malo abſterrere. Cuius rei præſtantiſſima figura, in Balaam Propheta, induſtria.
quondam præceſſit: Hic enim, cum ad maledicendũ Dei populum, egre- III. Exem-
deretur, & fortè fortuna, ad viã valdè anguſtam, duos inter parietes, per- plũ Balaam.
ueniſſet, Angelus Dei ſtricto gladio ſe illi oppoſuit, ita tamen, vt Diuino Num. 22.
conſilio, non videretur à Balaam, ſed tantùm ab Aſina, cui ille inſidebat.
Cum itaq́; iumentum conſiſteret, nec lato quidem vngue, vlterius pro-
greſſurum, Balaam commotus animo calcaribus & fuſtibus, illud diuer-
berare, vt antrorſum procederet. Quare Aſina, vt obſtantem ſibi Ange-
lum declinaret, muro, vt potuit, viciniſſimè ſeſe iungens, immò duriter
affricans, ſeſſoris pedem atteruit: At ille iterum, multoq́; immitius eam
percuſſit, donec ferocientis impetu, fatigata, concideret. Et licet Domi-
nus aperuiſſet os Aſinæ, vt loqueretur: *Quid feci tibi? cur percutis me, ecce
iam tertiò?* nihili tamen faciebat, prodigium iſtud Balaam, donec apertis
oculis

oculis, videret Angelum ſtantem, in via, euaginato gladio, qui eum corripiens, diceret: *Cur verberas tertiò Aſinam tuam? Ego veni vt aduerſarer tibi, quia perverſa eſt via tua, mihiq; contraria.* Balaam itaque, in ſe reuerſus: *Peccaui*, inquiens, *neſciens quod tu ſtares contra me: Et nunc ſi diſplicet tibi, vt vadam, reuertar.* Conſimili methodo nobiſcum agit ſanctus Angelus Cuſtos, cum ad peccati præcipitia properamus; Principio enim obijcit ſe nobis, euaginato gladio, rigorem Diuinæ vindictæ repræſentando, quæ ſcelera, pœnis nunquam finiendis, caſtigat. Deinde cogitationis habena, ad anguſtum tranſitum, ineuitabilis mortis, cui ſuccedit tempus non amplius operandi, ſed recipiendi mercedem, quæ reſpondeat operibus vitæ anteactæ. Tertiò conſtringit intra duos parietes Iudicium & Infernum, vtrumque inexplicabili horrore plenum: Sic ſæpè nos terrent, Angeli, vt relicta peiori via, retrocedamus & viam, quæ ducit in cæleſtem Paradiſum, cum lachrymis perueſtigemus, ſtultitiam priorem, omninò damnantes. Tali compendio vtitur Angelus, dum occultè in animo noſtro, operatur. Quin etiam viſibiliter quandoque, coram Iſraelitis apparens, grauiter eos reprehendit: *Duxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua iuraui Patribus veſtris & pollicitus ſum, vt non facerem irritum pactum meum vobiſcum, in ſempiternum, & noluiſtis audire vocem meam. Cur hoc feciſtis?* Et ſubijcit ſcriptura Angelicæ increpationi: *Hæc Angelo loquente, omnes filij Iſrael, eleuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt, immolaueruntq; ibi hoſtias Domino, vt eum placarent.* Hæc eſt induſtria, hæc ſolertia Angelica, qua nos ad pœnitentiam inducunt. Memorabile eſt in hoc genere, quod de S. Martino refert Seuerus Sulpitius: *Nam cum Authoritate Imperatoris Maximi victus, Ithacianæ factioni, aliquantulum fauiſſet, & aliqualem aſſenſum præbuiſſet, nec tamen eorum decreta vnquam ſubſcripſiſſet, ideoq; vehementiſſime in via, cum domum reuerteretur, indoleret, aſtitit ei repente Angelus; Meritò,* inquit, *Martine, compungeris, ſed aliter exire nequiſti. Repara virtutem, reſume conſtantiam, ne iam non periculum gloriæ, ſed ſalutis incurreris. Itaque iam ab illo tempore, ſatis cauit, cum Ithacianæ partis communione miſceri.*

IV. Quandoque Angelus increpat peccatores.

Iudic 2.

V. S. Martinus & exiguum & inuoluntariũ errorem, inſtigante Angelo vehementer compungitur.

Dial. lib 3.

In vitis Patrum, memorat Palladius, *ſenem quendam, qui quotidie Diuino iuſſu ab Angelis paſcebatur, ob elationem tandem, gratiam illam amiſiſſe. Cum igitur in ſpelunca ſe incluſiſſet, ac ſibimet ſaccum ac cinerem ſubſtrauiſſet, non prius è terra ſurrexit, nec flere ceſſauit, quam vocem Angeli audiſſet dicentem: Accepit Dominus pœnitentiam tuam, & tui eſt miſertus: Sed vide, ne poſthac amplius à Spiritu ſuperbiæ decipiaris:* Atque ita nihil gratius Angelis euadere poſſet, quàm ſi poſt lapſum reſipiſcamus, & pœnitentiam agamus.

VI. Ab Angelo paſci ſolitus ſuperbiendo gratiam illam amittit, donec Angelo monente, pœnitentiam agat.

Cap. 46. & Ruffinus li. 2. cap. 1.

Sic de Alfonſo X. Ferdinandi tertij filio, ſcribit Rodericus Toletanus, *cum blaſphemiæ, aliorumq; peccatorum, reus grauiſſimorum, impœnitens viue-*

VII. Alfonſus X. Ab Angelo ſæpius corripitur

lib 4 cap 5. Annal. Hiſp.

Digitized by Google

viueret, Angelus eius, primò militi cuidam, nomine Petro Martini, de Pampliega, homini Deum timenti, apparuit monens, vt Regem adiret, & hortaretur ad pœnitentiam, ni grauiſſima Dei iudicia, propediem experiri vellet. Sed cum hanc viſionem Rex non curaret, iterum Angelus eius apparuit Eremitæ cuidam, quem Rex etiam, tanquam ſtultum, à ſe reijciebat; verùm cum ea nocte Angelus Domini horribiles & inſolitas tempeſtates, tot tonitrua, tot fulgura, & fulmina, immitteret, vt in cubiculo Regis quoque fulminea ſagitta, veſtes Regis & Reginæ amburens, itidem appareret, animum tandem mutauit, & Eremita reuocato, ſeriam pœnitentiam egit, iratumq́; Numen placauit. Sic refert Vincentius Belouacenſis, Religioſum quendam Ciuitatis Colonienſis, Liphardum nomine, à rigore ordinis ſui deſciſcere, & ad ſæculum redire cogitantem, ab Angelo ad Cæmiterium deductum, *vt ibi fœtens cadauer aſpiceret, & cogitaret, qualis ipſe mox futurus eſſet.* Vnde in ſe reuerſus, pœnitentiam egit, Deoque & Angelis ſuis gratias egit.

Angelus adhibet compelle intrare.

VIII. Religioſus Apoſtatare volens corripitur.

Speculi hiſtorialis li. 11.

Quàm porrò libenter Angeli doceant homines, præſertim vt animæ ad Deum conuertantur, facilè ex duobus hiſtorijs in vitis Patrum, apud Heribertum Roſweidum, nobis ſuppeditatis colligetur. Priorem deſcribit Palladius in hæc verba: *Non autem mihi videtur dignum, etiam eremi habitatores, qui Parthenio mari adiacet, & vicina eſt oppido, quod dicitur Diolco, ſilentio præterire. In quo vidimus quendam Presbyterum, admirabilem, nomine Piammonem, totius humilitatis & benignitatis virum, habentem etiam reuelationum gratiam. Denique quodam tempore, cum Domino ſacrificium offerret, vidit Angelum Domini ſtantem iuxta altare, & vniuſcuiuſque monachorum accedentium ad altare, ſcribentem nomina in libro quem tenebat in manibus, quorundam tamen nomina non ſcribentem. Cumque diligenter obſeruaret ſenior, qui eſſent, quorum nomina non ſcripſiſſet, poſteaquam ſunt completa myſteria, vnumquemque eorum ſeorſum vocans, percontatur, quid eis in occulto peccati fuiſſet admiſſum: & inuenit ex confeſſione, vnumquemque eorum, mortalis peccati obnoxium. Tunc hortatur eos agere pœnitentiam, & ſemetipſum cum eis, ante Dominum proſternens, die ac nocte, tanquam ipſe in eorum peccatis eſſet obnoxius, flebat, & tàm diu permanſit cum eis in pœnitentia & lachrymis, donec iterum videret eundem Angelum ſtantem, & ſcribentem nomina accedentium. Et poſteaquam omnium ſcripſit, tunc etiam illos ex nominibus euocantem, atque ad reconciliationem altaris inuitantem. Vbi hoc verò ſenior vidit, intellexit eorum ſuſceptam eſſe pœnitentiam: & ſic eos altari totâ cum gratulatione, reſtituit.*

IX. S. Piammon videt Angelum ſcribentem nomina contritorum, & pœnitentiã agentium.

Lib. 2. de vitis Patrum. cap. 72.

Alteram paulò prolixiorem, non poſſum non etiam, interpretis Ioannis, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Diaconi verbis recenſere: *Narrauit iterum ſenex, de quodam Epiſcopo, vt maximè ex eo fiduciam accipientes, diligentiam noſtram in Deo habeamus, ad ſalutem. Nuntiabatur à quibuſdam, Epiſcopo, qui apud*

X. Epiſcopus de Conuerſione peccatorum ab Angelo informatur.

Ruffinus lib. 3. num 166. Pallad. cap. 23. num. 1.

nos conſiſtebat, ſicut hæc ipſe Epiſcopus referebat, quaſdam ſæcularium matronarum, duas eſſe mulieres fideles, quæ quaſi impudicè viuerent. Epiſcopus autem ex his qui ei hæc nunciauerant, commotus eſt, & ſuſpicatus, ne fortè & aliæ huiuſmodi eſſent, ad deprecandum Deum ſe conuertit, inde certus effici rogans, quod & meruit. Poſt Diuinam enim illam atque terribilem conſecrationem, dum accederent ſinguli, ad participanda ſancta myſteria, per vultus eorum cernebat animas, quibus vnaquæque ſubiaceret, peccatis. Et peccatorum quidem hominum videbat facies nigras, quoſdam verò ipſorum, tanquam ab æſtu exuſtas facies habentes, oculos autem rubeos ac ſanguineos, alios autem claros quidem facie, candidos verò amictu. Et alij quidem, dum acciperent corpus Domini, exurebat eos, & incendebat, alijs autem ſic lumen efficiebatur in ſe, & per os ingreſſum, omne corpus eorum illuminabat. Erant autem inter ipſos etiam, qui ſolitariam vitam elegerant, & hi, qui in coniugijs erant, qui & ipſi ita eſſe, videbantur. Deinde conuertit ſe, & cæpit etiam ipſe mulieribus diſtribuere, vt cognoſceret quales & ipſarum eſſent animæ, & vidit ſimili modo, fieri nigras ac rubeas facies, earum ſanguineas quoque & albas.

Videt Epiſcopus diuerſas facies accedentium ad ſacram ſynaxin. Quoſdam illuminat ſacra hoſtia, quoſdam comburit.

Inter ipſas autem venerunt & illæ duæ mulieres, quæ accuſatæ erant illi Epiſcopo, propter quas maximè ad hanc precem, & prauidentiam venerat: cernit etiam ipſas, dum accedunt, ad ſanctum myſterium, clarum habentes vultum, & honorificum, candida verò Stola circumamictas. Deinde cum & ipſæ participatæ fuiſſent myſterio Chriſti, factæ ſunt ſicut à lumine illuſtratæ. Rurſum Epiſcopus ad ſolitam precem conuertebatur, ſupplicans Deo, & diſcere cupiens, modum reuelationum, quæ ei demonſtratæ fuerant. Aſtitit autem Angelus Domini, & de ſingulis interrogare præcipiebat. Sanctus verò Epiſcopus, continuò de illis duabus ſciſcitabatur mulieribus, ſi vera eſſet illa prima accuſatio, an falſa: at verò Angelus affirmabat, vera eſſe omnia, quæ dicta de his fuerant. Epiſcopus quoque ait ad Angelum: Et quomodo in perceptione corporis Chriſti ſplendidæ erant facies earum, albam autem Stolam habebant, lumine quoque fulgebant, non paruo?

Eximia virtus vera pœnitentia duarum matronarũ, carnalibus peccatis anteà deditarum.

S. Angelus de omnibus erudit Epiſcopum.

Ait autem Angelus: Eò quod reſipuerunt de actibus ſuis, & diſcedentes ab his lachrymis & gemitibus atque Eleemoſynis pauperum, per confeſſionem, diuinum meruerunt numerum: de cætero, in his malis nunquam ambulare promittentes ſe, ſiquidem de prioribus delictis, veniam mereantur. Propter hoc ergo, meruerunt Diuinam immutationem, & à criminibus abſolutæ ſunt, & viuent deinceps ſobriè, ac piè, & iuſtè. Epiſcopus autem mirari ſe dicebat, non tantùm de immutatione illarum mulierum (hoc enim contigit multis fieri) ſed Dei donum, qui non ſolùm eas tormentis minimè ſubiecit, ſed etiam tantam eis dignatus eſt donare gratiam. Ait autem Angelus ad eum: Admiraris hoc iuſtè, quaſi homo; Dominus autem ac Deus noſter, & veſter, cum naturaliter ſit bonus ac miſericors, his, qui diſcedunt à proprijs delictis, & per confeſſionem accedunt ad eum, non tantùm in tormenta eos ire non ſinit, ſed etiam furorem ſuum mitigat ab eis, & honore-

Angelus explicat quãta benignitate Deus reſipiſcentes peccatores ſuſcipiat.

Digitized by Google

& honore dignos facit; etenim ſic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret pro eo. Qui igitur, cum inimici eius eſſent, homines, mori pro ipſis elegit, non multò magis domeſticos effectos eos, & pœnitentiam ſuper his, quæ geſſerant agentes, abſoluit à pœnis? His verò, quæ ab ipſo præparata ſunt, bona præſtabit fruenda; hoc ergo ſcito, quia nulla delicta hominum vincunt Clementiam Dei: tantum per pœnitentiam ea, quæ pridem quis mala geſſerat, abluat actibus bonis. Cum enim ſit miſericors Deus, ſcit infirmitatem generis veſtri, & paſſionum fortitudinem, & Diaboli potentiam atque aſtutiam, & incidentibus quidem hominibus in peccatis, quaſi filijs ignoſcit, & expectat correctionem eorum, patientiam habens in eis. Conuertentibus verò, atque eius exorantibus bonitatem, tanquam infirmis compatitur, & abſoluit confeſtim tormenta eorum, & donat eis bona, quæ præparata ſunt iuſtis. Ait autem Epiſcopus ad Angelum: Obſecro te, dic mihi etiam vultuum differentias, in quibus peccatis vnuſquiſque eorum ſubiaceat, vt etiam de his agnoſcens, ab omni liberer ignorantia. Angelus autem dixit ad eum: Hi quidem, qui ſplendido atque hilari vultu ſunt, in ſobrietate, & caſtitate, & iuſtitia, viuunt, modeſti quoque & condolentes, ac miſericordes ſunt. Hi verò, qui nigras habent facies, fornicationis & libidinis operarij ſunt, cæteriſq; ſceleribus & delictis dediti. Hi verò, qui apparuerunt ſanguinei ac rubei, in malignitate ac iniuſtitia viuentes ſunt, amantes detractiones, blaſphemi, doloſi & homicidæ ſunt. Rurſum dicit ei Angelus: Adiuua eos, ſiquidem ſalutem eorum deſideras: propterea etiam, meruiſti orationum tuarum effectum, vt videndo diſcas, diſcipulorum tuorum peccata, & per admonitiones atque obſecrationes, meliores per pœnitentiam eos facias, ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit à mortuis, IESV CHRISTO Domino noſtro. Quantacunque igitur tibi virtus eſt, & ſtudium, ac dilectio, circa Dominum tuum, Chriſtum, omnem eorum gere prouidentiam, vt conuertantur à proprijs peccatis, ad Deum, ſuadens eis manifeſtè, quibus peccatis ſubiaceant, ne propriam deſperent ſalutem ex hoc. Pœnitentibus quidem illis, & conuertentibus ad Deum, animabus eorum ſalus erit, & epulatio futurorum bonorum, tibi verò, erit plurima merces, imitando Dominum tuum, qui cælos quidem reliquit, in terris autem demoratus, propter ſalutem hominum eſt. Veniam date auditores, ſi breuitatis limites ſum tranſgreſſus; hæc tàm ſpectabilis Angeli ſancti informatio, digna mihi videbatur, quæ ipſiuſmet ſcriptoris verbis, ſine tædij veſtri metu, recenſeretur.

Clementia Dei ſuperat omnia hominum peccata, teſte Angelo.

Petit Epiſcopus quid ſignificent vultuum differentia.

Serena facie accedentes ad ſynaxin, caſti, puri, iuſti.

Nigra facie, luxurioſi.

Sanguinei & rubei Blaſphemi detractores, crudeles & ſanguinarij.

Angelus monet Epiſcopum vt diligenter laboret pro conuerſione animarum.

Lubet hîc ad clariorem euidentiam induſtriæ Angelicæ, in peccatorũ cõuerſione ſæpius compertæ, præclarã, ſed nouam hiſtoriã, verbis ipſiuſmet ſcriptoris, Frãciſci Albertini attexere, ex qua ad oculũ patebit, quanta ſolicitudine Angeli laborent, vt ad pœnitentiam adducamur. *Non diſſimulabo hoc loco, illuſtre exẽplũ, inquit, quod noſtris temporibus accidiſſe, cõmemorat viuens*

XI Homicidium perpetraturus impeditur ab Angelo.

Li. de Angelo Cuſtode c. 15

viuens rei teſtis, Pater quidam, è ſocietate Ieſu, hodie degens in India. Is enim, cum Coſentiam, præcipuam Calabriæ Ciuitatem appuliſſet, confeſſionem excepit, viri cuiuſdam de tota vita; quo interrogato; quamobrem ea die, potiſſimum, tanta feſtinatione, ac deſiderio, peccata confiteretur? Audi, reſpondit ille, aliquantiſper Pater mi: rem admiratione dignam aperiam. Nudius tertius conſilium mihi ineunti, cum vno ex amicis meis quo pacto commodius iniuriam mihi, à quodam irrogatam vlciſcerer, perſuaſit ille, vt ambo eodem veſpere, bombardis armati, eum perſequeremur: è veſtigio itaque facto propoſito, domum petij. Cum autem arrepta fiſtula ferrea, rotulas ac ſilicem præpararem, vt ne in exploſione fortaſſis, munere ſuo non fungerentur, ecce tibi, ſpecioſiſſimum iuuenem, cuius neſcio, an pulchritudo potius ornamento eſſet, qui geſtibus meis, aliquandiu conſiderati: Quid meditaris, inquit, homo, dic ſodes, quid negotij, quæ te cura premit, quod tanta expolis ſolertia inſtrumenta mortis? Ego adhæc conſilium diſſimulare. Rurſum igitur ille, vt apparebat zelo & indignatione plenus, quorſum ait, mentem tuam non deregi, minum latere me exiſtimas, quæ hactenus, ad expeditiorem, deſignati facinoris executionem, attentaſti? atque ita protracto colloquio, in memoriam mihi reuocauit, quanta Deus, cæli & terræ, pro abiectiſſimo homine, perpeſſus eſt: nec non ingratitudinem & peccata mea, quæ pro tàm copioſa Redemptione, illi retribui, exaggerauit manſuetudinem & longanimitatem ipſius, qui ad hanc vſque horam, pepercit mihi, tametſi commeruiſſem mille infernos, maximè cum propoſitum haberem, pari perpetuò malitia, ſcelera accumulare. Cæterum hiſce verbis, tàm efficaciter cor meum tranſuerberatum fuit: tàm vberes lachrymæ, accenſa ſuſpiria, & mæſti mox ſingultus, totum me occupârunt, vt anima corpore videretur velle excedere, præ nimio pudore ſcilicet, quod aduerteret ſe tot annis, abominabili illo ergaſtulo, delituiſſe. Sed quò acerbius, peccatorum memoria cruciabat me, eò copioſius ille exaggerare beneficia & amorē Chriſti, donec tandem ſermonem ſuum concluderet, ſeria exhortatione, ad exomologeſin peccatorum faciendam, quàm primùm Pater aliquis è Societate Ieſu hûc acceſſiſſet. Interim audiui vocem ſocij prouocantis me, vt verbis ſtarem; alioquin mihi imputandum, ſi quæſita aliquandiu vindictæ occaſio elaberetur: cum verò minimè illi reſpondendum ducerem, iuuenis, aut verius Angelus Cuſtos (hunc quippe ex omnibus indicijs fuiſſe colligo) vt reſponderem impulit. Quocirca, actum eſt, inquam, mi amice, de conatu noſtro. vela vertenda ſunt, nam ex hoc momento, ad propoſitam Chorynthum tendere, niſi cum manifeſto propriæ ſalutis detrimento, non poſſumus. Hoc dicto, ad locum regreſſus ſum, vbi bonum Correctorem, qui iam tunc ex oculis meis ſublatus erat, reliqueram. Itaque repentinus quidem illius diſceſſus, contriſtabat me, ſed præcedens alloquium, tantam mihi conſolationem infuderat, nullo vt dolore diminui eam poſſe, exiſtimarem. Quæ cum ita ſint, vſque ab illo die, expectaui aduentum Paternitatis veſtræ, vt iuſſui Angelici inſtructoris, & promiſ-

Sclopum paranti apparet Angelus.

Exprobrat illi beneficia Chriſti.

Suadet Confeſſionem generalem de tota vita.

promiſſioni meæ, obſequerer. En quanto zelo, ſanctus ille Angelus laborauit, pro conuerſione ſui Clientis.

Veriſſimam aliam, huius argumenti hiſtoriam, attexo, cuius ipſemet ſum auritus pariter & oculatus teſtis: Vir quidam, honeſtæ alioquin conuerſationis, & integræ famæ, à nefarijs quibuſdam Diaboli mancipijs inductus erat, vt pro vulnerario remedio, *Martis*, quod vocant, *ſigillum*, ſibi conficeret, id quod haud alio, quàm die Veneris ſancto, fieri poſſe, dictitant. Paret ille, etiam dicta die, hora, qua Dominica paſſio pro concione explicari ſolet, operi ſe accingit, dumquè cupream lamellam, Diabolicis Characteribus, ſignare incipit, ecce horror incredibilis eum inuadit, videtur ingenti cum terræ motu, tota domus tremere: Interea vir quidam, candida quidem veſte, vultu liberali, iratis tamen, & minitabundis eum oculis aſpiciens: *Siccine*, inquit, *Seruatoris tui Paſſionem & mortem recolis? deſiſte captis, peſſimè alioquin periturus.* quibus prolatis verbis, euaueſcit, & hominem intimè compunctum, relinquit. Ea ipſa igitur hora, peccatum confitetur, inchoatum Diabolicum amuletum, protinus confringendum, tradit confeſſario, ſimile quid, nunquam amplius patraturus. *XII. Vulnerarij Martis ſigillum fabricaturus die veneris ſancto abſterretur ab Angelo.*

Intelligitis, opinor, dilecti mei, quid vobis incumbat, ſi Angelus Cuſtos, ad Pœnitentiam exhortetur. Origenis, vetuſtiſſimi Doctoris verba, cordibus imprimite: *Si homo non acquieſcat monitis Angeli, qui ſibi deputatus eſt ad ſalutem, auferetur maceria eius, & erit in conculcationem. Quod ſi Princeps meus, Angelum dico, qui eſt mihi conſignatus, commonuit de bonis, & locutus eſt in corde meo, ſed ego contemptis eius monitis, & ſpreto conſtientiæ retinaculo, præceps in peccata corrui, duplicabitur mihi pœna; vel pro contemptu monitoris, vel pro facinore commiſſo.* Cauete itaque Angeli contemptum, monitis eius morem gerite, tantò fideliorem eius tutelam, in omni deinceps vita, experietur. Amen. *Hom. 25. in c. 1. Numeri.*

SERMO XX.

IV. Sanctus Angelus Cuſtos, offert Deo noſtras orationes; V. Conſolatur in mærore iacentes.

Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, ego Orationem tuam obtuli Domino. Tob. 12.

Maxima ſeruorum quorundam fidelitas, erga Dominos ſuos, apud Hiſtoricos paſſim, celebratur, quam ſi Angeli Tutelaris, erga ſuos Clientes, beneficentiæ contulero, vmbram corpori ſuo æquiparaſſe,

Digitized by Google

raſſe, haud immeritò cenſebor.. Siue enim in ijs, quæ Dei cultum, & Æterni Numinis laudem, concernunt, occupemur, ſiue tribulationum cladibus affligamur, ſiue mæroribus obruamur, nobis aſſiſtunt, ad bonum nobis cooperantur, nos erigunt, & in omni clade, afflictioneq́ue ſolantur. Quin etiam, ſi contingat nos ex humana fragilitate quandoque labi, & à recto, in cælum, tramite, aberrare, ad meliorem frugem nos reuocant, à malo abſtrahunt, atq; diuellunt, & tanquam Patres ac Pædagogi noſtri, vbi cõtra ſtimulum calcitramus, iuſſu Diuino, ſeuerioris diſciplinæ caſtigatione, nõ alia intentione, quàm emendationis ergò, coërcent. Quæ omnia, dum hæc ad dicendum & audiendum hora conceſſa, explicare molimur, vos Angeli ſancti, gratiam cælitus ſubminiſtrate.

I. Offert noſtras orationes.

I. Nobiſcum plerunque in terris moratur.

Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, ego orationem tuam obtuli Domino. Tametſi Angelus tanta ſcientia, tantaq; potentia & viribus prępolleat, quibus hominem ſibi concreditum, Clientem, in Cælo Empyreo conſtitutus, defendere poſſit, & contra omnes malignas hoſtium incurſiones, ſufficientiſſimè tutari: Nihilominus, vt cura & ſollicitudo eius, circa nos, manifeſtius pateat, amæniſſimam illam ciuitatem habitaculi, Paradiſum cæleſtium delitiarum, quandoque & non rarò deſerit, vt nobiſcum in terris demoretur. Quoties porrò in cælum redit, vt reuera creberrimè redit, preces noſtras, omnipotenti Deo, & Glorioſiſſimæ eius matri, officioſè præſentat. Oculos interim ſuos, à nobis minimè auertit, nec vultum ſuum, à cuſtodia noſtra declinat, ſed perpetuò vigilat, vt ad minimam quamq; neceſſitatem promptiſſimè opituletur. Id tibi perſuadeat myſtica illa, Patriarchæ Iacob ſcala, per quam Angeli, Deo orationes noſtras oblaturi, aſcendebant, & ad defenſionẽ viciſſim deſcendebant, vt lætis inde allatis nuncijs, cæleſti rore, ſitibundas animas, opportunè refocillarent. Hoc ſenſu intelligit & exponit S. Hieronymus, dictum illud ſapientiſſimi Salomonis: *Aqua frigida, animæ ſitienti, bonus nuncius. Quotidie*, inquit, *Sanctiſſimus Eccleſiæ Doctor*, *Angeli de terra longinqua, hoc eſt, ſuperna patria, deſcendentes in mundum, iuſtos vel inter tentationes, ſpe cæleſtium roborant, vel finitis tentationum certaminibus, ad palmam perpetuæ retributionis inducunt.*

II. Quoties in cælum redit offert noſtras orationes *Gen. 28.* *Prou. 25.* *In c. 25 Prouerbiorum.*

III. A diuini vultus contemplatione, nunquam recedunt. *In Iob. cap. 3.*

Nec tamen, quantumuis in hiſce inferioribus, ad bonum noſtrum nobiſcum agant, vt accuratius Clientes ſuos communiant, à beatifica Diuini vultus, qui illis vbique præſens eſt, contemplatione, recedunt. *Mittuntur & aſſiſtunt*, inquit S. Gregorius, *quia per hoc*, *quod circumſcripti ſunt, exeunt, & per hoc, quod intus quoque præſentes ſunt, nunquam recedunt. Et faciem ergò Patris ſemper vident, & tamen ibi ſe, vnde receſſerant, per internam contemplationem, ſeruant.* Ex hac perpetua, tutelaris Angeli, præſentia, occa-

occaſionem deſumit S. Bernardus, eos obiurgandi, qui tàm turpia, tàm abſurda, tàm pudenda, in oculis Angelorũ patrare non erubeſcunt: *Audes, illo præſente facere, quod me vidente, non auderes?* quaſi diceret: Deſcendit Angelus è cælo, vt tibi compatiatur, & opem ferat; & tu non metuis, in eius id agere præſentia, quod in conſpectu, viliſſimi Caculæ, aut lixæ, committere timuiſſes? Angelica itaque præſentia, perpetua, rata eſt & certa: Sic enim cum iuuenis quidam deuotius oraret, vidit S. Macharius Dæmones, velut muſcas, in eius ore, atque oculis, inſidere volentes; ſed Angelus Domini, romphæa ignea, eos repellebat.

In Pſal. 90.

2 Angelus adeſt orantes & Dæmonẽ in ſpecie muſcarum pellit.

Ruffinus in vitis Patrũ, li. 3. cap. 195.

Num dubitas, de tuarum obſecrationum oblatione, coram Throno Diuinæ Maieſtatis? aſſecuraris ab Archangelo Raphaele: *Quando orabas cum lachrymis*, inquit is ad ſeniorem Tobiam, *& ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium, & mortuos abſcondebas, per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino.* Ad hanc oblationem ſignificandam, ſcribitur in Apocalypſi: *Aſcendit fumus incenſorum, de manu Angeli:* Eam ſimiliter petit Regius vates, cum orat: *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo, Domine*, per Angelos tuos ſanctos: *Hi enim*, vt S. Auguſtinus adſtruit, *gemitus noſtros atque ſuſpiria, referunt ad te Domine, vt impetrent nobis facilem, tua benignitatis, propitiationem:* Adſtipulatur ſancta Bonauentura: *O anima ſi videre poſſes, quanto gaudio aſſiſtunt Angeli orationibus, interſunt meditantibus, quanto ſtudio eos in bono, conſeruent*; talibus vtique te exercitijs crebrius occupares, cum ſcias Angelum tibi polliceri: *Quando oras cum lachrymis, ego orationem tuam Domino offero & præſento.*

IV. Oblatio orationum certa & indubitata.

I. Ex ſcripturis & patribus.

Tob. 12.

Apoc 8.

Pſal. 140.

Sololcq c. 27.

In ſoliloq animæ & corp. cap. 1.

Sic S. Gallo, Aruernenſi Epiſcopo, *graſſante inguinaria lue, pro populo ſuo deprecanti, per viſum aſtitit, Angelus Domini, qui tàm Cæſariem, quàm veſtem, in ſimilitudinem niuis candidam, efferebat, & ait ad eum: Benefacis, quod ſic pro populo tuo, ſupplicas: Exaudita eſt enim oratio tua, & eris cum populo tuo ab hac infirmitate liber, nullusq́, te viuente, in hac regione, ſtrage iſta, deperiet.* Et ita factum eſt, vt Angelus prædixit. Memoratu denique digniſſimum iudico, quod Ioannes Cæſarius memoriæ prodidit, in hæc verba: *Sex milites templi in vicinia Saracenorum, horas ſuas canonicas, in terram proſtrati, dicebant, ſed ex inopinato, paganis ſuperuenientibus, cum ſurgere vellent & fugere, Magiſter eis innuit, vt in oratione, iacentes perſeuerarent; Res mira, vt Rex cæleſtis oſtenderet, quantum ei Magiſtri fides, & diſcipulorum obedientia, & præcipuè orationis deuotio, placeret, Angelos ſuos miſit, à quibus infidelium turba, turbata eſt; quidam capti, plures occiſi: Cumq́, eos, quos Angeli vinxerant, Templarij comprehendiſſent, & illi dicerent: Vbi eſt exercitus ille, quem dudum vidimus, à quo partim occiſi ſumus? At Chriſtiani milites, Angelicum ſubſidium agnoſcentes,*

V. Exemplo S. Galli.

Gregor. Tur. lib 4. hiſt. Fran. cap. 5.

VI. Sex milites templarij dum orãt ab Angelis proteguntur.

Lib. 8. c. 47.

reſpon-

reſponderunt: Sunt milites cæleſtes, & Caſtra Dei, & quando neceſſe habemus, veniunt nobis in auxilium, quando non indigemus, in tabernacula ſua reuertuntur.

VII. Magnitudo huius beneficij.

Neque verò beneficium iſtud Angelicum, parui æſtimandum, quandoquidem frequenter accidit, orationes noſtras, quæ in manibus noſtris, multiplicibus culpis inquinantur, à puriſſimo Deo, difficulter acceptari. Econtrario verò, ſi offerantur, per innocentes Angelos, Maieſtati Diuinæ vtique complacent, & permagno ſunt in honore; non aliter atque cibus, in fætenti appoſitus patina, nauſeam generat, in mundo autem, & candenti diſco, oculos pariter delectat, & orexin generans, palatum inuitat. Hanc ſanè ob cauſſam, S. Mater Eccleſia, in Canone ſacrificij corporis & ſanguinis Chriſti, orat: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri, per manus ſancti Angeli tui, in ſublime altare tuum.*

Simile.

VIII. Quidā ſub ſacrificio videt Angelum ſacram hoſtiam Deo offerentem. Lib. de Angelo Cuſtode. cap. 15.

Vnde Franciſcus Albertinus, hiſtoriam fide dignam refert: *In Sabinenſi Monaſterio tempore Serapionis Abbatis, vixiſſe Sacerdotem Monachum, piiſſimeque conuerſationis, qui quoties verba illa, in ſacrificio recitaret, complures vidit Angelos, quorum vnus cæteris auguſtior, ſacram hoſtiam Deo, tanquam ibidem viſibiliter præſenti offerebat, & mox eadem iterum, ſuper altare, ſumma cum reuerentia, collocata, diſparebat:* Sic Angelus Domini, vnà cum S. Cæcilia in cubiculo orans, à Valeriano Sponſo eſt inuentus, non quod ipſe Angelus neceſſe haberet, aliquod à Deo expetere, & impetrare, *ſed vt Cæciliæ orationes, Diuino conſpectui offerens, quod ipſa poſtulabat, efficaciter impetraret.* Hinc itaque colligite, dilecti mei, quanta cum animi collectione, ad orationem & Dei laudes accedendum, cum ſancti Angeli ſemper in promptu ſint, vt eas ab ore, labijsque noſtris exceptas, perferant ante tribunal Diuinæ Maieſtatis: Indubitatum, quippè, quod Dauid ait: *Præuenerunt Principes,* Angeli, *coniuncti pſallentibus, in medio iuuencularũ tympaniſtriarum,* id eſt animarum, Deum laudantium, integro & ſincero corde.

2. Angelus orat cũ Cæcilia vt eius Orationes offerat.

Pſal. 67.

IX. S. Ioannes Chryſoſtomus vidit Angelos præſentes ſacrificio & offerentes Deo ſacram hoſtiam. Epiſt. ad Anaſtaſium. Baron. To. 6. Ann. 407.

Longè illuſtrius, quod S. Nilus de S. Ioanne Chryſoſtomo ſcribit in hæc verba: *Ioannes Sacerdos admirandus, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, immò verò, totius orbis ſplendor, vir animi perſpicacis, omni ferè tempore videbat domum Domini, refertam Angelorum cœtu, & tunc inprimis, cum Diuinum & incruentum ſacrificium offerebatur: quo quidem tempore, ſtupore & lætitia plenus, rem præcipuis amicis ſpiritualibus, priuatim enarrauit. Cum cœpiſſet, inquit, Sacerdos ſanctum ſacrificium, ſeu oblationem facere, plurimæ ſtatim, ex illis virtutibus cæleſtibus, è cælo deſcendentes, ſtolis indutæ, ſplendidiſſimis, nudis pedibus, attentis oculis, pronæ altari, magno cum ſilentio, & reuerentia, quoad venerandum illud myſterium, expletum fuit, circumſteterunt. Deinde huc illuc ſingulæ per totam domum diffuſæ, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus diſtributionem corporis, & precioſi ſanguinis mi-*

Digitized by Google

nis miniſtrantibus, adhæſerunt, ſatagentes, & ſedulò adiuuantes. Hæc autem ſcribo, vt Diuini ſacrificij dignitatem cognoſcentes, caueatis, ne illud negligenter, diuino timore abiecto, adminiſtretis: nec permittatis, vt aliqui inter ſe contendant, & cum tumultu ad ipſum accedant, aut audacter annuant, & è loco ſuo proſiliant, aut huc aut illuc circumſpiciant, & petulanter ſe gerant. Hæc omnia S. Nilus. Addo quod in vita S. Baſilij refertur: *Vidiſſe Eubulum, vnà cum toto Clero ſanctos Angelos, ſacrificantis Baſilij, latus vtrumque cingere, & eum fulgentiſſimo lumine conſpicuum reddere, & myſteria quæ offerebantur, coram Domino præſentare.* Sancto itidem Oſwaldo, Wigornienſi Epiſcopo, *ſacris operanti, viſus eſt Angelus aſtare, ac ſacrificanti non ſolùm reſpondere, ſed & viſibili ſpecie, in omnibus, quàm accuratiſſimò obſequio, miniſtrare.* Ad quid hæc Angelorum aſſiſtentia? quò potiſſimum collimat? Vt eorum preces qui ſacrificio, præſentes interſunt, offerant in conſpectu diuinæ maieſtatis, ait enim: *Quando orabas cum lachrymis, ego orationem tuam obtuli Domino.*

X. 8 Baſilij ſacrificantis latera cingunt S. Angeli.
Heribertus Roſvveidus, lib. 1. de vitis Patrum in vita S Baſilij ab Amphilochio conſcripta.
XI. Angelus ſacrificanti S Oſvvaldo VVigornienſi Epiſcopo adſtat.
Sur. Tom 5. in vita.

Angelus Cuſtos, conſolatur nos in mærore, ſi quando triſtitia quapiam afficiamur in via cæleſti. Hoc ipſum præſtitit Eliæ Prophetæ, quando fugiens à facie maledictæ Iezabelis, & oberrans hinc inde in deſerto, maiorem in modum delaſſatus, ac fatigatus, mortem exoptando, vitæ ſuæ calamitatibus, medelam à Deo procurari, deſiderabat: Illicò enim Angelus ei adſtitit, conſolatus eſt mærentem, expulſoq; luctu, eſurientem ac ſitientem, ſubcinericio pane, & vaſæ aquæ, ad ſaturitatem refecit: *Surge*, inquiens, *comede, grandis enim tibi reſtat via.* progrediendum alacriter, nec labori ſuccumbendum, donec peruenias ad montem Dei Horeb, *vbi videbitur Deus Deorum in Sion.*

II. Conſolantur in mærore iacentes.
I. Exemplũ Eliæ Prophetæ.
Pſal 83.

Rectè S. Auguſtinus: *Angeli adiuuant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, compatiuntur patientibus, mæſtos conſolantur.* De hoc Angelico ſolatio ineffabili cum dulcedine, loquitur S. Bernardus: *Diſcurrit Angelus, quaſi Mediator inter Deum & animam, huius deſideria & preces offert, ipſius beneficia ac fauores reportat; Animam excitat, Deum conciliat; Nunc ad dilectam ſe conuertit, quam cum tribulatam inuenit, maximè ſub principium conuerſionis, (tunc enim ordinariè Deus periculum facit fidelitatis ipſius, & Diabolus, recenter ſibi ſubtractum, periculoſiſſima tentatione, vt plurimum adoritur) armat & animat: Si moram fecerit, expecta eum quia veniet & non tardabit. Nunc ad dilectam, ſubleuando in cælum, & æterno Patri, ſanctiſſima animæ deſideria, præſentando: Sicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ità deſiderat anima mea ad te Deus. Deſiderauit te in nocte, ſed & Spiritus tuus, in præcordijs eius, de manè vigilauit ad te, & tota die manus ſuas expandit ad te. Dimitte illam, quia clamat poſt te. Conuertere aliquantulum, & deprecabilis eſto, ſuper eam. Reſpice de cælo & vide, & viſita deſolatam. Nunc ad dilectam, deſerendo*

II S Patrũ teſtimonia de hoc Angelico ſolatio.
Soliloq c. 27
Serm. 31. in Cantica.

Aa cælum,

cælum, & lætis nuntijs in terreſtri exilio, peregrinantem, exhilarando. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Nunc ad dilectum iterum in cælum properando, vt gratiarum actionem, pro recenti viſitatione factam, referat. Gratias ago tibi Domine, quia deſiderium animæ eius tribuiſti ei: Fidelis Paranymphus, qui mutui amoris conſcius, ſed non inuidus, non ſuam quærit, ſed Domini gloriam; Diſcurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, & referens dona; Excitat iſtam, placat illum. Interdum quoque, licet rarò, repræſentat eos, pariter tibi, ſiue hanc rapiens, ſiue illum adducens, ſiquidem domeſticus eſt, & notus in palatio, nec reueretur repulſam, quia ſemper videt faciem Patris. Hæc omnia melliflnus Bernardus explicans, quibus officijs, Angelus, Clientem ſuum, in ſpem erigat, quomodo conſoletur. Quinimmò ſi S. Baſilio, vt merito, credimus: *Quemadmodum vrbium muri, in circuitu, vndequaque hoſtium inſultus arcent; ſic Angelus à tergo & à fronte, cuſtodit, & neque vtriuſque lateris partes, incuſtoditas relinquit, ne quid aduerſi obrepat, humanæ ſaluti.* Non decet igitur, ô homo, ſi tibi calamitoſum aliquid aut luctuoſum accidat, animo concidere, penitusque conſternari. Te penes eſt, Angelus Cuſtos, à quo ſolatium, tempore congruo, aſſequêris.

Angeli ſunt muri noſtri. In Pſal. 33.

III. Angelus ſolatur B. Iacobum Germanum. Sur. 11. Octobris in eius vita.

Cuius rei memoratu dignum Exemplum ſcribitur de B. Iacobo Germano, ordinis S. Dominici Alumno. Diabolus eum perpetuò diuexabat, & verberibus aliquando peſſimè tractabat, quoties orationi vacabat: Sed abſcedente Dœmone, mox Angelus de cælo præſtò erat, qui eum ſuauiſſima conſolatione, in animo perfundebat, & exterius, mellitiſſimis hiſce verbis, deliniendo, ad conſtantiam exhortabatur: *Serue Dei, eſto fidelis vſque ad mortem; expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum: ingentia ſunt enim, quæ tibi pro paruo labore, atque certamine, præmia proponuntur.* quibus Angeli monitionibus, animatus Dei ſeruus, quæuis acerba & triſtia, facilè ſuperauit.

IV. B. Elizabeth triſtis ſolatium accipit ab Angelo. Li. 2 Apum. cap. 54. p. 10.

Aliam Angelici ſolatij hiſtoriam, accipite, à Thoma Cantipratenſi: *Elizabeth de Grauia, apud Niuellenſes, Virgo deuotiſſima, cum alia ſorore in itinere conſtituta, à tramite recto aberrans, in deuia & auia, in ſylua, per quā tranſeundum, declinârat. Cum ſocia itaq; iam imminente nocte, vberrimè flebat, & ſimul etiā tutelari Angelo, ſeſe enixius, vtrinq; commendabant; Et ecce ſine mora, venuſtiſſimus iuuenis, ſtat coram eis, crine criſpo & croceo, albo indutus collobio, & ſimul etiā Tunica niue candidiori. Is cū ſalutaſſet, quò pergerent, inquiſiuit? Cumq; ſe à via procul deuiaſſe lamentarentur: Angelus inquiebat: Me ſequimini, ego ſum gnarus viæ, ego vos rectè ducam. Et ſtetit promiſſis; Cum enim exigua valde interiecta morula, Angeli ductu, ad locum deſtinatum perueniſſent, vtriq; valefaciens, corporeis illorū oculis, momento ſe ſubtraxit.* In rebus dubijs, in rebus afflictis, in omni mentis deſolatione, ad Angelum tuum Cuſtodem, fidenter confuge: *Et ſecundum:*

Pſal. 93.

dum multitudinem dolorum tuorum, conſolationes eius, animam tuam lætificabunt.

Multis varijsq; ſolatijs, ſancta Adelgundis, ab Angelo, eam quotidie viſitante reficiebatur, *vt nulla vnquam triſtitia abſorberi poſſet*, inquit ſcriptor eius vitæ; *Audit aliquando, vt conuitijs diffamata, aliquantò triſtior appareret, ſed adfuit ſubitò Angelus, eamq; ſolatus eſt, dicens: Cur triſtis es, cum ſcias cælum tibi ob hæc conuitia, iniuriamq; perpeſſam, parari, inimicis autem tuis, niſi reſipiſcant, infernũ adornari? quibus verbis Virginem ad grauiora perferenda, animauit.* *Huebaldus Elnonenſis apud Sur. in vita 13. Nouembr.*

De ſancto Antonio memorat S. Athanaſius: *Cum graue aliquando certamen, cum Dæmonibus habuiſſet, medias inter noctis tenebras, apparuit ei cæleſte lumen, ex quo Dei & Angelorum eius præſentiam, cognoſcebat: Itaque Chriſtum Dominum rogabat, tanquam præſentem; Vbi nam eras bone IESV, tempore certaminis mei? Cui Chriſtus; apud te, inquit, eram, cum Angelis meis, vt certamen tuum præſens ſpectarem. Et quoniam ſtrenuum te militem geſiſti, celebrem te vbique faciam.* Quid plura? Non Dei ſolùm, ſed & Conſolatoris Angeli hæc vox eſt: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.* *In eius vita* *Pſal. 90.*

Sanctam quoque Lydwinam, ad ferendas patienter pro Chriſto afflictiones, & iniurias, Angelus hac viſione animabat: Oſtendebat ei arborem, quæ ferret flores, tanquam Roſarum; dubitanti, quid hoc viſo ſignificaretur, reſpondit Angelus: *Ex hoc mundo non diſcedes, antequam arbor iſta, ad iuſtam altitudinem peruenerit, & veras perfectasq; roſas, purpureas, ad maturitatem protulerit*: hac itaque viſione, mirificè conſolata, ad ſuſtinendas pro Dei gloria omnes tribulationes, & calamitates, vt patientiæ roſas, copioſè producendo, Cæleſtem coronam promereri poſſet, ſe præparabat. *Ioan. Brachmannus in vita part. 3. cap. 4. Sur. Tom. 7. 14. Aprilis.*

Quid reſtat igitur? Quid opus facto, vt Angelico ſolatio, nos quoq; in omni neceſſitate, cladibus & afflictionibus noſtris, reficiamur ac ſubleuemur? Duo exigit S. Bernardus; Primũ eſt: *Vis gaudere miniſterio*, inquit, *& ſolatio Angelorum? Fuge conſolationes ſæculi, & tentationibus Diaboli reſiſte.* Alterum eſt: *Simus deuoti, ſimus grati, tantis conſolationibus, redamemus eos, quantum poſſumus, quantum debemus, affectuosè: Ideo enim ſciamus ſanctos Angelos, tanquam futuros aliquando Cohæredes, interim verò Actores & Tutores, à Patre poſitos & præpoſitos nobis eſſe: Adhuc enim velut paruuli, ſub Tutoribus & Actoribus ſumus.* hæc ex ore S. Bernardi. *Serm. 10. in Pſalm. 90. Qui habitat.*

Siquidem ergò, ita res habet, ô S. Angeli Tutelares noſtri, obſecramus, vt in mærore ac triſtitia, cæleſti ſolatio nos recreare, & ſpe cæleſtium bonorũ, erigere velitis, *vt ibi noſtra figentur corda, vbi vera ſunt gaudia*, precioſiſſimo Saluatoris ſanguine, nobis parta & acquiſita, quę vera promotione nos poſt hanc vitã, aſſecuturos cõfidim⁹, minimeq; dubitamus. Amẽ.

SERMO XXI.

Tria alia ſpiritualia Angeli Cuſtodis Beneficia. VI. Peccati horrorem inſpirat. VII. Amputat ſeductionis occaſiones. VIII. Malè agentes reprehendit, & refractarios aliquando caſtigat.

Niſi pœnitentiam egeris, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo. Apocal. 2.

MOs eſt parentibus, cum refractarios paruulos, aut à fletu, aut re quapiam illicita, coërcere volunt, obiectis quibuſdam pauoribus, atq; terriculamentis, eos compeſcere, & in ordinem redactos obedientiæ ac diſciplinæ ſubiugare: Sin autem hoc medio nil proficiant, in eam ſolicitè curam incumbunt, vt malè agendi occaſiones, adiment & præſcindant: Quod ſi & hæc Medicina, fruſtraneo euentu adhibeatur, acriora media quæritant, vt ad punitionem ipſam quandoque procedant. Hoc eodem proceſſu, ſancti Angeli, nos à malis coercere, eò ad bonum inducere ſatagunt, dum quos admonendo, ſuauiterq; vellicando, non poſſunt, puniendo & flagellando, deterrent: Nam primò ſcelerum horrorem inijciunt, qui ſi nihil proficiāt, offendicula tollunt; ac denique omninò immorigeros, adhibita tribulationis flagella, iuſſu Diuino excipiunt, & ad reſipiſcendum, ſi errantibus collubeſcet, inducunt. Hæc Angelica Beneficia, dum præſenti ſermone breuiter expendimus, faxint cæleſtes illi Tutelares, vt ſimus agri fertiles, qui quod ſeminando acceperunt, grata fertilitate, cum fænore ac lucro, ſeminanti reponunt.

I. Peccati horrorem ingerit & inculcat.

Niſi pœnitentiam egeris, veniam tibi & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo: cominabatur Angelus quondam Antiſtiti Eccleſiæ Epheſianæ, & omni momento tibi inſuſurrat tuus Angelus Cuſtos: ac ſi diceret: Amabo te, mi Cliens, à Deo mihi concredite. Expende tecum, quàm fœda, quàm turpis, quàm abominabilis contagio ſit peccatum, quanta eius ſpurcities, quanta deformitas, quantus coram Deo & Angelis eius, ſcelerum tuorum fætor, quibus, etiamſi nullæ apud inferos pœnæ fuiſſent conſtitutæ, ob execrabilem tamen, quam in conſpectu Diuinæ Maieſtatis exhalat, Mephitim, diris omnibus deuouendum eſſet: Quin etiam, à rationis regula & Cylindro, te abductum, in brutum animal quodammodò transformat, vt meritò Dauid exclamet: *Homo cum in honore eſſet,*

Pſal. 48.

non

non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Et quod longè peius, in Cacodæmone, vt ita dicam, transmutat: Quod enim aliud *peccatum*, quàm *voluntarius Dæmon*, vt quidam è ſanctis Patribus aſſeuerat? Et quod plus eſt, quantam ignominiam, quantamq; confuſionem, animæ tuæ aſpergit peccatum, etiamſi in tenebris, & abſconditiſſimis locis perpetretur? Quot aculeos pungentes? quot Vermes interdiu noctuq; rodentes, in ſynderesi poſt ſe relinquit? quot furijs infernalibus exagitatum, te miſſum tradit? quot periculis te exponit? quàm te inſecurum reddit, vt inter te, & æternæ Gehennæ incendia, non niſi vnicum temporis punctum, ictus oculi, vitæ momentum, aquatica bulla, aranei tela, intercedat? Eia itaque, *age pœnitentiam*; *Nam niſi pœnitentiam egeris, venio tibi, & mouebo candelabrum de loco ſuo.* *S. Ioann. Chryſoſt. hom. 30. in Ioannem.*

Et illud ô anima, peccato, verè ouis perdita, ad mentem reuoca: Si tantò grauior eſt offenſa, quantò dignior eſt offenſus, & quantò indignior offendens eſt cenſendus; quæ ſua vilitas, quæ tenuitas, cum incomprehenſibili eius maieſtate comparata? Quæ infantilis ignorantia tua, æternæ eius ſapientiæ, quam nullum latet ſecretum, adæquata? quæ tua imbecillitas, cum eius omnipotentia collata? Quæ malitia & peruerſitas tua, ad eius infinitam bonitatem relata? Et tu nihilominus tàm audacter, tàm impudenter, tàm inſolenter, in faciem auſus es eum offendere, & eius Diuinam lædere Maieſtatem? Annon infinita Bonitas eum verè amabilem reddebat? Annon immenſitas, per quam omni loco præſens eſt, à turpitudine ſcelerum abſterrebat? Annon ſapientia illa, per quam nouit & videt omnia, etiam cordis arcana, horrorem tibi incutiebat? Annon omnipotentia illa, quæ dat omnibus eſſe, & conſeruat omnia, & te quoque, dum actu peccati occupareris, formidinem imprimebat? Quis mortalium adeò eſt excors ac deſperatus, qui vel ſemel præſumeret, in eius oculis flagitium committere, qui id, illata nece, poſſit caſtigare? Et tu conſpectum illius Regis, quàm abdiſſima cernentis, & omnia viſu penetrantis, non metuebas? *Niſi pœnitentiam egeris, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo.*

Iam ſi te conuertas, ad beneficia, quæ ab offenſo Domino, ac Deo tuo, accepiſti: Annon te ex nihilo, quoad animam, creauit? annon corpus tuum, è vili terræ luto, formauit? annon naturale corporis tui, & Animæ, Eſſe, huc vſque conſeruauit? Quod ſi crimen filij, in benigniſſimum Patrem admiſſum, graue & intolerabile eſt, quid de te Creatura dicendum, quæ ipſis donis à Creatore acceptis, benigniſſimum Creatorem offendere, & ad iracundiam prouocare non dubitaſti? Annon te ſacratiſſimis vulneribus ſuis, precioſiſſimũ ſanguinem ſuum effundendo, *I Ingratitudo hominis erga Deum ſummũ benefactorẽ.*

tot cruciatibus,tot tormentis,tam acerba crucis morte, ab æterno interitu vindicauit? Annon innumera gratiæ ſuæ dona, tibi conceſſit? Eheu, quàm male, quam turpiter, tot tantiſque beneficijs reſpondiſti? O admirabile Certamen,inter Deum & ingratos peccatores:Deus nunquam ceſſat à benefaciendo,tu nunquam ceſſaſti à peccando, & Deum ſummum Benefactorem offendendo. Quænam te, obſecro, cauſſa impulit,ad tantam temeritatem? quod nam motiuum ad tantam prauitatem detorſit,vt tibi,tàm atrociter lędendi,Diuini Numinis occaſionem, ſubminiſtraret?Quid in cauſſa fuit,vt Barrabam Diabolum, animarum latronem & homicidam Saluatori IESV, præponeres? Vilis vt plurimum delectatiuncula inſtar fumi,aut vaporis, in aëre protinus euaneſſcens.ô Vecordem inſaniam, nullo vnquam tempore ſufficienter deplorandam! *Niſi pœnitentiam egeris,venio tibi, & mouebo candelabrum tuum, de loco ſuo.*

II. Mala, quæ per peccatum in hac & altera vita incurruntur.

Agedum,ſi vis,iam inſpice mala,quæ tibi lethiferum peccatum infallibiliter conſciſcit: *Peccando* Filij Heli,cum Parente,Summi Sacerdotis,iacturam fecerunt. Saul & Nabuchodonoſor, florentiſſima Regna perdiderunt. *Peccando* corporis valetudo, gaudium mentis, Conſcientiæ quies, & ipſa temporalis vita deſtruitur. *Peccando*, immedicabiles morbi,mortifera triſtitia,infames & rapentinæ mortes, contagioſi languores, fames & penuria, bella, & Prouinciarum vaſtationes, aliaquè mala,quibus hic mundus deteritur, ac diuexatur, euentu certiſſimo incurruntur. *Peccando* Summum bonum, Deus ipſe amittitur, & ſumma viciſſim,ac æterna mala conquiruntur. *Peccando* viſionis beatificæ fruitio, deperditur,& æterni gehennæ cruciatus cumulantur. Quinimmò, omnia præſentis vitæ mala, calamitates & dolores, ipſoſque Tartari cruciatus, vnum in cumulum congere, & rationis trudina ſolerter pondera & expende, inuenies, vel vnius lethalis Criminis intuitu,ludiora eſſe cenſenda, quæ tamen in ſe, atrociſſima eſſe dignoſcuntur. Hæc & ſimilia plura, cum anima peccatrice, intrinſecus ſermocinans, loquitur.

Hierem. 2.
Sap 14.

Sanctus Angelus Cuſtos, horrorem & abominationem turpitudinis peccati mortalis,inſpirans,clientem ſuum, ab æterno interitu liberaturus:Nam iugiter verbum illud Prophetæ, mentis auribus, ingeminat: *Scito & vide,quia malum eſt,& amarum,reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & diſceſſiſſe ab eo:Odio eſt Deo impius, & impietas eius,niſi pœnitentiam egeris,venio tibi & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo.*

III Hiſtoria de Eremita & Angelo.
4 par. Sum. Theol tit. 14.cap.6.

Breuis ero,& vnica alteraué hiſtoria, probabo inſtitutũ:Priorem deſcribit S Antoninus, Archiepiſcopus Florentinus: *Eremita quidam & Angelus,*

Digitized by Google

gelus, in aſſumpto corpore ſimul gradiebantur, cumque Cadaueri appropinquarent, vermibus perſcatenti, & horribiliter fætenti, Eremita nares conſtringenti, aiebat Angelus: Quare nares tuas claudis? Et ille: non valeo fœtorem illius cadaueris ſuſtinere. Paulò poſt iuuenis, ſuperbo veſtitu & habitu, ſuauiſſimos pigmentariorum ſpirans odores, vtrique obuiam prodit, quem cum Angelus à longè conſpexiſſet, illicò nares obturabat. Admirans id Eremita, cur, inquit, nunc tu nares obſtruis, ad tam ſuaues, quos iuuenis ille ſpargit odores? Cui Angelus, mihi crede, iuuenis ille, laſciuus & ſuperbus, infinities plus fœtet, coram Deo & Angelis, quàm quodlibet putidiſſimum cadauer in oculis hominum poſſit olere. Huic non incongruè ſubnecto, quod à Palladio memoratur: *Vitijs ſuis ad interitum & perniciem quidam adductus, pœnitentia ad ſe rediit: Et in Eremo piè degens, eò ſanctitatis prouectus eſt, vt pane quotidie de cælo, ab Angelo allato, frueretur. Iamque ſe præſtantiori epulo dignum præſumebat, tum tentatione pulſatus cecidit, Eremum deſeruit, monaſterium quoddam, hoſpes adijt, vbi pedibus officioſa ſibi charitate lotis, vt ſermonem ad fratres haberet, rogatus eſt: Quod dum facit, Angelo inſpirante & monente, illud animo verſat: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè, cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar, ad ſe reuerſus, Eremum repetiuit, proque arrogantia ſua qua ſe alijs meliorem iudicauit, ad extremum vitæ Spiritum, cauernæ incluſus, ſubſtrato ſibi ſacco & cinere, humi cubans, pœnituit, donec ab Angelo, exauditam eſſe pœnitentiam ſuam, didicit; à quo & monitus eſt, vt in poſterum eiuſmodi Sathanæ tentationes, cautius præcaueret.* Hæc Palladius. Quis niſi Angelus ſanctus hominem iſtum, errorem ſuum abominari docuit? Vtinam hic peccati horror, nobis toties ab Angelo Cuſtode, incutiatur, quoties à carnis laſciuæ, illecebris, ad malum tentamur. Vtinam monitio illius, ſemper tinniat in auribus noſtris: *Niſi pœnitentiam egeris, venio tibi & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo.*

IV. Inſtinctu Angeli Eremita errorē agnoſcit.

Pallad. hiſt. Lauſiaca. cap. 46.

V. Angeli inſtinctu Eremita errorem agnoſcit.

Sanctus Angelus Cuſtos, amputat peccati occaſiones, ne Clientes ipſius, ad malum ſeducantur; cuius rei veram de ſe ipſo hiſtoriam, denarrat Guilielmus Sariſberienſis, in hæc verba: *Dum puer, vt Pſalmos addiſcerem, Sacerdoti traditus eſſem, qui fortè ſpeculariam Magiam exercebat, contigit, vt me, & paulò grandiuſculum puerum, præmiſſis quibuſdam maleficijs, pro pedibus ſuis ſedentem, ad ſpeculariæ ſacrilegium, applicaret, vt in vnguibus, ſacro, neſcio, oleo, an Chriſmate, delibutis, vel in exterſo, & leuigato corpore, peluis, quod quærebat, noſtro manifeſtaretur iudicio. Cum itaque prædictis nominibus, quæ ipſo horrore, licet puerulus eſſem, Dæmonum videbantur, & præmiſſis adiurationibus, quas an Deo auctore, ignoro, ſocius meus, ſe, neſcio quas imagines, tenues tamen & nebuloſas, videre indicaſſet, ego quidem ad illud, ita cæcus extiti, vt nihil mihi appareret, niſi vnguis & peluis, & cætera, quæ antea noueram. Exinde ergò,*

II. Amputat ſeductionis occaſiones.

I. Hiſtoria de Guilielmo Sariſberienſi.

Li. 2. policrat. cap. 11.

adi

ad huiuſmodi inutilis iudicatus ſum, & quaſi, qui ſacrilegia hæc impedirem, ne ad talia amplius accederem, condemnatus. Et quoties rem hanc exercere decreuerant, ego quaſi totius diuinationis impedimentum, arcebar: Sic mihi in eâ ætate, propitiatus eſt Dominus, vtique per Angelum Cuſtodem meum, qui mihi ſummum, huius flagitij, horrorem, ſenſibiliter iniecit. Et eò fortius confirmatus eſt, horror meus, quod cum multos tunc nouerim, talibus deditos artibus, aut defectu naturæ, aut manu hoſtili, beneficio luminis, orbatos vidi, vt cætera incommoda taceam, quibus in conſpectu meo, à Domino, aut proſtrati, aut perturbati ſunt, excepto Sacerdote, quem dixi, & Diacono, qui ſpeculariorum videntes plagam, religioſæ vitæ inſtitutum, pœnitentiam acturi, apprehenderunt. Hæc ſcriptor ille, ex cuius verbis, duo notatu digniſſima, occurrunt: *Primum* eſt, ſancti Angeli feruentiſſimus zelus, vt clientes ſuos, ab illicitis hiſce artibus, abſtrahat, atque diuellat, quod horror indicat, quando rerum huiuſmodi magicarum, mentio fieri conſueuit: *Alterum*, in hac vita eos, non rarò cælitus caſtigari, qui magiæ ſtudijs incumbunt.

Fatetur ſe à Magiæ Tyrocinijs per Angelum Cuſtodem retractum.

II. Matrona honeſta ne ad ſagarum Diabolicos conuentus ſe duci ſinat impeditur ab Angelo Cuſtode.

Femina quædam, honeſtæ alioquin vitæ & famæ, cum à nefaria quadam vetula, vt magiam ab ipſa condiſceret, iam propemodum perſuaſa eſſet, & ſeductrix vnguentum Diabolicum, aliaque inſtrumenta maleficilia, iam expediret, vt ad Diabolicas commeſſationes deucherentur, cum à ſacrilega illa miniſtra, paululùm ad domeſtica componenda, digrederetur, *obuiam habuit Angelum cuſtodem ſuum, veſte candida quidem, & rutilanti, ſed minaci admodum vultu, eam deterrentem, ne à fomite illo Diaboli, ſe accendi, ac ſeduci pateretur, quàm cordi foret, gehennæ incendia euitare.* Illa itaque, ingenti metu ac horrore perculſa, Dęmonis internunciam, ſine mora, è domo ſua abegit, nec in æternum amplius admiſit?

III. Landelinus à ſceleſte vita per Angelum retrahitur.
Sur. Tom 3. 15. Iunij.

Memorabile eſt in hoc beneficij Angelici genere, & notatu dignum, quod in vita S. Autberti Cameracenſis Epiſcopi, recenſetur: *Landelinus adoleſcens nobilis Cameracenſis, ſub S. Autberto Epiſcopo, eos in pietate progreſſus fecerat, vt etiam de relinquendo ſæculo, cogitaret; hortatu tamen & blandimentis amicorum, vſque eò immutatus fuit, vt non ſolum optimum ſuum magiſtrum deſereret, ſed & latronibus, cũ magno familiæ ſuæ dedecore ſe adiungeret. S. Autbertus intereà, Deum aſſiduè, pro illius ſalute deprecatus eſt. Accidit verò, vt quadam nocte, vnus è ſocijs, cum diuitis cuiuſdam domum diripere molirentur, ſubitò animam exhalaret, quam deinde Landelinus, in mentis exceſſu, ad inferos raptari videbat, quo viſo, vehementer exterritus eſt. Apparuit illi inſuper S. Angelus Cuſtos, & acriter monuit, atque inſtitit, vt vitam in melius commutaret. Reuerſus itaque ad S. Autbertum, veniam petijt, & gratias egit, quod eius precibus, tâm manifeſtum animæ periculum, euaſiſſet. Admiſſa denique ſcelera, per pœnitentiam expiauit, ac religioni Nomen dedit.*

Angeli

Angeli ſancti non ſolùm reprehendunt, malè agentes; verùm etiam, iubente Deo, quandoque, tanquam Patres filios, & Pædagogi diſcipulos, caſtigant. Nam ſi amabilibus eorum monitis, & incitamentis, non acquieſcamus, vt vitam in melius commutemus, tanquam Pædagogus recurrit ad flagellum ſeueræ caſtigationis, infirmitatem, pauperiem, aliaué temporalia incommoda, ſolo, ſalutis noſtræ deſiderio, immittendo, *vt caro caſtigata*, inquit Gregorius, *erudiat ſpiritum, & à peioribus abſtrahat, atque ad meliora conducat, immò impellat*. Conſultiſſimum proinde, in ægritudine, alijsq; moleſtijs corporalibus, ante omnia, ſanctum Angelum Cuſtodem, placare, debitam ad peccatorum expiationem conſequendam, promptitudinem commonſtrando. Sic Angelus Domini, increpauit filios Iſrael, eò quod iuratam amicitiam cum habitatoribus terræ Chanaan, contraxiſſent; Sic cum Dauid, è ſuperbia, numerando populum, peccaſſet, miſit Dominus Angelum, qui ſanguinolenta romphæa mediante, peſtilentia immiſſa, populum caſtigaret; quem, cum euaginato gladio, Regiæ vrbi perniciem comminantem, vidiſſet, in ſe reuerſus, culpam ſibi adſcripſit, & à populo, pro quo inſtantiſſimè precabatur, reatum amouit. Sic Angelus Domini, Herodem, inuiſibili gladio percuſſit, eò *quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus à vermibus expirauit.*

III. Reprehendunt & caſtigant.
I. Aliquando adhibent virgam correctionis.
Paſtoralis. part. 3.
II Exempla ſcripturæ.
Iudic. 6.
2. Reg. 24.
Actor 12.

Inprimis autem pœnas impijs à Deo infligendas prænunciant, quod contigit Chilperico, Francorum Regi & liberis eius, à Deo reprobatis, teſte S. Gregorio Turonenſi, cuius hæc verba: *Quadam nocte, vigilijs in Baſilica S. Martini celebratis, dum lectulo decumbens, obdormiſſem, vidi Angelum per aêra volantem: cumque ſuper ſanctam Baſilicam pertranſiret, voce magna ait: Heu, heu, heu, percuſſit Dominus Chilpericum, & omnes filios eius, nec ſupererit de his, qui proceſſerunt de lumbis eius, qui regat regnum illius, in æternum. Erant ei eodem tempore, de diuerſis vxoribus, quatuor filij, exceptis filiabus: Cum autem hæc inpoſterum impleta fuiſſent, tunc ad liquidum cognoui falſa eſſe, quæ Chilperico promiſerant harioli.* hæc S. Gregorius Turonenſis.

III. Pœnas à Deo infligendas prænunciant Chilperico Regi & filiis eius.
Lib. 5. Hiſt. Franc c. 14.

Memoriæ prodidit Laurentius Surius, ſanctum Petrum Cæleſtinum, ab Angelo acerrimè reprehenſum, immò & caſtigatum, ob, neſcio, quas leuitates & ineptias, pueriles.

IV. Reprehendunt Petrum Caleſtinum.
Sur. 19 Maij.

Sic etiam refert Tertullianus de muliere quadam nobili, quæ nudo pectore incedebat; huic Angelus plagas grauiſſimas inflixit: *Eia inquens collum elegans, vt iure nudum appareat? Satius eſt velari à capite vſque ad renes, ne iſta colli libertas officiat.* Iſta Tertullianus. Sic de S. Aurea Abbatiſſa Pariſienſi ſacram audiente refert S. Antoninus, cum Euangelium malè à Diacono pronunciari audiret, rapta ex eius humeris ſtola Euangelium ipſa

Lib de Velandis Virginibus.
S. Antoninus 2 parte hiſt. tit. 13. cap 6 §. 10.

Digitized by Google

ipſa cantauit, ob quam præſumptionem ab Angelo reprehenſa, grauem pœnitentiam ſponte ſubijt per ſeptem annos.

V. Caſtigatio ſeuera Prætextatæ Matronæ Romanæ. Epiſt 7. ad Latam. Bar. Tom. 2. Seueriſſima Angeli exprobratio.

Quo pacto, temeraria Prætextatæ Romanæ Matronę, præſumptio, ab Angelo fuerit caſtigata, verbis ſequentibus refert S. Hieronymus: *Prætextata nobiliſſima quondam fœmina, iubente viro, Hymetio, qui patruus Euſtochij Virginis fuit, habitum eius, cultumq́; mutauit, & neglectum crimen, mundano more, texuit, vincere cupiens, & Virginis propoſitum, & matris deſiderium. Et ecce tibi, eadem nocte, cernit in ſomnis, veniſſe ad ſe Angelum, terribili voce, minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tunè auſa es, Viri imperium, præferre Chriſto? Tu caput Virginis Dei, tuis ſacrilegis attrectare manibus? Quæ iam nunc areſcent, vt ſentias excruciata, quid feceris; Et finito menſe quinto, ad inferna duceris, ſi perſeueraueris in ſcelere, & marito ſimul & filijs orbaberis. Omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſeræ pœnitentiam, velox ſignauit interitus. Sic vlciſcitur Chriſtus, Violatores Templi ſui; ſic gemmas & precioſiſſima ornamenta, defendit. Et hoc retuli, non quod inſultare velim calamitatibus infelicium, ſed vt moneam, cum quanto metu & cautione, ſeruare debeas, quod Deo ſpopondiſti.* Hæc ex ore S. Hieronymi.

VI. Apud ſacram Synaxin non inſcripti ab Angelo, poſt triduum moriuntur. Pallad c. 8. Ruffin lib. 2. cap 23.

Cui ſubnecto, quod Palladius & Ruffinus referunt, de S. Ammone Presbytero, diuinis viſionibus aſſueto: *Is offerens Deo ſacrificium, videt Angelum ſtantem à dextris Altaris, & ſignantem fratres, ad Eucharistiam accedentes, ſcribentem in libro eorum nomina. Cum autem non adfuiſſent aliqui, in Synaxi, vidit deleri illorum nomina, & poſt tres dies ſunt mortui.* Hic Angelus, vt pios ad remunerationem, in libro ſuo annotabat, ita negligentium nomina ad caſtigationem abolebat.

VII. Heraclij Imp. exercitus deletus. Otto Friſingenſis lib. 5. cap. 9.

Heraclius Imperator, initio quidem, imperium laudabiliter adminiſtrauit, poſtea tamen, degenerans, Angelicam vindictam, minimè effugit: *Nam cum poſtremo, Imperij ſui anno,* vti ſcribit Otto Friſingenſis, *contra Agarenos, ex portu Caſpiu, de gente ſæuiſſima, quam Alexander Magnus, ob innatam immanitatem, intra mare Caſpium, incluſiſſe dicitur, ingentes copias eduxiſſet, Angelus Domini, intra paucas horas, quinquaginta duo millia, de toto exercitu concidit. quæ res tantum ei mærorem fecit, vt ex dolore extingueretur.*

VIII Angeli apparitores diuinæ iuſtitiæ. Regino. lib. 1. Chronici. Paul. Diac. lib 8 cap. 5. Bar. Tom. 8. Ann. 680.

Et quod magis formidandum, ſunt aliquando Angeli ſancti, etiam Diuinæ Iuſtitiæ apparitores, immò & executores: *Nam cum anno Domini, ſexenteſimo, octuageſimo, ſæuiſſima peſtis,* teſte Reginone, & Paulo Diacono, *præter Romam, pleraſq́; Italiæ ciuitates, corripuiſſet, vt parentes cum filiis, fratres cum ſororibus, ad ſepulturam deducerentur, viſibiliter multis apparuit Angelus bonus, & Angelus malus, qui per ciuitates pergebant, & quoties iuſſu boni Angeli, malus Angelus venabulo, quod manibus geſtabat, oſtium cuiuſcunquè domus percuſſiſſet, tot ex eadem domo, ſequenti die, peſte mortui efferrebantur.* Hæc tandem

peſtis

peſtis,ſingulari patrocinio & interuentu, Sanctiſſimi Martyris Sebaſtiani, è medio fuit ſublata,& vbiuis paſſim extincta, vt Carolus Sigonius & alij tradunt.

Omnium viciniſſimè tandem,inſtituto noſtro,deſeruit hiſtoria,quã ex Euſebio Cæſareenſi, deſcribunt Nicephorus & Baronius: *Confeſſor quidam*,inquit,Euſebius,*erat apud nos, Natalius nomine, qui deceptus à Theodori Coriarij hæreſiarchæ aſſeclis,quem Victor Romanus Pontifex,ab Eccleſia communione præciderat,acquieuit,vt accepto,ab eis,ſalario,Epiſcopus illius hæreſis, nominaretur,certa pactione,centum quinquaginta denariorum, menſtrua præſtationis. Deceptus itaque pecunia,Natalius,frequenter à Domino, in ſomnis admonebatur,qui nolebat Martyrem ac teſtem ſuum, de Eccleſia perdere. Sed cum negligentius ſuſciperet viſiones,primatus amore,& turpis lucri deuictus illecebro, ad vltimum,à ſanctis Angelis,per totam noctem verberatus,& pœnis grauibus excruciatus,manè ſurgens,cilicio ſe induit & cinere conſpergit, ac multis cum lachrymis, errorem ſuum deflens,ante pedes Zepherini Epiſcopi ſe proſternit. & veſtigiis omnium,non modò Clericorum,ſed & Laicorum, multa cum lamentatione, prouolutus, in lachrymas & miſerationes,omnem prouocauit: Eccleſiam, vt indulgentiam ſibi à Chriſto,iugibus pro ipſo precibus impetrarent,obtendendo ſimul,in conſpectu omnium liuores corporis,& cicatrices,quas pro confeſſione Nominis eius,exceperat.* Ex hac hiſtoria,conſtare cuilibet facilè æſtimârim, ſanctos Angelos, dum Diuinorum flagellorum acrimoniam,in nos acuunt,& exaſperant,aliud nihil quærere, nihilq; intendere,quàm,vt velut indomiti iuuenculi,ferocientes,ſub potenti manu Dei humiliemur,& ad Deum noſtrum conuerſi ſaluemur.

IX. Hiſtoria terribilis de Natalio Confeſſore. Euſeb. lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 28. Niceph. lib. 4. cap 21. Bar. Tom 2. Ann. 207. Verberatur ab Angelis.

Sed quid de illis qui nullam correctionem admittunt, & impœnitentes, de die in diem viuunt? vtinam eos formidabili hiſtoria, quam ideò ſuperius recenſitis appono, à malo poſſim abſterrere, atque ad bonam frugem efficaciter permouere. *In Monaſterio Diui Martini ditiſſimo* inquit S.Antoninus,*propè Turonos,cui multa in honorẽ S.Martini donata fuerant,habitabant octoginta Monachi, è quibus vnus ſecundum Regulam viuebat; reliqui aulicorum inſtar effæminati, calceis deauratis holoſericiſque veſtibus induebantur,& in omnibus delitijs & vanitatibus vitam traducebant. Cum verò vnicus ille,S. Martinum vt eorum inſolentiam compeſceret, oraret,& exauditus tandem eſt, & nocte quadam apparuit Angelus Domini, qui omnes ſeptuaginta nouem ad orcum occidit; ac monaſterium illud iubente Carolo Magno, Conſilio Alcuini,religioſis qui optimè viuebant eſt conceſſum.* Ecce quàm horrendum ſit, *incidere in manus Dei viuentis*,& Angeli,Numinis iuſſu,meritò caſtigantis. Quid reſtat igitur? Timeamus offenſam, ne incurramus noxam,

X. Alia magis formidanda. S. Antoninus 2. parte hiſt. tit. 14. ca 5. Paulus Morigia lib. 1. de Orig. Religionum. Martinus Polonus li 4. Chronic. Ann. 793.

Digitized by Google

ſed potius effugientes pœnam, Angelorum beneficam propenſionem, experiamur.

Dignemini ô ſancti Angeli, & nos, contra Diuinæ vocationis ſtimulum, calcitrantes à malo abſtrahere, ad bonum impellere, quin etiam, ſi opus ſit, compellere, vt intremus, & prædeſtinatum nobis, in nuptijs cæleſtibus, locum occupemus. Amen.

SERMO XXII.

IX. Contra Diabolum verſutiſſimum hoſtem, S. Angeli pro nobis pugnant.

Tunc reliquit eum Diabolus, & ecce acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei. Matth. 4.

Diabolum *ſimiam eſſe, Domini Dei*, haud dubiè ſæpius audiuiſtis, dilecti mei. Sicut igitur Dominus Deus, creationis iure ſibi vendicat hominis Dominium; Ita Lucifer Deo ſimilis eſſe, concupiſcens, iam ab initio ſuæ creationis, vult hominis vltroneus eſſe poſſeſſor: Et ſicut Dominus Deus ſingulari dilectionis affectu, vnicuique homini, ad ſubleuamen humanæ imbecillitatis, proprium Angelum Tutelarem aſſignauit, à quo, ad æternam ſalutem aſſequendam, fideli manu ductione, promoueretur: Ita Lucifer, cuilibet homini, permittente Deo, ad vberius hominis meritum, maioremque hoſtis confuſionem, proprium Dæmonem, immittere ſolet, à quo omni momento tentatur, & ad malum ſollicitetur: Nam ſi Chriſto Saluatori non pepercit & eum trina vice, doloſis ſuis tentationibus, ad malum adoriri non dubitauit, quis, obſecro, ſecuritatem, ab hoc immaniſſimo hoſte, ſibi pollicebitur? quis tutus erit? quis ab illo intactus permanebit? Studeamus itaque præſenti ſermone, hoſtis huius technas, & fraudes tàm in communi, quàm in particulari, detegere, publicamquè ad notitiam proponere; Deinde ſequenti ſermone, quando nos omnium maximè ſoleat impugnare, explorabimus, vbi Angelicum præſidium atque tutelam, vel maximè opponere valeamus.

Matth. 4.

I. Fraudes Sathanæ in communi.

I. Chriſtus Dominus Angelo Cuſtode non indigebat.

Tunc reliquit eum Diabolus, & ecce acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei. Tametſi Chriſtus Dominus, *Rex Creator, ac Dominus Angelorum*, proprio Angelo Cuſtode, non indigeret, cùm, quia non tantùm, vt Theologi loquuntur, Viator, verùm etiam comprehenſor erat, vt qui faciem æterni Patris perpetuò contemplabatur; tùm, quia cæleſtium ſpirituum directione

Digitized by Google

ctione & informatione haud indigebat, cum *plenus eſſet ſcientia & gratia*, & quemadmodum ſcriptura ait: *Theſauri ſapientia & ſcientia Dei, in illo abſcondebātur*; Vnde S. Ioannes appellat, *plenum gratia & veritatis*; Tum etiam, quia ſanctiſſima eius humanitas, regebatur à verbo, vti pars noſtra inferior, quam dicimus, Appetitum Senſitiuum, à ſuperiori parte, id eſt Rationali, gubernatur. Quamobrem ex hiſce fundamentis, Angelum ei Tutelarem adiungere, aliud non fuiſſet, quàm Philoſopho cuipiam, vel Theologo, ab omni ſcientia inſtructiſſimo, Magiſtri ac Doctoris loco, ignauum puerulum aſſignare. Et hæc ipſa virtus, ex Matthæo Euangeliſta, ſatis apertè colligitur, in duello illo, inter Chriſtum & Sathanam; Nam tentante Sathana, Angeli receſſerunt, vt oſtenderetur, Chriſtum, ad obtinendam victoriam, eorum ſuccurſu, neutiquam indigere. Exacto autem duello, obtentaquè inſigni victoria, *Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.*

Coloſſ. 2.
Ioan. 1.
Matth. 4.

Quod ſi quis nobis opponat, Chriſtum Dominum, in agonia ſanguinei ſudoris, ab Angelo ſolatium accepiſſe, ac ſi Angelum Tutelarem habuiſſet. Id veritatem nulla penitus ratione infringit, nec quicquam contra nos euincit: Nam vt S. Ioannes Damaſcenus, aliiq́ue grauiſſimi Eccleſiæ Doctores, cenſuerunt, non potuit Angelus, aliquam Chriſto rationem proponere, quæ illum lateret: ſed tantum familiari alloquio, quid rerum gerebatur, debita cum reuerentia, proponebat. Idquè Dominus gratanter accepit, vt oſtenderet, ſe verum hominem, humana pręditum infirmitate. Adiunctis itaque ſibi Chriſtus Dominus, vtebatur Angelis, non veluti Conſiliarijs, aut Defenſoribus, ſed tantùm, quaſi famulis ac miniſtris. In ſua ſacratiſſima incarnatione, vſus eſt Archangelo Gabriele, Nuncio, & iſto mediante, myſterium iſtud, Virgini reuelauit; Ioſepho Ægyptianam fugam ſuaſit, Paſtoribus feliciſſimam Natiuitatem ſuam nunciari curauit. Hoc tamen priuilegio Saluatoris, filij Dei, non obſtante, auſus eſt impudens Sathanas, & forſan Lucifer ipſemet, eum inuadere & aggredi, & trina tentatione ſua, perniciem ei machinari, non dubitauit: Nemo itaque glorietur, ſe à tartareo illo hoſte, ſecurum eſſe; quia quotquot in terra viuimus, ad peccata quotidie, tentationum ipſius ſtimulis, incitamur. *Et accedens tentator dixit ei.*

II. Cur Chriſtus Angeli ſolatium in horto acceperit.
Lib. 1. Fidei Orthod. c. 9.
Chriſtus Dominus vtebatur Angelis quaſi famulis & miniſtris.
III. Neminē in hac vita à tentationibus Dæmonis eſſe immunem pluribus ſcriptura exemplis docetur.

Exemplis res melius inclareſcat. Annon ſub ſerpentis forma, primis Parentibus, interdicti pomi eſum, conſequendæ Diuinitatis eſca illitum, ſuaſit & perſuaſit? Annon Regem Acchab, mendacijs ſuis, turpiſſimè dementauit gloriando: *Ego decipiam Acchab: Exibo, & ero Spiritus mendax, in ore omnium Prophetarum?* Annon in cor Iudę proditoris illapſus, ad magiſtri ſui proditionem eum perpulit & incitauit? *Cum Diabolus, in-*

Gen. 3.
3. Reg. 22.
Ioan. 13.

Epheſ.6. quit, *iam miſiſſet in cor Iudæ, vt traderet eum.* Non fruſtra monet Apoſtolus Epheſios, de continuo bello, quo mortalibus, contra malignos Spiritus, Mundi Principes dimicandum: *Non eſt nobis colluctatio, aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Mundi Rectores, tenebrarum harum.* Nec ſine cauſſa hortatur Apoſtolus Petrus, furioſos Dæmonum impetus, velut è ſpeculo proſpectans: *Fratres ſobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Quin etiam, & ipſe Apoſtolus Paulus, aduerſarium iſtum expertus eſt, cum de ſe ipſo affirmat: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphicet.* Non pepercit Filio Dei, Saluatori noſtro, non pepercit Apoſtolo, in tertium vſque cælum rapto, *vbi vidit & audiuit arcana, quæ non licet homini loqui;* quis ſibi ſecuritatem ab eo ſpondebit? *Cui hominum,* inquit Tertullianus, *non adhærebit Spiritus nequam, ab ipſa etiam ianua Natiuitatis, animam aucupabundus?* adſtipulatur quoque S. Gregorius Nyſſænus: *Verus ſermo, ad nos vſque deſcendit, Angelorum aliquem in adminiculum cuique conſtitutum eſſe, Naturæq́ noſtræ, corruptorem in omnibus, contra annitentem, prauum aliquem, atque maleficum, Dæmonem, ad malè viuendum, homines impellentem, ad ſingulos etiam homines, deſtinaſſe. Et accedens tentator dixit ei, ſi Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.*

1.Petr.5.

2.Cor.12.

In Apologetico aduerſus Priſcam.

In vita Moyſis.

IV. Dæmon ſuperior examinat inferiores quid quolibet die mali egerint.

Ex vitis patrum Franc. Albertin li. de Angelo Cuſtode c.23

V. Similis hiſtoria de Iudæo è S. Gregorio. Lib.4. Dial. cap.7.

Dæmon laudat malos Spiritus qui tentationibus ſuis tentatos proſternunt.

Vnde in vitis patrum memoratur, quendam è ſanctiſſimis illis Anachoretis, qui in Thebaide Domino Deo ſeruiebant, *vidiſſe conglomeratam innumerabilem Dæmonum multitudinem, quorum vnus, cæterorum Princeps, inquirebat de peccatis, quæ quiſq́ malitia ſua, in mundo, eo die, procuraſſet. Ex his miris laudibus efferebat hominum victores, quos tentationibus ſuis proſtrauerant; alios verò, qui piorum hominum conſtantia, victi, ceſſerant, ſeueriſſimis ſupplicijs caſtigabat.* Similis alia ex parte hiſtoria recenſetur, à S. Gregorio Magno, de Iudæo, qui in itinere, ab ingruenti nocte præuentus, vt hoſpitium habere non poſſet, ad Apollinis Deaſtri fanum ſe contulit, ac diuertit, vt ibi pernoctaret. *Qui illius loci ſacrilegium timens*, vt verbis vtar S. Gregorij, *quamuis fidem crucis non haberet, ſigno tamen Crucis, more Chriſtianorum, periculi aliquid formidantium, munire ſe curabat. Nocte autem media, ipſo ſolitudinis pauore correptus, peruigil iacebat, & repentè conſpiciens, vidit malignorum ſpirituum turbam, quaſi in obſequium, cuiuſdam poteſtatis præire; Eum verò, qui cæteris præerat, in eiuſdem gremio loci conſediſſe, qui cæpit ſingulorum ſpirituum obſequentium ſibi, cauſſas actusq́ diſcutere, quatenus vnuſquiſque, quantum nequitiæ egiſſet, recenſeret. Cumque ſinguli Spiritus, ad inquiſitionem eius, exponerent, quid mali contra bonos moliti fuiſſent, ille præcipuam, præ alijs, palmam tulit, & ſummis laudibus, celebratus eſt, qui Andreæ Fundanæ Ciuitatis Epiſcopo, carnis tentationem iniecerat, quem Dæmonum Princeps, eius induſtriam collaudando,*

dando, animabat, vt quod benè cepiſſet, perficeret; quod tamen ſingulari Dei prouidentia, vt S. Gregorius ad longum memorat, manſit impeditum, pergit S. Gregorius: *Cumq́ Iudaus hoc vigilans cerneret, & magna formidinis anxietate palpitaret, ab eodem ſpiritu, qui cunctis illic praſentibus praerat, iuſſum eſt, vt viderent & requirerent, quis nam eſſet ille, qui iacere in eodem templo praſumpſiſſet; quem maligni Spiritus pergentes & ſubtilius intuentes, crucis myſterio ſignatum viderunt, mirantesq́, dixerunt: Va, Va, vas vacuum, ſed ſignatum. Quibus hoc renunciantibus, cuncta illa malignorum ſpirituum turba diſparuit.* Et Iudæus, rem totam Epiſcopo Fundano, quem diximus, retulit, qui non ſolùm, omnem Diabolicæ tentationis, occaſionem, à domo ſua, protinus eliminauit, verùm etiã Iudæum, per Baptiſmum Eccleſiæ aggregauit. Ex hac hiſtoria liquidò conſtat, quanta ſolertia, quantaq; vigilantia, Dæmones tentationibus ſuis, hominibus quibuſcunq; nec ſanctiſſimis ſuperſedentes aut parcentes perniciem moliantur. Nemo ergò, ſecurũ ſe eſſe, exiſtimet. Vigilandũ omnibus ne incauti ab hoſtibus opprimantur. *Iudaus non baptizatus, cruce ſe obſignans à Dæmoniis appellatur Vas vacuum ſed ſignatum.*

Eia age, ad ſubtilitates aſtutiſſimi Tentatoris accedamus, & paulò penitius, eius fraudes inſpiciamus. Moris eſt Diabolo, vitia & peccata, quæ perſuadere cupit, ſemper alicuius boni & virtutis pallio tegere, & obuelare: Sicuti eum poſt ieiunium quadraginta dierum & noctium, Chriſtum tentabat, vt de ſe ipſo præſumens, ne fame ſe necaret, lapides in panes conuerteret, *præſumptionis peccatum, pallio Charitatis erga ſe ipſum* conueſtiuit; Quaſi diceret: Non eſt æquum, vt fame moriaris in deſerto, & in teipſum crudelis habearis. Iube vt lapides fiant panes. Cogetur Deus, nolit velit, vt ſe tuæ accommodet voluntati: Et hoc erat peccatum præſumptionis, à quo Chriſtus Deus, *Patri obediens, vſque ad mortem, extremè abhorrebat.* II. Fraudes Dæmonis, in ſpecie cõſideratæ. *I. Palliat vitia virtutibus. Matt. 4. Philip. 2.*

Clarius rem totam intelligetis, in Exemplo Saul Regis: Nam huic præceperat Deus, vt Amalechitas adoriretur, radicituſque deleret; & ita quidem exterminaret, vt nec homo, nec beſtia, ex illis relinqueretur: Iuſta hæc Dei ſententia, ferebatur, in vindictam intolerandæ crudelitatis, quam in ſolentiſſimè exercuerat, in captiuos Iſraelitas. Saul itaquè, cum exercitu ſuo egreditur, vincit ac necat homines & animalia, vti Deus mandauerat. *Multis nihilominus parcit, viuum inprimis relinquens, ipſum Regem Agag, deinde ex armentis, quæ erant meliora.* Nec hac diſſimulatione, putabat ſe peccatum aliquod admittere, quia viuum conſeruare Regem, pietatis videbatur; Boues autem & pecora, Religionis, vt his in ſacrificium cæſis, læſa quandoque Diuina patientia, placaretur. Vnde cum eum Samuel, propter tranſgreſſionem Dominici præcepti, redargueret, & increparet, reſpondit Saul: *Imò audiui vocem* *I. Exemplũ Saul Regis. 1. Reg. 15. Saul pallio pietatis & religionis à Diabolo ad inobedientiã ſeducitur.*

Domini,

Digitized by Google

1.Reg.15.

Domini,& ambulaui in via,per quam me miſit Dominus: Abduxi Agag, & interfeci Amalech. Tulit autem de præda populus, oues & boues, primitias eorum, quæ cæſa ſunt, vt immolet Domino Deo ſuo. Non credidit itaque Saul, in parte aliqua, mandatum Domini ſe violaſſe. Et nihilominus, apertè ab eo, Inobedientiæ redargutus, ideoque Deo permittente, caſtigatus eſt, vt Regnum pariter, ac vitam amitteret. Nam totum illud facinus, proficiſcebatur, ex occulto & inordinato affectu dominandi, cupiditateq; prædæ, tametſi Saul, hanc intentionis ſuæ prauitatem nequaquam aduerteret, cum prætextu pietatis & Religionis, à Cacadæmone, deciperetur.

II. Documẽtum pro omnibus Chriſtianis.
In lib.1.Reg. cap.15.

Diſcant ex hoc exemplo, monet S.Gregorius Nazianzenus, *Chriſtiani omnes, quanti periculi res ſit, immodica cupiditate honoris, diuitiarum, carnalium voluptatum, aut alterius id genus, perituri boni, laborare: Licet enim morbus exiguis generetur initijs, accedente tamen occaſione, totam animam, inextinguibili ſiti conficit, & proſternit. Quis enim dubitet, Saulem principio, aliqua etiam ratione, ſpiritualem fuiſſe? At quia non ſe totum ſpiritui præbuit, retinendo immoderatum quoddam deſiderium dominandi, hinc Deo extitit inobediens, deceptus nimirum zelo religionis Diuinæ, eòuſque, vt mortem denique, ac æternam damnationem, propria ſibi dextra conſciſceret.* Hæc S.Gregorius:

Documentũ pro Principibus & magnatibus.

Diſcant denique Magnates ac Principes, & qui officijs publicis funguntur, quanti momenti ſit, vt obligationem, ac debita ſuorum officiorum, probè intelligant, cum ignorantia, vti conſtat, exemplo Saulis, nos non ſemper excuſet.

III. Peccati amaritudinem ſub dulcedine voluptatis propinat.
Similia.

Imaginemini vobis, dilecti mei, Diabolum hominem tentaturum, idem plerumquè facere, quod parentes ſoleant erga filios, lumbricorum copia, ex putredine, in inteſtinis hærente laborantes: Vt enim amara quædam ſemina, & alia medicamenta, dolorem pellentia, & vermium arroſiones mitigantia, illis ingerant, aut lactis, aut ſacchari dulcedine condiunt, vt eorum amaritudinem, haud ſentientes, ſub mellita ſuauitate, quod propinatur, voluntariè, libenterq; aſſumant. Et ſicut Pharmacopæi acerbiſſima Catapotia, ſiue ſacchari, ſiue dulcium herbarum, aut radicum additamentis, temperant, ne pharcopotæ palatum offendant:

Palladius in vita S. Macarij Alexandrini. cap.20.
IV. Diabolus tanquam Pharmacopola apparet S.Machario.
Ierem. 2.

Sic Diabolus, qui S.Macario Alexandrino, quondam in deſerto, *inſtar pharmacopolæ, varijs pixidibus, vaſculiſq;, ex omni latere pendulis, circumdatus, quas diuerſas tentationes ſuas eſſe dictitabat, vt ſi vna quapiam homini non ſaperet, aliæ illicò in promptu eſſent, quibus tandem quis caperetur, & ad malum atque peccati delectationem, illiceretur,* quinimmò illaquearetur: Sic, inquam, *mille artifex,* peccati amaritudinem, de qua Propheta: *Scito & vide, quia malum eſt, & amarum, reliquiſſe te, Dominum Deum tuum, & diſceſſiſſe ab eo,* plerumque ſub humanitatis aut pietatis, aut alterius virtutis dulcedine propinat, vt hominem ſeducat.

Exem-

Exemplum capite, è ſcripturis ſacris. Miſerat Dominus Deus Prophetam ad Ieroboam, in Bethel, vt eius idololatriam argueret & incuſaret, & prohibuerat ei, ne cibum vel potum ibi guſtaret, ſed alia via domum reuerteretur. Cumque à Rege inuitaretur; *Veni mecum domum vt prandeas, & dabo tibi munera*, intrepidè reſpondit: *Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam in loco iſto.* Reuertenti porrò per aliam viam, iuxta Domini mandatum, occurrit ſenex quidam, Pſeudo Propheta, qui & ipſe inuitabat eum in domum ſuam, vt ſe nonnihil refocillaret, ſe quoque Prophetam Domini eſſe, obtendens, neque vllo modo refectionem iſtiuſmodi, Deo diſplicere poſſe. Cum igitur ille, fame partim, ſitiſq; vehementia cruciaretur, facilè inductus eſt, vt quod Deus iuſſerat, tranſgrederetur. Ecce Dæmonis fraudem, inobedientiæ peccata, neceſſitatis & amicitiæ velo, tegentem, & inuoluentem. Quantum porrò hic error famuli ſui, Deo diſpliceret, in eo palàm Dominus oſtendit, cum domum repentem à Leone permiſit ſuffocari: Et ne dubitaretur, vindictam diuinitùs immiſſam, Leo cadauer illius, ab alijs rapacibus beſtijs cuſtodiuit, donec ſepulturæ mandaretur. Quis hîc Sathanæ fraudem non intelligat? non deprehendat?

V. Sub ſpecie boni decipitur Propheta miſſus ad Hieroboam. *3. Reg. 13.*

Do aliud Exemplum. Multi qui ad abſtinentiam à carnibus, & ieiunium adſtringuntur, à Diabolo perſuadentur, vt Eccleſiæ præceptum violent, & carnes manducent: Inſpirat enim & perſuadet illis: Tu habes imbecillimum ſtomachum; tu piſces ferre non potes, impoſſibile tibi eſt, vt carnibus abſtineas & ieiunes, neceſſariò interpellendus Confeſſarius eſt, vt tibi carnium eſum permittat. Eia agite, oculos aperite, & Diaboli, quod vulgò dicere ſoletis, manus in ſacco deprehendite: Sub ſpecie neceſſitatis, & valetudinis conſeruandæ, grauiſſimum inobedientiæ crimen, in animam tuam introducit. Eſto, permittat confeſſarius, in animam tuam tibi permittit, & coràm Deo apparebit, an bona conſcientia, carnes voraueris, an ſecus. multò ſecurius eſſet, Diuinæ prouidentiæ te committere, quæ abſque canina illa, carnium appetentia, cum pane & aqua, ieiunantem, in firma & integra valetudine te poſſet conſeruare. Scitote licentiam, comedendi carnes, à Confeſſarijs & Eccleſiaſtico Magiſtratu, non ſub alia ratione, niſi ſub neceſſitate Medicinæ, permitti poſſe. Qui ſanus eſt, & comedit carnes, grauiſſimum peccatum committit, nec hac comeſtione, ſanitati ſuæ, vel minimum commodum, lucrabitur aut acquiret. Agnoſcite fraudem tentatoris, & declinate: Chriſtus Dominus poſt longiſſimam famem & ſitim, extra ordinario modo, lapides in panes noluit mutare, ſed miniſterium Angelorum, à Diuina Patris

VI. Carniuori quadrageſimalis ieiunij violatores quomodo à Diabolo in naſſam pelliceantur.

Graue inobedientia crimen carnes in quadrageſima vorare.

Matth. 4.

prouidentia, maluit expectare, tandemque prandio, ab Angelis eſt refectus. *Et ecce acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.*

VII Dæmon famoſus mendax. Ioan. 8. Gen. 3.

Aliam Dæmonis fraudem, laruâ eius detracta, vobis cauendum propono: *Qui facilè credit, facilè decipitur,* à Dæmone præſertim, *qui mendax fuit ab initio,* & mentiri eſt Dæmoni agnatum & propriũ, vt aiunt Philoſophi, quarto modo. Mendacijs ſuis egregiè impoſuit, primis parentibus noſtris, & perſuaſit, ſi de fructu vetito ſumerent, in Deos reuera euaſuros, & omnem, mali boniq; ſcientiam acquiſituros. quid illis contigit ? E paradiſo expulſos, in mille huius ærumnoſæ, miſeriarum vallis, miſerias, nos vnà cum illis, præcipitauit. Annon hoc mendacium mendaciorum ? In lucta illa, cum Chriſto ſeruatore, cum eum perduxiſſet in montem excelſum valdè, *oſtendens omnia Regna mundi,* & promiſit ei, *hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me,* pro Deo tuo : Annon videtis, quàm ſplendidè mentiatur ? O fallaciſſime venator Diabole, ô maligne ſycophanta, cur promittis te daturum, quod non eſt in tua poteſtate ? Annon *Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo* ? Annon ipſe eſt *Rex Regum & Dominus Dominantium* ? Annon *in manu eius ſunt omnes fines terræ* ! Quis itaque tibi Dominium Regnorum mundi tradidit ? quis aſſignauit ? Apage mendaciſſime furcifer : Tu miſeras animas ſagarum & magarum, hac ipſa, mendacijs mille fimbriata, promiſſione dementas : Tu polliceris eis aureos montes, promittis illis, omnes huius vitæ voluptates, in cibo, in potu, in omni carnis libidine, tu proponis & ſpondes illis diuitias, & honores, dummodò te adorent, & abiurato Deo ſuo, Beatiſsima Virgine, totoq; cæleſti exercitu, pro Deo ſuo te agnoſcant, & in nocturnis commeſſationibus Diuinos honores, in hirci forma, exhibeant : Quàm turpiter eos decipis ? Quàm mendaciter illis, & nequiter illudis ? Quod eis aliquando videris dediſſe, hoc eis aliunde ſubtrahis ; Carnalium voluptatum ſiliquæ, quibus eos, veluti porcos tuos paſcis, ſunt fraudulentiſſimæ deceptiones ; In hac vita, in ſummum dedecus, coràm Deo & hominibus, in altera, in æterna gehennæ incendia, præcipites agis.

Matth. 4. Dæmon mẽdacijs ſuis turpiſſimè decipit maleficos & ſagas. Pſal. 23. Apoc. 19. Pſal. 94.

VIII. Dæmõ in Angeli forma turpiſſimè decipit Ratbodum Friſiæ Ducem.

Atque vt hunc fraudulentum & mendaciſſimum hoſtem, tantò cautius effugiatis, hiſtoriam vobis adduco veriſſimam, ex Vincentio Belloaucenſi, & geſtis ac vita S. Wulfranni : *Ratbodo Duci Friſiæ, cum iam S. VVulfranni prædicatione, fidem Chriſti amplecti, in animo haberet, Dæmon apparuit, in Angelum lucis transformatus, caput opertus Diademate, auro & gemmis mirificè exculto, aurea veſte indutus, in quem cum Ratbodus intenderet, dixit ad eum Diabolus : Virorum fortiſſime, quis ita ſeduxit te, vt à cultura Deorum velis recedere? Noli hoc facere, ſed mane in his, quæ didiciſti, & venies ad domos aureas,*

quas

quas tibi æternaliter, proximè ſum daturus. Cras igitur accerſe VVulſrannum, Doctorem Chriſtianorum, & ab eo quære, quænam ſit illa manſio, æternæ claritatis, quam tibi pollicetur: quam cum monſtrare nequiuerit, vtriusq; partis mittantur legati, & ego ero Dux itineris, & demonſtrabo domum auream, & manſionem pulcherrimam, quam tibi promitto. Euigilans Ratbodus, narrauit cuncta ſancto VVulfranno, qui dixit, illuſorem Diabolum ſibi velle illudere. Reſpondit Dux, ſe futurum Chriſtianum, ſi illa pulchra manſio demonſtraretur, ſibi à Deo ſuo. Mittitur ergò ſtatim quidam Friſo ex parte Ducis, & quidam Diaconus, ex parte ſancti VVulfranni: qui cum paululum ab oppido proceſſiſſent, obuium habuerunt quendam itineris comitem, qui dixit eis: Properate citò, nam monſtrabo vobis pulcherrimā manſionem, Ratbodo Duci præparatam; Illi autem pergentes, viam latiſſimam, & loca ignota, viderunt quandam viam, diuerſorum generibus marmorum, polito opere decoratam, videruntq; à longè domum quaſi auream, & peruenerunt ad plateam, quæ ante domum erat, quaſi auro in gemmis ſtratam, intrantesq; domum, viderunt domum miræ pulchritudinis, & incredibilis ſplendoris, & in ea Thronum miræ magnitudinis. Tunc Ductor itineris, ait illis: Hæc eſt manſio præparata Ratbodo Duci. Adhæc Diaconus obſtupeſcens, ait: Si à Deo facta ſunt iſta, perpetuò maneant, ſi à Diabolo, citò diſpereant. Et cum ſignaret ſe ſigno ſanctæ Crucis, ductor ille tranſiit in Diabolum, & domus aurea in lutum. Remanſitq; Diaconus & Friſo, in medio locorum paluſtrium, quæ plena erant longiſſimis virgultis & carectis. Triduoq; immenſi itineris, conficientes iter, reuerſi ſunt ad oppidum, & Ducem mortuum inuenerunt. Narrauerūt, quæ viderant, S. VVulfranno, Friſo autē baptizatus eſt, qui dicebatur Ingomarus, vel Cuningus, qui & ſecutus eſt S. VVulfrannum, ad monaſterium Fontenellæ. Quid vobis, ô miſeri homines, à Diabolo ſeducti, imaginamini, putatis vos ab illo lautiſſimis epulis refici, & ecce morticinas cadauerum carnes, vobis apponit; putatis vos bibere optimum vinum Maluaticum, & bibitis turbidas fimetorum lacunas. Exiſtimatis vos tripudiare in palatijs, auro gemmisq; fulgentibus, & ecce ſub patibulis & rotis, furum & latronum, vos conuiuas ſuos honorificè tractat. Pecunia, quam vobis porrigit, ſæpe in carbones aut lutum conuertitur, aut rurſum furto vobis ſubtrahit. Omnia ſunt phantaſtica, falſa, ſimulata quæ promittit.

Pollicetur Ratbodo pulcherrimam manſionem.

Palatium Diaboli phantaſticū euaneſcit facto ſigno crucis.

Quarundā Diaboli fraudum enarratio.

Ah Animæ, Chriſti ſanguine redemptæ, aperite iſthîc oculos mentis, & doloſiſſimum Deceptorem agnoſcentes, nuncium ei remittite, ad Dominum Deum veſtrum, per veram pœnitentiam redite, antequam iuſtitiæ Diuinæ manus, opera Magiſtratus, contra vos ingraueſcant.

Admonitio ad maleficos & ſagas vt reſipiſcant.

Et quod mirum viſu atq; auditu, immò & lectu, formidabile cenſeri poſſet, quibuſcunq; bonis operibus, immò etiam, Diuinis laudibus, & oratio-

IX. Diuinas etiam laudes

Digitized by Google

& orationes noſtras contaminare attentat Dæmon.

orationibus noſtris, malitiæ ſuæ fœditates, quacunque occaſione maleuoli Dæmones affricare moliuntur: Id quod Ruffinus ſanctum Macarium Alexandrinum, re ipſa Deo manifeſtante, conſpexiſſe memorat, in hæc verba: *Ad ſid:m uamque, confirmatum nobis, de eo eſt, ab his, qui ex ore eius audierant, quod quodam tempore noctis, Dæmon ad oſtium cellulæ eius pulſauerit, dicens: Surge Abba Macari, & eamus ad Collectam, vbi fratres ad vigilias congregantur. Sed ille qui gratia Dei repletus, falli non poterat, intellexit, Diaboli eſſe fallaciam, & ait: O mendax, & veritatis inimice, quid enim tibi conſortij, quid ſocietatis eſt, cum collecta, & congregatione Sanctorum? At ille: Latet ergò te, inquit, ò Macari, quod ſine nobis nulla Collecta agitur, nullaq́; congregatio monachorum? Veni denique, & videbis opera noſtra. Tunc ille, imperet, inquit, tibi Dominus, Dæmon immunde. Et conuerſus ad orationem, petijt à Domino, vt ſibi oſtenderet, ſi hoc verum eſſet, quod gloriatus eſt Dæmon. Abijt ergò ad Collectam, vbi à fratribus vigiliæ celebrantur, & iterum in oratione Dominum deprecatur, vt ſibi*

Ruffin lib. 3. n. 43. in vita S. Macarij iunioris. Apud Heriberdum Roſvveidum. lib. 2. de vitis Patrum. cap. 29.

Viſio admiranda S. Macarij.

veritatem verbi huius oſtendat. Et ecce vidit per totam Eccleſiam quaſi paruulos quoſdam puerulos Æthiopes tetros, diſcurrere hûc atque illûc, & velut volitando deferri. Moris eſt autem inibi, ſedentibus cunctis, ab vno dici Pſalmum, cæteris vel audientibus, vel reſpondentibus. Diſcurrentes ergò illi Æthiopes, puerulis, ſingulis

Variæ Dæmonum geſticulationes tempore Orationis.

quibuſque ſedentibus alludebant, & ſi cui duobus digitulis oculos compreſſiſſent ſtatim dormitabat: ſi cui verò in os immerſiſſent digitum, oſcitare eum faciebant. Vbi verò poſt Pſalmum ad orandum ſe proieciſſent fratres, percurrebant nihilominus ſingulos, & ante alium iacentem in oratione, quaſi mulierum ſpecie, ferebantur, ante alium quaſi ædificantes, atque portantes aliquid, ac diuerſa quæque agentes, apparebant. Et quæcunque Dæmones quaſi ludendo formaſſent, hæc orantes illi in cordis ſui cogitatione verſabant: à nonnullis tamen, vbi aliquid horum agere cæpiſſent, quaſi vi quadam repulſi, præcipites deijciebantur, ita vt nec ſtare quidem prorſus, aut tranſire iuxta eos, auderent: alijs verò, etiam infirmis fratribus, ſupra ceruices, & dorſa ludebant, quia non erant in oratione ſua intenti. Hæc cum vidiſſet ſanctus Macarius, ingemuit grauiter, & lachrymas profundens ad Dominum; Reſpice, ait, Domine, & ne ſileas, neque mitigeris Deus. Exurge, vt diſpergantur

S. Macarius examinat ſingulos & experitur vera eſſe quæ viderat.

inimici tui, & vt fugiant à facie tua, quoniam anima noſtra, repletur illuſionibus. Poſt orationem tamen examinandæ veritatis gratia, ſeorſum exuocatis, ſingulis quibuſque fratribus, ante quorum faciem viderat Dæmones, diuerſo habitu, & varijs imaginibus ludentes, requirit ab eis, ſi in oratione, vel ædificandi cogitationes habuerint, vel iter agendi, vel alia diuerſa, quæ vnicuique, imaginata, per Dæmones viderat: & ſinguli eorum ita confitebantur in corde ſuo fuiſſe, vt ille arguebat: & tunc intellectum eſt, quod omnes vanæ & ſuperfluæ cogitationes, quas vel per Pſalmorum decurſus vel orationum tempore, vnuſquiſque conceperit, ex illuſione Dæmonum fiant: ab his autem, qui omni cuſtodia cor ſuum ſeruant, tetri repellun-

pellun-

Digitized by Google

pelluntur Æthiopes. Deo enim coniuncta mens, & in ipſo tempore præcipuè orationis intenta, nihil alienum, nihil ſuperfluum recipit. Iſta omnia, è ſancti Macarij geſtis Ruffinus. Vnde apparet, quàm attenta ſolertia, liuidi Dæmones, nobis conſueuerint inſidiari, dum aut Orationibus ſacris, aut Diuinarum rerum commentationibus, aut Diuinis laudibus occupamur. Quicunque igitur ad ſimiles, Religionis atque pietatis, Diuinique cultus actiones, Diuino Numini ſunt puræ, & ab omni Dæmonũ collutulatione ſint defæcatæ, alioqui gratiſſimas, te accingis, ſapientis conſilium capeſſe, & reipſa exequere: *Ante Orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.* Sed pergamus; nam tempus aurem vellicat.

Eccleſ. 18.

X. Fuga occaſionum peccati modus reſiſtendi Diabolo.

Aliud denique conſilium, vobis ſuggero, cui ſi morem promptè geſſeritis, maledictus iſte hoſtis non facilè partem in vobis inueniet, nec vos in graue aliquod peccatum proſternet. Fugite *occaſiones peccati*, & declinate ab eis, *qui* enim *amat periculum, peribit in illo.* Sanctiſſimus licet, ac Diuini cultus zeloſiſſimus propagator, S. Iob, adeò circumſpectè, omnes Idololatriæ occaſiones euitabat, vt oculos nunquam, ad orientem Solem, aut Lunam plenam, præſumeret eleuare, ne qua illi, de Idololatria, cogitatio oboriretur, & ſimilis fieret cæco temporis ſui vulgo, quod eoſdem Planetas, Diuinis frequentatos honoribus, adorabat: *Si vidi ſolem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè, lætatum eſt cor meum in abſcondito, & oſculatus ſum manum meam, ore meo. Libidinis* porrò *occaſiones*, tanta ſolertia declinabat, vt diceret: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine.* Vnde Seneca monet: *Quantum poſſumus à lubrico recedamus: nam & in ſicco parùm firmiter ſtamus.* Vbi vmbra, non procul inde corpus: Sic vbi peccati occaſio, ibi peccatum ipſum in vicino. *flamma fumo proxima*: Sic peccandi occaſionem, plerumque crimen comitatur. Occaſio non euitata, ſanctiſſimos etiam homines, pertraxit in ruinam.

Eccleſ. 3.

Iob. 31.

Iob. 31.

Epiſt. ad Lucilium.

Similia.

XI. Anachoreta pius non cauens peccandi occaſiones in peccatum carnale labitur.

Id ipſum liquidò conſtabit ex hiſtoria quadam, quam dat Franciſcus Albertinus: *Anachoreta quidam, vir alioqui pius & ſanctus, cum è cella ſua egrederetur, offendit in ſolitudine puellam, Virginem, quæ viarum ignara, à recto itinere aberrârat. Cum igitur ſciſcitanti, quò tenderet, ab illa reſponſum eſſet, Peregrinationem ad Ædem Lauretanam, ſibi incumbere, Anachoreta, pio, vti videbatur, zelo, ſed reuera carnali quadam Sympathia, Diaboli opera excitatus, ſe illi comitem adiunxit ne tutorem, tot expoſitæ periculis, puellæ pudicitia, deſideraret. Verùm exiguo poſt temporis ſpacio, ex occulta radice, manifeſtum peccatum cæpit pullulare, & eò vſque proceſſit, donec quotidiana conuerſatio, in obſcænum amorem, & in ipſammet fornicationem degeneraret.* Noli ergò fidere Diabolo, tale præcipitium, in peccandi occaſiones ſuggerenti, ne viſco eius inextrica-

Lib. de Angelo Cuſtode: cap. 24.

trica-

Vel minima peccandi occaſio magnæ ruinæ cauſſa eſt.

tricabiliter inhæreſcas. Magni caſus & ruinæ, ex initijs plerumq; tenuibus admodum, oriri ſolent. Optimè ſibi conſuluiſſet Eua, ſi nunquam cum Diabolo, familiarem ſermocinationem commiſcuiſſet, nec pomum petulanti manu tetigiſſet. Exilis lapillus erat, qui de monte, nulla manuum opera, excidebatur, ſed ingens Coloſſus, quatuor Monarchiarum, quem contactu ſuo proſtrauit, ac diſſipauit. Quicunque igitur ad victoriam anhelat, ſit prouidus, ſit circumſpectus, & minimam quamuis mali occaſionem deuitet: Hac enim de cauſſa, vetuit Dominus Nazaræis, non ſolùm, ne vinum biberent, verùm etiam, occaſionis tollendæ gratia, vuas quoque interdixit, ne harum guſtu, vini deſiderium accenderetur. Identidem, cum Templum emundari vellet, idola non tantùm, ex eo præcepit eliminari, ſed vt omnis eorum memoria, & veſtigium idolatriæ, aboleretur, in cineres redigi mandauit: *Noli tangere picem occaſionis, & non inquinaberis à contagione peccati.*

Gen. 3. *Dan. 2.* *Num 6.*

XII. Vitanda nimia ſecuritas.

Noli denique nimium eſſe ſecurus, & ſi hoſtem iſtum ſemel deieceris, & ab ipſo triumphâris. Simulat aliquando ſe dormire, ad inſtar catti, mures capturientis, & de more venantis: Verùm ex improuiſo, in cautos aggreditur, mordicus apprehendit, occidit. audi quid S. Lucas dicat de hoc Tentatore, à Chriſto, iam trina vice ſuperato: *Conſummata omni tentatione, Diabolus receßit ab illo, vſque ad tempus.* Cur vſque ad tempus? An tentationes ſuas denuò reſumpſit? an Dominum ſæpius deinceps eſt adortus? Id credere eſt in procliui, ſed repulſam ſemper tulit, & ſumma confuſione reiectus, abſceſſit. Eſto: Vincatur, & velut canis, baculo abigatur, at non diu emanebit, paulò poſt vires reſumet, ac prælium redindegrabit. Eius perpetuum Axioma eſt: *Reuertar in domum meam, vnde exiui.* Vigilandum itaque, ne *fur* iſte *perfodiat domum* animæ, & in ea, pro more ſuo, latrocinetur. Sanctum Antonium ſæpius impugnauerat, infeſtârat, ſemper victus, nunquam victor. Quidquid moleſtiæ excogitare poterat, in eum, re ipſa, exercuit, vt ſanctum eius propoſitum, Deo in ſolitudine ſeruiendi, turbaret. quoties rediјt, toties naſo ſuſpenſus, adunco, retroceſſit. Sed nimia ſecuritas hoſtem contemnens, multos perdidit. Vigilandum ne hoſtis iſte fraudulentus, improuidos & incautos adoriatur. Quid ergo ſentitis de fallaciſſimo inimico, ſi ſanctiſſimis etiam hominibus, verſutiſsimus agyrta nequiter illudat? Exemplum capeſsite ex Cæſario, in Gertrude femina religioſa, in Weſtphalia, diuinis reuelationibus clara: *quæ quia minus circumſpectè agebat, pro Angelo lucis, Angelum tenebrarum ſuſcepit: Solebat enim Diabolus, phantaſtica circumfuſus claritate, per cellulæ feneſtram, ad illam intrare; & futura, ſed ſæpè falſa, prædicere. Quod cum comperiſſet incluſus quidam Arnſpergenſis, Hermannus*

Luc. 4. *Matth. 12.* *Luc. 10.* *S. Hieron. in eius vita.* *Dæmon grauiſſimè infeſtat S. Antonium.* *XIII. Turpiter etiam decipit religioſam feminã.* *Cæſaſ. lib. 5.* *Bar. Tom. 13 ad an. 1201.*

nomine

nomine, curauit ei dici: Cauta eſto ſoror, quia ſæpe Angelus Sathanæ, transfigurat ſe in Angelum lucis, & multos ſeducit: Crucem itaque de cara benedicta, feneſtræ, per quam intrare conſueuit, imprime, & ſi intrans illam non vitauerit, Angelus Domini eſt, ſin autem, Angelus tenebrarum. Quod cum ipſa feciſſet, & Diabolus nocturno cum fulgore, veniſſet ad feneſtram, & lumine immiſſo, non intraret, ait fœmina: Cur non intras? reſpondit ille: non poſſum, niſi crucem illam de feneſtra proijcias. Illa igitur ſe diu deceptam intelligens, contra eum ſpuit, & nomine Sanctiſſimæ Trinitatis à ſe fugauit. Hæc Cæſarius & ex eo Baronij continuator.

Quæſtio demum oboritur, vnde nobis ſuppetiæ, vt huic hoſti tàm importuno, ſufficienter obſiſtere, & eius violentiam infringere valeamus? Suppoſita Dei gratia & fauore Virginis Deiparæ, quæ huic ſerpenti caput obtriuit, vt huic hoſti ſuperior euadas: *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus tuis vijs.* eorum præſidio adiutus, *ſuper aſpidē & Baſiliſcum ambulabis, conculcabis Leonem & Draconem.* affirmat Origenes & verè: *Sancti Angeli videntes nos inſectationem Dæmonum pati, inſurgunt aduerſus eos, poſt terga cedentes, interimunt.* Noli ergò animo conſternari, etiamſi ab hoc hoſte, immaniſsimo ſæpius affligaris. Angelus pro te excubias agit, pro te dimicat, non permittet, vt aduerſario ſuccumbas. *Reſiſtite*, inquit Apoſtolus, *Diabolo, & fugiet à vobis. Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente, & accipietis regnum æternum.*

III. Auxiliū Angelicum contra Sathanam.
I. Scripturis probatur.
Pſal 90.
Hom. 8 in c. 8. Ioſue.
Iacob. 4.
Apoc. 12. & 20.
Eccleſia in Officio.

Sic Theodoſius Abbas, cum à Diabolo in ſpecie Gygantis nigerrimi, oppugnaretur, ſupraque modum formidaret, *nec vniuerſum hominum genus, ſi in vnā conſtitueretur aciem, ei reſiſtere poſſe opinaretur*, Angeli tamen Cuſtodis præſidio, qui eum ad certamen coràm animabat, hoſtem immaniſsimum, facillimè proſtrauit, & inſignem ab eo triumphum, cóllaudantibus, & applaudentibus Angelis, reportauit.

II. Theodoſius Angeli opera vincit Diabolum in forma gygantis.
Soph. in prato Spirituali. cap 66.

Sic Moyſes, è latrone, religioſiſsimus Dei ſeruus & Abbas, cum ſe ab innumerabili Dæmonum exercitu, turmatim infeſtari, conſpicaretur, eleuans oculos aduerſus Orientem, vidit multò plures Angelorum cuneos, fulgentibus armis inſtructos, pro ſe, contra Cacodæmones, dimicare, & omnia eorum ignea iacula, & Miſsilia, in ipſoſmet hoſtes, ad maximam eorum confuſionem, retorquere, vt omnis eorum multitudo, in fugam conijceretur.

III. Moyſes Abbas videt Angelos pro ſe dimicare.
E vitis SS. Patrum.
Hieron.

Quid plura memorem? Angelica, contra Dæmonis vim & furias, præſidia, certa ſunt: Noſtra tantummodò reſiſtentia, deſideratur: Eſt enim inſtar procacis & maledicæ mulierculæ, cui linguam exaſperanti, ſi nemo ſit, qui gladium contineat in vagina, magis magiſq; inſoleſcit; At verò ſi ſit, qui ſe potenter opponat, fugam facilè capeſſet: Ita & Diabolus à natu-

Platus lib. 3. de bono ſtatus religioſi.
IV Dæmon inſtar procacis mulierculæ.

Digitized by Google

Vel minima peccandi occaſio magnæ ruinæ cauſſa eſt.

Gen. 3.

Dan. 2.

tricabiliter inhæreſcas. Magni caſus & ruinæ, ex initijs plerumq; tenuibus admodum, oriri ſolent. Optimè ſibi conſuluiſſet Eua, ſi nunquam cum Diabolo, familiarem ſermocinationem commiſcuiſſet, nec pomum petulanti manu tetigiſſet. Exilis lapillus erat, qui de monte, nulla manuum opera, excidebatur, ſed ingens Coloſſus, quatuor Monarchiarum, quem contactu ſuo proſtrauit, ac diſſipauit. Quicunque igitur ad victoriam anhelat, ſit prouidus, ſit circumſpectus, & minimam quamuis mali occaſionem deuitet: Hac enim de cauſſa, vetuit Dominus Nazaræis, non ſolùm, ne vinum biberent, verùm etiam, occaſionis tollendæ gratia, vuas quoque interdixit, ne harum guſtu, vini deſiderium accenderetur. Identidem, cum Templum emundari vellet, idola non tantùm, ex eo præcepit eliminari, ſed vt omnis eorum memoria, & veſtigium idolatriæ, aboleretur, in cineres redigi mandauit: *Noli tangere picem occaſionis, & non inquinaberis à contagione peccati.*

Num. 6.

XII. Vitanda nimia ſecuritas.

Luc. 4.

Noli denique nimium eſſe ſecurus, & ſi hoſtem iſtum ſemel deieceris, & ab ipſo triumphâris. Simulat aliquando ſe dormire, ad inſtar catti, mures capturientis, & de more venantis: Verùm ex improuiſo, in cautos aggreditur, mordicus apprehendit, occidit. audi quid S Lucas dicat de hoc Tentatore, à Chriſto, iam trina vice ſuperato: *Conſummata omni tentatione, Diabolus receſsit ab illo, vſque ad tempus.* Cur vſque ad tempus? An tentationes ſuas denuò reſumpſit? an Dominum ſæpius deinceps eſt adortus? Id credere eſt in procliui, ſed repulſam ſemper tulit, & ſumma confuſione reiectus, abſceſſit. Eſto: Vincatur, & velut canis, baculo abigatur, at non diu emanebit, paulò poſt vires reſumet, ac prælium redindegrabit. Eius perpetuum Axioma eſt: *Reuertar in domum meam, vnde exiui.* Vigilandum itaque, ne *fur* iſte *perfodiat domum* animæ, & in ea, pro more ſuo, latrocinetur. Sanctum Antonium ſæpius impugnauerat, infeſtârat, ſemper victus, nunquam victor. Quidquid moleſtiæ excogitare poterat, in eum, re ipſa, exercuit, vt ſanctum eius propoſitum, Deo in ſolitudine ſeruiendi, turbaret. quoties rediјt, toties naſo ſuſpenſus, adunco, retroceſſit. Sed nimia ſecuritas hoſtem contemnens, multos perdidit. Vigilandum ne hoſtis iſte fraudulentus, improuidos & incautos adoriatur. Quid ergo ſentitis de fallaciſſimo inimico, ſi ſanctiſſimis etiam hominibus, verſutiſsimus agyrta nequiter illudat? Exemplum capeſsite ex Cæſario, in Gertrude femina religioſa, in Weſtphalia, diuinis reuelationibus clara: *quæ quia minus circumſpectè agebat, pro Angelo lucis, Angelum tenebrarum ſuſcepit: Solebat enim Diabolus, phantaſtica circumfuſus claritate, per cellulæ feneſtram, ad illam intrare, & futura, ſed ſæpè falſa, prædicere. Quod cum comperiſſet incluſus quidam Arnſpergenſis, Hermannus nomine*

Matth. 12.

Luc. 10.

S Hieron. in eius vita.

Dæmon grauiſſimè infeſtat S. Antonium.

XIII. Turpiter etiam decipit religioſam feminã.

Cæſar. lib. 5.

Bar. Tom. 13 ad an. 1201.

nomine, curauit ei dici: Cauta eſto ſoror, quia ſæpe Angelus Sathanæ, transfigurat ſe in Angelum lucis, & multos ſeducit: Crucem itaque de cara benedicta, feneſtræ, per quam intrare conſueuit, imprime, & ſi intrans illam non vitauerit, Angelus Domini eſt, ſin autem, Angelus tenebrarum. Quod cum ipſa feciſſet, & Diabolus nocturno cum fulgore, veniſſet ad feneſtram, & lumine immiſſo, non intraret, ait fæmina: Cur non intras? reſpondit ille: non poſſum, niſi crucem illam de feneſtra proijcias. Illa igitur ſe diu deceptam intelligens, contra eum ſpuit, & nomine Sanctiſſimæ Trinitatis à ſe fugauit. Hæc Cæſarius & ex eo Baronij continuator.

Quæſtio demum oboritur, vnde nobis ſuppetiæ, vt huic hoſti tàm importuno, ſufficienter obſiſtere, & eius violentiam infringere valeamus? Suppoſita Dei gratia & fauore Virginis Deiparæ, quæ huic ſerpenti caput obtriuit, vt huic hoſti ſuperior euadas: *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus tuis vijs.* eorum præſidio adiutus, *ſuper aſpidē & Baſiliſcum ambulabis, conculcabis Leonem & Draconem.* affirmat Origenes & verè: *Sancti Angeli videntes nos inſectationem Dæmonum pati, inſurgant aduerſus eos, poſt terga cedentes, interimunt.* Noli ergò animo conſternari, etiamſi ab hoc hoſte, immaniſsimo ſæpius affligaris. Angelus pro te excubias agit, pro te dimicat, non permittet, vt aduerſario ſuccumbas. *Reſiſtite,* inquit Apoſtolus, *Diabolo, & fugiet à vobis. Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente, & accipietis regnum æternum.*

III. Auxiliū Angelicum contra Sathanam.
I. Scripturis probatur.
Pſal 90.
Hom. 8. in c. 8. Ioſue.
Iacob. 4.
Apoc. 12. & 20.
Eccleſia in Officio.

Sic Theodoſius Abbas, cum à Diabolo in ſpecie Gygantis nigerrimi, oppugnaretur, ſupraque modum formidaret, *nec vniuerſum hominum genus, ſi in vnā conſtitueretur aciem, ei reſiſtere poſſe opinaretur,* Angeli tamen Cuſtodis præſidio, qui eum ad certamen coràm animabat, hoſtem immaniſsimum, facillimè proſtrauit, & inſignem ab eo triumphum, cóllaudantibus, & applaudentibus Angelis, reportauit.

II. Theodoſius Angeli opera vincit Diabolum in forma gygantis.
Soph. in prato Spirituali cap 66.

Sic Moyſes, è latrone, religioſiſsimus Dei ſeruus & Abbas, cum ſe ab innumerabili Dæmonum exercitu, turmatim infeſtari, conſpiceretur, eleuans oculos aduerſus Orientem, vidit multò plures Angelorum cuneos, fulgentibus armis inſtructos, pro ſe, contra Cacodæmones, dimicare, & omnia eorum ignea iacula, & Miſsilia, in ipſoſmet hoſtes, ad maximam eorum confuſionem, retorquere, vt omnis eorum multitudo, in fugam conijceretur.

III. Moyſes Abbas videt Angelos pro ſe dimicare.
E vitis SS. Patrum.
Hieron.

Quid plura memorem? Angelica, contra Dæmonis vim & furias, prę ſidia, certa ſunt: Noſtra tantummodò reſiſtentia, deſideratur: Eſt enim inſtar procacis & maledicæ mulierculæ, cui linguam exaſperanti, ſi nemo ſit, qui gladium contineat in vagina, magis magiſq; inſoleſcit; At verò ſi ſit, qui ſe potenter opponat, fugam facilè capeſſet: Ita & Diabolus à natu-

Platus lib. 3. de bono ſtatus religioſi.
IV Dæmon inſtar procacis mulierculæ.

Math.4. à natura eſt comparatus, niſi conatibus eius doloſis, acerrima, ſicut à Chriſti Domini exemplo, diſcimus, reſiſtentia occurratur.

V. Victoribus coronas promittunt. Exemplum B. Iacobus Alemannus ex Ordine S. Dominici. In eius vita.

Parta denique victoria, ſancti Angeli accedunt, & victoribus miniſtrant, coronas vel imponunt reipſa, vel in cæleſti Patria promittunt. Id quod B. Iacobi Alemanni, ordinis S. Patris Dominici, liquet Exemplo: *Is enim*, ſcribente Ioanne Antonio Flaminio, *infeſtum quidē, per omne tempus habuit Dæmonem, ſed eius dolos, huc vſq; latentes expertus eſt; deinceps verò, aperto Marte, multa cum eo certamina habuit; nam fuſtibus ſæpè orantem, cecidit, & alijs mille vexauit modis, ſemper tamen Athleta, fortiſſimus victor euaſit. Mirificè autem, poſt diſceſſum Dæmonum, cæleſti luce, & voce Angelica, recreabatur: Adhortans enim, & conſolans Angelus de cælo, ſic eum alloquebatur: Serue Dei, eſto fidelis vſque ad mortem; Expecta Dominum, & viriliter age, & confortetur cor tuum: Ingentia ſunt enim, quæ tibi pro paruo labore, atque certamine, præmia præparantur. Ex qua Angelica commonitione, indies melior & ſanctior efficiebatur.* Iſta ſcriptor vitæ peregregij militis Chriſti.

Noſtis, *ô ſancti Angeli Tutelares*, quotidianum nobis eſſe, cum Dæmonibus pugnam, ſed abſque præſidio veſtro, raram, vel omninò nullam victoriam: Obſecramus proinde, vt nos in primo, maligni hoſtis, congreſſu, ſacris inſpirationibus veſtris, animetis, in certamina, cæleſtibus armis, communiatis, & manus noſtras, ad prælium doceatis, ac denique ſuccubituris, ex humana fragilitate, auxiliatrices manus ſupponatis, & ad reportandam victoriam, opitulatricem aſſiſtentiam exhibeatis, vt in cælo, *per Saluatoris quinque Triumphalia ſtigmata*, coronari promereamur. Amen.

SERMO XXIII.

X. In agone, cum maximè à malignis hoſtibus oppugnamur præcipuè viciſſim, à ſanctis Angelis protegimur & defenſamur.

Væ terræ & mari, quia deſcendit ad vos Diabolus, habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habet. Apoc. 12.

QVI fortiſſima caſtra, munitiones, arces & propugnacula diuturna obſidione preſſerunt, nec, varijs licet aſſultibus, expugnare potuerunt, antequam obſidionem ſoluant, generalem, ſummo cum impetu, variis in locis, oppugnationem inſtituunt, vt in diuerſa, diſtractis præſidiarijs, eorum vires, ad reſiſtendum imminuant, & alicubi, tranſcenſis vallis, aut per deiectas murorum ruinas, latenter

Digitized by Google

latenter ingreſſi, munitiora occupent loca, in ciuium domos irruant, prædas agant,& acie gladij,obuios quoſque proſternant. Eodem, contra homines, ſtratagemate, abſque omni ceſſatione, vtitur infeſtiſſimus hoſtis Dæmon,qui *calcaneo* noſtro perpetuo *inſidiatur*: Cum enim in omni huius vitæ militia, contra nos horrendo furore debacchetur, varijsq; tentationum ſuarum machinis, omnj tempore animas, Chriſti ſanguine reparatas, furioſiſſimè oppugnet,ſibique ſubiugare,per fas & nefas moliatur,id tamen omnium maximè, opus vrget, cum præſagit hominem breui,è Certaminis palęſtra exemptum,*& in excelſis collocatum iri,vbi munimenta ſaxorum ſublimitas eius; Vbi panis ei datur,& aquæ eius fideles ſunt;Vbi Regem in decore ſuo videbunt, oculi eius, cernent terram de longè*, vbi ab omni deinçeps inuidi hoſtis,impetu,ſecurus triumphet. Quamobrem, in eo vitę articulo,collectis omnibus, Tartarearum poteſtatum viribus,extrema tentat, vt animarum perditione, quam auidiſſimè quærit, pro voto potiatur. Eſt porrò hîc vltimus Diaboli aſſultus tàm vehemens, & importunus,adeò terribilis,& truculentus,vt Angelus noſter Cuſtos,è cælo,quotidiè acclamet,moneat,ad arma comparanda,exhortatur:*Væ terræ & mari*,habitantibus in inſulis, & in terra continenti, *quia deſcendet ad vos Diabolus,habens iram magnam,ſciens quia modicum tempus habet*, vos impugnandi; vt ergò ad excutienda hoſtis ignea tela,nos ritè obarmemus, eique conſtanter, pro virili noſtra parte, reſiſtamus, hanc eius vltimam colluctationem,breuiter expendemus,vt tantò promptius,imbecillitatem noſtram,Angelico præſidio,communire ſatagemus. *Gen. 3.* *Iob. 14.* *Iſai. 33.* *Apoc. 12.*

I. Diaboli furiæ cõtra animã agonizantem.

I. *Nocendi cupiditas.*

Væ terræ & mari, quia deſcendit ad vos Diabolus,habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habet. Peritiſſimi rerum bellicarum Duces, & Imperatores,tùm maximè hoſtem vrgent,ac premunt, cum eum fugam meditari conſpiciunt:Sic Dæmon,ex huius vitæ certamine, breuiter exceſſuris; quàm vehementiſſimè inſtat, vt eos in perditionis æternæ naſſam pelliciat: Miraris hanc eius nocendi cupiditatem? deſine mirari:*Eſt coluber in via,Ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi*, hominis mox morituri deceſſum,ex hac vita infeſtans,vt cadat aſcenſor eius retrorſum, vt anima Diuinæ gratiæ Ephippio, recalcitrante carne, excuſſa, incidat in eorum poteſtatem,& æternis gehennæ incendijs mancipetur: Tunc enim vel maximè *inſidiatur in abſcondito, quaſi Leo in ſpelunca ſua*; *Inſidiatur vt rapiat pauperem,rapere*,inquam,*pauperem*, intendit & molitur, *dum attrahit eum*. Attrahit,inquam,ſed quomodo attrahit? Vi an dolo? *Dolo vel maximè* hominem ſupplantat. Vulpes etiam cathenæ alligata,ſuas non deſinit aſtutias, nec fraudes dimittit, ſed panis boluſculo aut micula porrecto,gallinam vt propius accedat,illicit,quam cum attingere valet, *Gen. 49.* *Pſal. 9.*

II. *Dolo magis quàm vi trahit homines.*

Diabolus vulpi ſimilis

arripit, laniat & abſumit: Sic Diabolus, infernalis illa Vulpes, de qua Regius vates, omnibus damnatis prænunciat: *Tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt*, voluptatum huius vitæ illecebris, ſalutis æternæ parum prouidas animas, ineſcat ac decipit, vt ſui penitus oblitæ, velut ſorices, à Catto Tartareo, protinus intercipiantur, fœdiſſimeque diſcerpantur. Grande periculum, ab vnico propemodum momento, dependens.

Pſal. 62.

Diabolus Cattus: III. Diabolus Framea Canis Leo vnicornis.

Non miror, ô ſancte Dauid, te quondam, vt illud effugeres, ac declinando euitares, adeò ſolicitè Numen Diuinum imploraſſe: *Illumina Domine oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum.* Et iterum: *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam; Saluũ me fac ex ore Leonis, & à cornibus vnicornium, humilitatem meam.* Quæ nam framea, à qua, ô ſanctiſſime Propheta, erui, & præſeruari efflagitas? *Tyrannica Diaboli poteſtas*, quæ vniuerſum quondam hominum genus, oppreſſit? *Qui canes latrantes*, & mordicus inſectantes? qui *Leones rugientes* & rapientes? Qui *monocerotes* omnia diſijcientes, & quodammodo cornibus ſuis euentilantes? Monſtroſi Dæmones, humanæ perniciei, nullo non tempore, extrema hoſtilitate inuigilantes? Eſt igitur neceſſe, ô anima Chriſtiana, vt & tu, inſtanter ores, *ne intres* & incidas *in* huius hoſtis *tentationes*; Quia Saluatore tuo præmonente; *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te vndiq; & proſternent te*, extrema & lethali ægritudine, exhauſtum & exanimatũ, & *filios tuos qui in te ſunt*, omnes tuas cogitationes, & deſideria, diutius ſuperuiuendi, ceſſabunt, *non relinquent in te lapidem ſuper lapidem*, animã tuã, à corpore violenter auellent: *Erit tunc tibi tribulatio magna, qualis non fuit, ex quo gentes eſſe cœperunt.. Væ terræ & mari*, niſi Angelica præſidia contra potentiſſimum aduerſarium, peruigili ſolertia, conquirantur.

Pſal. 12. Pſal. 21.

Matth. 26.

Luc. 19. Matt. 24.

II. Patrum teſtimonia, & ſimilitudinariæ explicationes Afuriarũ Diabolicarum.

Sur. in eius vita Tom. 2.

I. Velut canes leporem: ſic illi animas agitant.

In Medit. de exitu animæ & ſtatu alterius vitæ.

Solebat olim S. Anſelmus affirmare: *Anima cum de corpore exit, eam inimici eius, maligni Spiritus, qui eam in corpore degentem, per anfractus, vitiorum, ſicut canes leporem, perſecuti ſunt, crudeliter adſunt, parati eam, quaſi prædam rapere, & in æternam mortem præcipitare.* Similiter præmonet S. Cyrillus Alexandrinus: *Adſunt nobis tunc, Exercitus & poteſtates contrariæ tenebrarum, mundi Rectores, nequitiæ Principes, & cum ipſis, ille homicida Diabolus, qui in nequitia Princeps eſt, cuius lingua ſicut nouacula acuta, de quo Propheta ait: Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatorijs, & inſidiatur vt Leo in ſpelunca ſua. O qualem timorem & tremorem, exiſtimas animam habere in die illa, videntem terribiles, crudeles, immites, immiſericordes Dæmones, tanquam Æthiopes caliginantes, adſtantes? Et vt ipſi animæ, vel aſpectus ſolus, grauior ſit, omni pœna; quos intuens anima; turbatur, tremit, horreſcit, anguſtiatur, refugit. Taceo grauiſſima tentationum certamina, quibus tunc maximè contra animam inſurgent, quas niſi*

diui-

Digitized by Google

diuina gratia, & ope cæleſtium ciuium, Sanctorum præcipuè Angelorum, ſubnixi, omninò vincere non poſſemus, adeò ſæuiet hoſtis horrendè. Ita S. Cyrillus: Audite porrò, quantopere hanc vltimam Dæmonis tentationem, formidârit Origenes, vetuſtiſſimus Doctor: *Mihi ſi concederet Deus,* inquit, *vt proprio ſanguine diluerer, morte pro Chriſto ſuſcepta, ſecurus hinc, ex iſto ſæculo diſcederem, vt veniens ad animam meam, de hac vita exeuntem, Princeps huius mundi, non inueniret quidquam, & ſanguinis mei profuſione, ſopiretur, nec auderet in aliquo criminari animam meam, cruore ſuo dilutam. Nec mirum itaq; nos Angelum præmonuiſſe: Væ terræ & mari, quia deſcendit ad vos Diabolus, habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet.*

Hom. 7. in librum Iudicum.

Origenes etiam timebat Dæmonum infeſtationes in agone.

II. Similitudines.

1 Aquila, Miluus, Lupus.

2. Latro.

3. Milites in anguſto tranſitu.

Non tàm auidè Lupus Ouem, Aquila Leporem, Miluus Gallinam, venatur, ſicut hoſtis iſte, in extremo agone, inhiat animabus. Nec tàm cupidè latrones in abſtruſiſſimis viarum & itinerum anguſtijs, inſidiantur, Mercatoribus, quàm cupidè Dæmones, animabus perniciem moliuntur, in vltimo agone, vt eos meritorum in cælo, diuitijs expoliatos, lethaliterq; ſauciatos, omninò perditũ eant. Dux militum, in anguſto tranſitu, hoſtibus fugam meditantibus, cum alia, diſcrimen effugiendi, rima, deſit ineuitabili neceſſitate penetrando, optimos quoſq; milites, collocat, qui venientes excipiant, & elabendi occaſiones, intercludant; Idque tantò feruentiori conatu, effectum datur, quantò certius conſtat, arctitudine illa ſuperata, nullũ amplius hoſti nocumentum, inferri poſſe. Nec ſegnior eſt induſtria, malignorum ſpirituum, quibus haud eſt obſcurum, ſi anima, vel ſemel angiportũ vltimi agonis, ſecurè perruperit, nihil amplius in eius præiudicium, nec in hac, nec in altera vita, obtenturos. Hîc itaque vires ſuas exercent, hîc vim omnem explicant, hîc omne robur & potentiam ſuam exercent, hîc velis remisq; rem ſuam agunt.

III. Dæmones velut exploratores in confiniis hoſtium.

In duorum Confinijs Principum, qui inter ſe bella gerunt, exploratores collocantur, qui viatores hinc inde commeantes, diſcutiunt, & cuiuſnam ſint factionis, aut partis, inquirunt. Inter Deum & Dæmonem, perpetuum eſt, de hominis dominio diſſidium. Infeſtat Lucifer ſubditos Dei, animas Chriſti ſanguine recuperatas, & ſui iuris eas facere, conatur, idque tùm potiſſimum, cum eius ditionem, quæ eſt *Mors* corporis, quam ipſe *per peccatum Mundo* ſubinuexit, ſunt breui peragraturi. *Sap. 2.* Cum itaque vident, anxium viatorem, in eo termino conſtitutum, haud omittunt, quin percunctentur: *Vnde venis?* Ex gratia Dei, vel ſtatu peccati mortalis? *quò vadis?* In cælum? An in infernum? *Cuius ſunt quæ ſequeris?* cuius opera tua, quæ ante te in alteram vitam præmittis? An Dei? vel quod grauius, noſtra? Et ſiquidem deprehendant tranſiturientem, non eſſe ex ipſorum factione, nec *Gen. 32. Apoc. 12.*

Diabolicæ parti homagium præſtitiſſe, aut ſemel præſtitum, redeundo cum Deo, vero Domino ſuo, in gratiam, violaſſe, vehementiſſimè contra ipſum inſurgunt, maiorem in modum exagitant, & tentationibus immiſſis, diuexant, *cum ſint Spiritus ad vindictam creati*, & in horula illa, periculoſiſſima, *omnem furorem ſuum effundent. Væ* igitur *terræ & mari, quia deſcendit ad vos Diabolus, habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet.*

Eccl. 38.

IV. Præmonitio S. Antonij. Pallad in vitis Patr. vita. 27. 1. Dæmon ob ſuperbiam excelſus gygas. 2. Animas in cælum volaturientes cupit impedire.

Hoc ipſum facilè colligemus, ex hiſtoria, quam Palladius refert, de S. Antonio, in hæc verba: Et hoc nobis referebat Chronius de Thebaide S. Antonij Diſcipulus. *Nocte quadam, cum verbum Dei prolixius nos doceret, Sanctus Pater Antonius, hoc intulit, dicens: Quia per annum integrum oraui, vt reuelare mihi dignaretur, per gratiam ſuam Dominus, locum iuſtorum & peccatorum; Et vidi excelſum quendam Gygantem, vſque ad nubes penetrantem, manus extentas habentem, & ſubter eum ſtagnum, velut magnum mare, & ignis flammabat feruebatque velut caldaria; Et videbam animas ſpecie auium volantes, & quantacunque quidem, ſuperuolabant manus eius, & caput, ſaluabantur, & vſque ad cælum perueniebant. quotquot autem in manus eius incidiſſent, non valentes ſuperius euolare, percutiebat eas manibus ſuis, & alludebat, & cadebant in ſtagnum feruens. Audiui quoque vocem, dicentem mihi, has eſſe animas peccatorum, quæ in infernum demerguntur. Illas, quæ gygantem ſuperuolant, animas iuſtorum, quas peccati pondus non grauat*; Hæc ille, & multò plura, è quibus Diaboli conatus euidentiſſimè demonſtratur.

III. Sanctiſſimi etiam homines hanc vltimā luctam cum Diabolo ſupra modum exhorruerunt.

I. S. Euſtrathius; & eius oratio in agone. Sim. Metaphr. apud Sur. Tom 6.

II. S Simeon Salus ſtultū ſe fingens.

Non eſt, mihi credite, non eſt res parui momenti, vltima iſta, cum Diabolo colluctatio, nec formidinis aut pauoris, nec æternæ ſalutis periculi expers, certamen; formidarunt, hanc vltimam Dæmonum oppugnationem, ſupra quàm explicari poſſit, etiam ſanctiſſimi Dei ſerui: quid impijs & peccatoribus, obſecro, cogitandum? quam ſibi ſecuritatem pollicebuntur, niſi Sanctorum Angelorum præſidio ſuffulciantur? S. Euſtrathius, Sebaſtæ in Armenia, ſub Agricolao Præſide, nobiliſſimus Martyr, cum poſt innumera & acerbiſſima cruciamenta, ad extremum ſupplicium, gladio feriendus, duceretur, hunc in modum, precabatur: *Et nunc Domine Ieſu, tegat me manus tua, & veniat ſuper me, miſericordia tua, quoniam conturbata eſt in me, anima mea, & triſtis eſt, dum egreditur de hoc corpore, ne fortè mala inimici poteſtas, ei occurrat, & eam impediat in tenebris, propter peccata, quæ à me in vita facta ſunt, per ignorantiam. Sis mihi propitius Domine, & ne videat anima mea, tenebricoſum vultum malorum Dæmonum, ſed eam accipiant Angeli tui lucidi, & in cælum perducant.* Sic ſanctus Simeon Salus, qui ſe ſtultum fingebat, ſed ſub ſtultitiæ nomine, vitam ſanctiſſimam ducebat, cum in extremis ageret, Ioannem Diaconum, ſocium ſuum, admonebat:

Digitized by Google

ncbat: *Curam gere animæ tuæ, vt poſsis tranſmittere, abſque vlla tempeſtate, Principes tenebrarum: ſcit enim Dominus, me magno vexari metu, & ſollicitudine, donec ab eorum ſæuitia, fuero liberatus.* Sic ſanctus Eligius, Nouiomenſis Epiſcopus, in extremis poſitus, ne à Dæmonibus expugnaretur, orabat: *Aperi mihi Domine properanti ianuam vitæ, & Principes tenebrarum non occurrant mihi, neque conturbent me, poteſtates aëris huius, ſed clemens dextra tua, protegat me, & potentia tua, me defendat.* Sic ſanctus Elzearius, illuſtriſsimus Comes Ariani, Vir ſanctiſsimus, qui cum coniuge ſua, perpetuam coluit virginitatem, cum Dæmon horrendiſsimo aſpectu ſuo, eum grauiſsimè percelleret, ac terreret in hæc verba, fiducia, erga Chriſtum, Saluatorem præclariſsima, erumpebat: *Magna eſt, ô Dæmones, vis veſtra, & potentia: ſed eam penitus eneruant, virtus, & merita Paſsionis Domini mei Ieſu Chriſti.* cumque more ſuo, ad ſanctiſsima Saluatoris Vulnera, confugiſſet, placidiſsimè in Domino obdormiuit. Sic S. Nicolaus Tolentinas, cum ſuſcepto ſalutari viatico, morti vicinus eſſet, inter alios, Sacroſanctæ Euchariſtiæ fructus, petebat, *vt tanto viatico munitus, non deficiam in via, ad patriam cæleſtem profecturus. Et ſi ob demerita mea, improbus Belial hoſtis meus, mihi occurrerit, poſsim fidenter dicere: Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* Sanctus etiam Bernardus, morti vicinus, ſanctiſsimis Eccleſię Sacramentis iam communitus, ad Abbatem Bonæ vallis, in hæc verba ſcribit: *Orate Saluatorem, vt tempeſtiuum iam exitum, non differat, ſed cuſtodiat, curate calcaneum, nudum meritis, munire votis, vt Diabolus, qui inſidiatur, non inueniat, vbi dentem figat, & vulnus infligat.* Et in extremis agens, S. Macrina, Soror S. Baſilij, inter cætera ſic orabat: *Ne impediat, ô Domine, inuidus Dæmon, iter meum.* Similiter & S. Melania, teſte S. Hieronymo, ad Dominum ſuſpirabat: *Præbe mihi iter ad te Domine, ſine vlla perturbatione, ne me retineant, huius aëris Dæmones mali.* Sanctiſsimi, ecce, tàm viri, quàm fæminæ, Dæmonum impetitiones vltimas, tantoperè formidabant: Quid ni & nos timeamus, & contra tàm formidabiles hoſtes, neceſſaria ſubſidia, vigilantiſsima prouidentia, diſquiramus? Moueat vos, obſecro, & permoueat, Angelicum tonitru: *Væ terræ & mari, quia deſcendit ad vos Diabolus, habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet.*

Sur. Tom. 1. hiſt. ſanctorum.
III. S. Eligius Nouiomenſis Epiſcopus.
Audoënus in eius vita, lib. 2. c. 23.
IV. S. Elzearius Comes
Surius eius vita cap. 3.
V. S. Nicolaus Tolentinas.
Sur. in eius vita Tom. 5.
VI. S. Bernardus Epiſt. 310 & vita lib. 5. cap 2.
VII. S. Macrina. Greg. Nyſſ. in vita.
VIII. S. Melania. In Epiſt. de obitu Bleſillæ.

Quid ergò conſilij ne luctamini tàm periculoſo ſuccumbamus? quin potius, hoſte ſuperato, Trophæum reportemus? Poſt Deum, & glorioſiſsimam *Hominum & Angelorum Reginam, infernalis Serpentis genuinam Calcatricem*, alioſque Diuos ſanctos, Angelos Tutelares, & imprimis, inuictiſsimum, Draconis antiqui Triumphatorem, ſanctum Archangelum Michaelem, pro parte veſtra conducite, & eorum aſsiſtentiàm, aſsiduis precibus efflagitate; quin ètiam, ſponte ſua paratos ac promptos, in-

IV. Angelicum ſubſidium nobis neceſſariũ in agone.

Digitized by Google

Pſal. 92. ſubſidium adhibete: Ad hoc enim, munificentiſſimus Deus, *Angelis ſuis de vobis mandauit*, vt vos, in hac vltima via, præcipuè, regant, cuſtodiant, protegant atque defendant.

I. S. Antonij reluctantibus Dæmonibus Angeli euehunt in cælum. In eius vita.

De S. Antonio Magno, commemorat S. Athanaſius: *Quodam die, ſublimem, verſus cælum, ab Angelis elatum & ſubuectum; Cui cum occurrentes Dæmones, ſumma vi reſiſterent; quæſiuiſſe Angelos, quid in eum iuris haberent? tum illis Antonij errata, ab initio vitæ, enumerare exorſis, impoſitum eſſe à bonis Angelis, ſilentium cum dicerent, non eſſe renouandam eorum memoriam, quæ in ſæculo commiſiſſet, antequam, mundo relicto, ſe totum, pœnitentiæ, ſeruitioq; Diuino addixiſſet. Et ſic ab Angelis ſanctis repulſi, ceſſerunt inuiti & confuſi, & Antonio liberum iter in cælos præbuerunt.* Si ſanctiſſimum virum, tot miraculis clarum ne ab Angelis in cælos ſuſtolleretur, impedire conati ſunt, quantò magis alijs hominibus, & inprimis grauiſſimis peccatoribus, in vltimo agone, mille obſtacula obijcient, ne in cælum aſſumpti, ad Angelorum conſortia recipiantur. E contra verò, dubium non eſt, quemadmodum ſanctum Antonium Angeli defenderunt, ſic etiam contra Dæmonum remoras, & obiectamenta, Clientes ſuos propugnabunt.

II. S. Guilielmi Animã Angeli in celũ tollunt, fruſtra reclamantibus Dæmonibus.

Refert Laurentius Surius *animam B. Guilielmi, Abbatis*, ex hac vita decedentis *conſpectum fuiſſe, à quodam ipſius Diſcipulo Gomundo, per duos Angelos, vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris, eleuari, & in cælum deduci, innumerabili propemodum Dæmonum turba ſubſequente, horrendiſſimeq; vociferante, vt gradum ſiſterent. E quibus cum Gomundus percontaretur, quo tenderent? & quid negotij cum Guilielmo ſibi tranſigendum, propoſuiſſent? Reſponderunt: Vt eum coram tribunali Diuino accuſemus. Verùm Angelus Cuſtos, Guilielmi, eos aggreſſus, in fugam diſpulit, & cum ignominia, omnes illos, Dæmonum manipulos, retrocedere coegit, vt anima ſancti viri liberrimo itinere, ad patriam pertingeret æternam.*

III. Vſurarij pœnitentis animam Angeli contra Dæmones defendunt. Lib. 2. c. 32.

Hiſtoriam ſui temporis famoſiſſimam, in Saxonia contigiſſe, memorat Cæſarius, hiſcè, quæ ſequuntur, verbis: *Fuit in Saxonia Vſurarius diues nimis, qui diuerſarum Eccleſiarum theſauros loco pignoris tenebat, cuius cum eſſet inexplebilis auaritia, percuſſus eſt peremptoria infirmitate. Tunc primùm in ſe reuerſus, licet ſerò, conſiderare cæpit, pondus vſuræ, tormenta Gehennæ, difficultatem pœnitentiæ, & vocans ad ſe quendam nigri ordinis Abbatem, ſibi familiarem, dixit ei: Domine, grauiter infirmor, non poſſum aliquid, de rebus meis ordinare, neque vſuras acceptas reſtituere, ſi volueris de anima mea, Deo reddere rationem, peccatorum meorum mihi promittere abſolutionem, omnia bona mea, tàm mobilia; quàm immobilia, poteſtati veſtræ ſubijciam, ita vt de illis, quod viſum vobis fuerit, faciatis. Cernens Abbas hominem contritum, & verè pœnitentem, reſpondit: Ego deliberabo, feſtinanſq; ad Epiſcopum, verba vſurarij expoſuit, & quid conſuleret, inquiſiuit. Reſpondit Epiſcopus;*

Bonum

Digitized by Google

Bonum mihi videtur, vt pro anima eius ſpondeas, & ſubſtantiam ſuſcipias, ita duntaxat, vt Eccleſia mea Theſaurum mihi reſtituas: mox Abbas ad ægrum rediens, ait: Ego deliberaui, vt bona tua ſuſcipiam, & pro peccatis tuis Deo ſpondeam: reſpondit infirmus: Nunc conſilium meum eſt, vt allatis curribus, omnia mea prius efferas, & me nouiſsimè tollens, nullum patiaris impedimentum in efferendo, habebat enim duas arcas plenas auri & argenti, pignora etiam plurima in vaſis, in libris, varijsq; ornamentis, frumentum, vinum, ſuppellectilem multam, pecoraque infinita. Tunc Abbas, prius omnibus præmiſsis, nouiſsimè in geſtatorio ponens infirmum, properauit ad monaſterium: ſed mox vt ille monaſterium intrauit, ſpiritum exhalauit. Abbas verò, non immemor, ſponſionis, in quantum potuit, vſuras reſtituit plurimas, pro illius anima, largiens eleemoſynas, reſiduum in vſus fratrum conuertit. Poſitum eſt corpus in oratorio, choris pſallentium, circa illud, ordinatis. In ipſa nocte, cum fratres attentius pſallerent, quatuor tetri Spiritus apparentes, feretrum à parte ſiniſtra circumſtabant, quibus viſis, territi fratres, omnes, excepto vno ſeniore, fugerunt. Et ecce totidem Angeli ſancti contra quatuor Dæmones, à parte dextra ſe ordinabant, moxq; is, qui primus inter Dæmones videbatur, in illud Dauidicum erupit: Dixit inſipiens, vt delinquat in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos eius, hoc in iſto homine impletum eſt. Alter dixit: Quoniam doloſè egit in conſpectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Cui tertius ſubiunxit: Verba oris eius, iniquitas & dolus, noluit intelligere vt benè ageret. Quartus dixit: Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, aſtitit omni viæ malæ, malitiam autem non odiuit. Tunc ſimul omnes dixerunt: Si Deus iuſtus, & verba eius vera, homo iſte noſter eſt, quia omnium horum reus eſt. Reſponderunt ſancti Angeli; Si contra eum carmen Dauidicum profertis, procedite. Dixerunt Dæmones: Iſta nobis ſufficiunt, ad eius damnationem. Ad quod Angeli reſponderunt; Ex quo vos tacetis, nos incepti Pſalmi reſidua proferemus. Ait itaque primus; Domine in cælo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes. Cui ſecundus adiecit: Iuſtitia tua ſicut montes Dei; Iudicia tua abyſſus multa. Tertius verò: Homines & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Cumque quartus ſubiunxiſſet: Filij autem hominum, in tegmine alarum tuarum ſperabunt, ſimul in hac vocem eruperunt: Quia Deus iuſtus eſt, & ſcriptura ſolui non poteſt, filius hic hominis noſter eſt, ad Dominum confugit, ad Dominum ibit, quia ſub tegmine alarum ipſius ſperauit. Inebriabitur ab vbertate domus eius, qui ſe lachrymis contritionis, inebriauit, & torrente voluptatis ſuæ, potabit eum: quoniam apud ipſum eſt fons vitæ, & in lumine eius videbit lumen. Ad hanc vocem Dæmonibus confuſis, & obmuteſcentibus, cæleſtes nuncij, animam contriti peccatoris; tollentes, illis ſociauerunt, de quibus Saluator in Euangelio dicit: Gaudium eſt in cælo Angelis Dei, ſuper vno peccatore, pœnitentiam agente. Hæc omnia Cæſarius ad verbum.

Reſtituit bona iniuſtè acquiſita & moritur.

Quatuor Angeli contra quatuor Dæmones.

1. Dæmones animam ſibi vendicant. Pſal. 35.

2. Angeli ſuam eſſe contendunt.

3. Dæmones confuſi animam Angelis relinquere coguntur.

Iſtius-

Digitized by Google

IV. S. Heinricus in agone defenditur à S. Archangelo Michaele.

In eius vita. cap. 28.

Iſtius denique Angelicæ defenſionis, animarum, in hora mortis, præclariſsimam nobis hiſtoriam ſubminiſtrat, Commentarius vitæ S. Heinrici Imperatoris, Bambergenſium Patroni, Eccleſiæ illius Imperialis Fundatoris: *In eius tranſitu, terra plorante, cælum exultauit*, inquit author eius vitæ, *ſicut Dominus per ſuam miſericordiam, reuelare dignatus eſt. Sub ipſa etenim hora, exitus eius, cuidam ſeruo Dei, in ſolitudine commoranti, Diabolus, humana in ſpecie traditur apparuiſſe. Quem vir Dei per ſpiritum protinus agnouit, & ait: Quò vadis Sathan? Cui ille: ad exequias, inquit, Cæſaris Heinrici pergo. Et ille: Vade, inquit, & comple negotium tuum, in quantum tibi à Domino permittitur: Veruntamen conſummato officio tuo, adiuratus per Deum viuum, ad me reuertere, vt per te, rei exitum, cognoſcam. Poſt modicum verò, reuerſus, coràm viro Dei, gemebundus aſtitit, & voce quodammodò querula, & ingenti vlulatu dixit: Heu, heu, deluſi ſumus, in vanum laborauimus; quin etiam, ab Angelis Dei, confuſi diſceſsimus: Aſsiſtentibus enim hinc inde nobis Angelicis ſpiritibus, merita animæ, iuſtè in ſtatera appenſa ſunt, à maximo illo hoſte noſtro, S. Michaelem Archangelum innuentes, & faſciculis peccatorum deprimentibus, iam pænè pars noſtra præponderauerat; Tunc ſubitò aduſtus quidam (ita vocabat S. Laurentium, olim à Tyranno in craticula aſſatum) ſuperueniens, cum Catino aureo, partis dextræ lancem onerauit, mirumq́; immodum, adeò parti noſtræ præponderauit, vt & ipſo Catino, ad terram collapſo, anſa frangeretur, & ruina, colliſionis ſignum, imprimeretur. Hæc verò, tametſi corporaliter geſta referantur, neceſſe tamen eſt, vt virtute ſpirituali completa, intelligantur: Res enim ſpirituales, per corporales exprimuntur imagines, cumque aliud foris agitur, aut dicitur, intus aliud geri ſignificatur. Præmemoratus, & ſæpè rememorandus Dei famulus, Calicem aureum, in honorem Dei, & commemorationem S. Laurentij Martyris, Eccleſiæ Merſburgenſi contulerat, cuius ſpeciali patrocinio, & Sanctorum Angelorum protectione, adiutus, & in ipſa ſui, exitus hora, creditur liberatus. Omni verò veneratione & admiratione dignum eſſe perpenditur, quod eadem hora, calix in cuſtodia Merſburgi, clauſus habebatur, nec minus tamen, anſa defracta prædictæ colliſionis, materiale ſignũ excepit.* Hæc author vitæ S Heinrici, vnde non ſolum Patrocinij Sanctorum, ſed & præſidij Angelorum, in agone vltimo, ſtupenda virtus elucefcit: Quin etiam magnitudo & copia meritorum Sanctiſsimi Principis, inſtar ſolis meridiani, inclareſcit: Nam ſi hæc vnica Eleemoſyna, omnia eius errata, ex humana fragilitate, admiſſa, caſſare profuit, quid eius reliquæ virtutes, virginali caſtimoniæ ſociatæ? Quid ingens mare, operum miſericordiæ, & iuſtitiæ, quibus in omni vita, impenſiſsimè addictus, vixit, effectum dare potuiſſent? Hæc tamen vberius proſequi, ab hoc loco eſt alienum.

Dæmon adeſt S. Heinrico morituro.

S. Michael in bilanco ponderat opera S. Heinrici.

Signum anſa fracta in aureo calice.

Merita S. Heinrici quanta apud Deum.

Verùm

Digitized by Google

Verùm enim verò, & iſtud hac vice, monendum occurrit, vt qui Sanctorum Tutelarium ſpirituum ope, in agone ſuo, peculiariter contra Dæmones protegi deſiderat, iam nunc Dæmonis & peccati iugum excutiat, & ſeria pœnitentia, Diuinam miſericordiam placare, contendat: Nam eos, qui pœnitentiam, de die in diem, vſque ad extremum halitum protelare conſueuerunt, iſtud plerumque contingit, quod cuidam impœnitenti, & duræ ceruicis homini, apud venerabilem Bedam: *Fuit quidam,* inquit, *in Prouincia Merciorum, cuius viſiones ac verba, & conuerſatio plurimis, ſed non ſibimetipſi profuit. Fuit autē temporibus Conredi, qui poſt Edilredum regnauit, vir in laico habitu, atq; officio militari poſitus, ſed quantum pro induſtria exteriori, Regi placens, tantū pro interna ſuimet negligentia, diſplicens. Admonebat ergò illum ſedulò, vt confiteretur, & emendaret, ac relinqueret ſcelera ſua, priuſquā ſubito mortis ſuperuentu, tempus omne pœnitendi & emendandi perderet. Verū ille, licet frequenter admonitus, ſpernebat verba ſalutis, ſeſeq;, tempore ſequenti, pœnitentiam acturum eſſe, promittebat. Inter hæc tactus infirmitate, decidit in lectū, atq; acri cæpit dolore torqueri. Ad quem ingreſſus Rex, diligebat enim eum, multum hortabatur, vt vel tunc, antequam moreretur, pœnitentiam ageret commiſſorum. At ille reſpondebat: non ſe nunc velle confiteri peccata ſua, ſed cum ab infirmitate reſurgeret, ne fortè exprobrarent ſibi ſodales, quod timore mortis faceret ea, quæ ſoſpes facere noluerat. Fortiter quidem, vt ſibi videbatur, locutus, ſed miſerabiliter, vt poſtea patuit, Dæmoniaca fraude ſeductus eſt. Cumque morbo ingraueſcente, denuò ad eum viſitandum, ac docendum rex intraret; clamauit ſtatim miſerabili voce: Quid vis modo? Quid huc veniſti? Non enim mihi aliquid vtilitatis aut ſalutis potes vltra conferre. At ille: Noli, inquit, ita loqui, vide vt ſanum ſapias. Non, inquit, inſanio, ſed peſſimam mihi conſcientiam, certus præ oculis habeo. Et quid, inquit, hoc eſt: Paulò ante, inquit, intrauerunt domum hanc, duo pulcherrimi iuuenes, & reſederunt circa me, vnus ad caput, & vnus ad pedes. Protulitque vnus libellum perpulchrum, ſed vehementer modicum, ac mihi ad legendum dedit, in quo omnia, quæ vnquam bona feceram, intuens ſcripta, reperi; & hæc erant nimis pauca, & modica. Receperunt codicem, neque aliud mihi dicebant. Tunc ſubitò ſuperuenit exercitus malignorum, & horrendorum vultu ſpirituum, domumq; hanc, & exterius obſedit, & intus maxima ex parte, reſidens, impleuit. Tunc ille, qui & obſcuritate tenebroſæ faciei, & primatu ſedis, maior eſſe videbatur, eorum omnium, proferens codicem, horrendæ viſionis, & magnitudinis enormis, & ponderis pœnè incomparabilis, iuſſit vni ex ſatellitibus ſuis, mihi ad legendum deferri. Quem cum legiſſem, inueni omnia ſcelera, non ſolùm quæ opere, vel verbo, ſed etiam, quæ tenuiſſima cogitatione, peccaui, manifeſtiſſimè in eo tetris eſſe deſcripta literis. Dicebatque ad illos, qui mihi aſſidebant, viros albatos & præclaros: Quid hic ſedetis, ſcientes certiſſimè, quia noſter eſt iſte? Reſponderunt: Verùm dicitis,*

V. Qui Dæmonem in agone cupiunt vincere, Dæmonis iugū tempeſtiuè excutiant:

I. Hiſtoria terribilis de illo cui poſt Angelos apparentes Dæmones ingēs volumen peccatorum ſuorum oſtenderunt.

Lib. 5. ca 14. hiſt. Anglicana.

Admonetur à Rege vt pœnitentiā agat: ſed fruſtra.

Tertio morienti Regi recenſet terribilem viſionem.

Angeli apparent cum libello bonorum operū.

Ingens Dæmonum turba cum horrendo volumine, replet domum intrinſecus & extrinſecus.

In volumine illo exhibentur ei omnia peccata commiſſa legenda.

accipite, & in cumulum damnationis veſtræ ducite. Quo dicto, ſtatim diſparuerunt: Surgenteſq́; duo nequiſſimi Spiritus, habentes in manibus furcas, percuſſerunt me; vnus in capite, & alius in pede. Qui videlicet modò, cum magno tormento, irrepunt mea viſcera in interiora corporis mei, moxq́; ad inuicem peruenient, moriar, & paratis ad rapiendum me Dæmonibus, in Inferni clauſtra pertrahar. Sic loquebatur miſer, deſperans, & non multò poſt, defunctus, pœnitentiam, quam ad breue tempus, cum fructu veniæ, facere ſuperſedit, in æternum, ſine fructu, pœnis ſubditus, facit. De quo conſtat, quia (ſicut B. Papa Gregorius de quibuſdam ſcribit) non pro ſe iſta, cui non profuere, ſed pro alijs viderit, qui eius interitum cognoſcentes, differre tempus pœnitentiæ, dum vacat, timerent, ne improuiſo mortis articulo, præuenti, impœnitentes perirent. Quod autem codices diuerſos, per bonos ſiue malos, Spiritus, ſibi vidit offerri, ob id ſuperna diſpenſatione factum eſt, vt meminerimus, facta & cogitationes noſtras, non in ventum diffluere, ſed ad examen ſummi Iudicis cuncta ſeruari, & ſiue per amicos Angelos in fine nobis oſtendenda, ſiue per hoſtes. Quod verò prius candidum codicem protulerunt Angeli, deinde atrum Dæmones, illi perparuum, iſti enormem, animaduertendum eſt, quod in prima ætate bona aliqua fecit, quæ tamen vniuerſa praue agendo, iuuenis obnubilauit. Quod ſi è contrario errores pueritiæ corrigere in adoleſcentia, ac benefaciendo, à Dei oculis, abſcondere curaſſet, poſſet eorum numero ſociari, de quibus ait Pſalmus: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Hanc hiſtoriam ſicut à venerabili antiſtite Pecbtelmo didici, ſimpliciter, ob ſalutem legentium, ſiue audientium, narrandum eſſe, putaui. Hûc vſque verba venerabilis Bedæ. Veriſſimum itaque, quod S. Ambroſius atteſtatur: *Anima nunquam à Diabolo vinceretur, niſi prius ab eo, vitijs ſubigeretur: nam niſi quis porci more vixiſſet, nunquam in eum poteſtatem tantam, Diabolus accepiſſet; aut ſi accepiſſet, non vt perderet, ſed probaret.* Et S. Gregorius adſtipulatur: *Diabolus non adeò contra nos inualeſceret, in agone, niſi ei vires, ex vitijs noſtris præberemus.*

Deſperat.

S. Gregorij Papa, de eiuſmodi pœnitentia pro craſtinatoribus ſententia.

Cur diuerſi codices ei oſtenſi.

VI. Diabolus peccatis noſtris contra nos inualeſcit.

Hom. 3 ſuper Euangelia.

Li. 2 in Luc.

S. Anſelmus de Religioſo quodam ſui Ordinis Osberto refert, quod in articulo mortis tertiò grauem Dæmonis inſultum ſuſtinuerit, ſed Michaelis Archangeli præſidio ſemper defenſus. Primum erat de peccatis, quæ ante baptiſmum admiſerat (erat enim in adulta ætate baptizatus) ſed reſpondit Angelus ea omnia per Baptiſmum deleta eſſe. Secundum erat de ijs, quæ poſt Baptiſmum commiſerat, reſpondit autem Angelus, & hæc per religionis ingreſſum, abluta eſſe. Tertium erat de ijs, quæ poſt Religionis ingreſſum perpetrârat, ſed reſpondit iterum Angelus, ea partim per bona obedientiæ opera, partim per hanc ipſam ægritudinem, qua tenebatur deleta eſſe, atque hac ratione nihil vltra habens, quod obijceret, inimicus diſparuit.

Ecce

Digitized by Google

Ecce tibi, ô homo Chriſtiane, Latronem illum, immò ex orco Latronem Diabolum, qui non pecuniæ tuæ, ſed animæ tuæ inſidiatur. Hic in pugillares ſuos, refert omnia, quæ dicis, facis, cogitas. Si iuras aut blaſphemes verba, ſi laſciua loquaris, ſi fæda mediteris, cogitationes; ſi rem diuinam negligas, horas & quadrantes accuratiſſimè obſeruat. Quando demum peccato lethali te maculas, etiam momenta numerat, ac diem, donec momentum illud veniat, quo te inimicum Dei, exhæredem cæli, Diuorum hoſtem, in ſuum Regnum, caſu irreuocabili præcipitet. Per tuam itaque ſalutem, te exhortor, & aurem tibi, iam nunc, & omni deinceps temporis momento, vellico, tu quoque, ſi ſapis, numerare incipe, annos, quos in Diaboli ſeruitio conſumpſiſti, dies quos neglexiſti, horas quas perdidiſti: ſed & futuros dies horasq;, in numerum digere, ſi potes, cum nec ipſam, qua nunc viuis, horulam, à morte, & ab importuniſſima Sathanæ violentia, immunem habeas & ſecuram poſſideas. Hoſtis perniciei tuę ſemper inuigilat, ſalutē viciſſim tuam, ſaluam reddere, elabora.

Vos, ô ſancti Angeli, Cuſtodes, id veſtris, apud Deum, precibus, effectum date, in vltimo illo certamine, aduerſus rugientis inimici hoſtilitatem nobiſcum fideliter certate, vt victoria potiti, æternæ gloriæ laurea coronemur. Amen.

SERMO XXIV.

XI. Beneficium: Angeli ſancti, morientium Clientum animas, deducunt & comitantur in cælum.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat te in via, & introducat in locum quem preparaui. Exod. 23.

HAbent Reges & Principes, in Dominijs & Iuriſdictionibus ſuis, certos itinerum & viarum cuſtodes, qui vltrò citroque commeantes, itinerantesque Mercatores, aut alios, eorum Territoria tranſeuntes, ſiue negotiatores, ſiue viatores, in ſuam ſecuritatem recipiant, adeoq; ab omni latronum & prædonum iniuria, immunes traducant, & comitatu ſuo, omnem, à cuiuſcumque tranſeuntis, ceruicibus violentiā propulſent. Vnde ſi quis extra comitatus illorū tutelam, alia viarum diuerticula quærat, & à Regia ſemita deflectens, incitat in prædones, à quibus iniurijs plagiſq; affectus, bonis omnib' exuatur, & vulneratus, ac ſemiuiuus in via iacens, relinquatur, id ſuo proprio periculo feciſſe, dicetur, cum ſub comitatus præſidio, vnà cum alijs, citra

Digitized by Google

omnem prorſus iniuriam, iter ſuum conficere potuiſſet. Iter noſtrum, vti probè noſtis, dilecti, tendit ad patriam cæleſtem; quod vt eo certiori ſecuritate perageremus, Sanctorum Angelorum conductioni, atque comitatui optimus maximus Deus nos commendauit, *qui nos præcedant in via, & introducant in locum*, quem Diuina bonitas, nobis ab æterno *præparauit: Venite*, inquiens, *benedicti Patris mei, percipite Regnum, paratum vobis, à constitutione mundi.* Reſtat itaque, vt præſenti ſermone indagemus, quanta propenſione & alacritate, ſancti Angeli, deductionem illam, & comitatum exhibeant; quo nos ea, qua par eſt, erga ipſos obſeruantia, dignos reddamus, quibus hoc ipſum famulitium & obſequium, lubenti promptitudine, impendere dignentur.

Exod. 23. Matth. 25.

I. Conductus Angelorum in Patriam cæleſtem.

I. Summa Dei gratia quod Angeli nos in cælum comitentur.

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat te in via, & introducat in locum quem præparaui. Quis, obſecro, veſtrum, non ſummæ gratiæ loco reponeret, ſi Cæſar, Rex, aut Princeps à quo, ad Aulam vocatus eſſet, non ſolum proprium currum, ſed & præcipuos, totius Aulæ, officiales, conſiliarios intimos, & ſupremos Regiminis Præfectos, ei obuiam mitteret, à quibus, ad alloquium & præſentiam Principis, ſummo cũ ſplendore ac Maieſtate, conduceretur? Quod paucis, & non niſi ſummis Principibus ac Dynaſtis, in Cæſarum, Regum ac Principum aulis, exhiberi conſueuit, hoc benigniſſimus Deus, pauperrimis etiam mendiculis, & infimæ ſortis, homunculis, nullo vnquam tempore, denegauit: Quis, obſecro, erat Lazarus ille mendicus? Annon ante Diuitis Epulonis ianuam, ſqualore & ſordibus obrutus, iacens, & micas, de menſa opiparè lautiſſimeq; cænitantis, ad explendam, latrantis ſtomachi inanitatem, conſequi exoptans, voto non ſemel, ſed ſæpè ſæpius fruſtratus eſt? Annon fæculentis vlceribus ac puſtulis, toto inflammatus corpore, nullo prorſus alio fomento, nullo lenimine, à doloribus, ex parte aliqua, ſubleuabatur, niſi *canes vlcera eius linxiſſent?* annon ab omni humana ope deſtitutus, in fimeti putentis lectiſternio, decumbens, ſanie diffluebat, & quodammodo computreſcebat? Has eius, & longè plures miſerias, Euangeliſta Lucas ſignanter expreſſit: *Erat*, inquiens, *mendicus quidam, nomine, Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius*, diuitis Epulonis *vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa Diuitis, & nemo illi dabat: ſed & canes veniebant, & lingebant vlcera illius*, cum è contra *Diues indueretur purpura & byſſo, & quotidie ſplendidiſſimè epularetur.* Quo fine terminata eſt, huius felicitas & voluptas; & alterius miſeria & paupertas? Cataſtrophe admiranda. *Factum eſt*, inquit S. Lucas, *vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis, in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & Diues, & ſepultus eſt in inferno.* Impio Dæmones, iuſto Angeli ſancti cæleſtes, baiuli parentant.

1. Lazarus mendicus & Diues Epulo comparati. Luc. 16.

Luc. 16.

Cataſtrophe vtriuſque ſtatus.

Digitized by Google

tant. Et ſicut olim Prophetam,igneo curru per turbinem, veluti ſuis e- *2. Elias in cælum translatus.*
uectum manibus,in paradiſum terreſtrem,tranſtulerunt:Sic omnes eos,
qui ſe illorum amicitia & familiaritate , in hac vita, dignos reddiderunt, *4. Reg. 2.*
haud dubiè manibus ſuis,in paradiſum cæleſtem tranſportabunt. Quid
enim aliud Dominus Deus nobis promiſiſſet, cum dixit: *Ecce ego mittam* *Exod. 24.*
Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat te in locum,
quem præparaui? Et quid dubitas, modicæ fidei,viator?In exitu huius, &
ingreſſu alterius vitæ potiſsimum, *Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſto-* *Pſal. 90.*
diant te,in omnibus viis tuis:In manibus ſuis,tunc præcipuè, ſi vnquam vllo a-
lio tempore,*portabunt te,ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*, vt ingre-
diaris Sion,*vbi videbitur Deus Deorum,facie ad faciem,cum laude*, Angelicæ
hymnodiæ ,*gaudium* inſuper *& exultatio* , *ſuper caput tuum* cumulatim ef-
fundatur. Quis itaque munificentiſſimam illam, Diuinæ beneficentiæ,
promiſſionem,non exoſculatur, & animo gratanti ſuſcipiens, non im-
penſiſſimè diligat , non omni honoris & reuerentiæ obſequio , proſe-
quatur.

3. Angeli Paranymphi animarum noſtrarum ad nuptias caleſtes.

Habent carnales nuptiæ, ſuos paranymphos , qui ſponſas ſolenni
pompa, honoratiſſimoq́ cum comitatu, ad ſponſi thalamum, condu-
cant,& ad connubiale fædus præſentant: Vt *Virgines prudentes*, *quæ lam-*
pades ſuas,Diuinæ gratiæ,*oleo* affatim inſtruxerunt, cæleſti *ſponſo*, Dei Fi-
lio,beatifica viſione,copulentur,qui nam ſubſeruiunt Paranymphi? An- *Matth. 25.*
geli ſancti,quibus id vnicè cordi, vt animas, ab omni labe peccati ema- *Apoc. 21.*
culatas, in gaudia Domini ſui, conducant: *O quam beatus* , *qui ad cænam* *Luc. 12.*
nuptiarum Agni,non ſolum eſt *vocatus*,ſed reipſa, ſub Angelico comitatu,
in menſa Domini collocatur,vt manducet panem in Regno Dei. *Fidelis*
ſermo,& omni acceptione dignus: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te,*
& cuſtodiat te,in via,& introducat in locum, quem paraui.

II. Multa Exempla Angelici comitatus.

1. S. Pachomius. Lib. 1. de vitis Patrum c. 44.

Plenæ ſunt omnes hiſtoriæ,plenæ res geſtæ,& Commentaria de vi-
tis & Martyrijs Sanctorum,iſtius Angelicæ comitiuæ, vt quis integrum,
eiuſmodi Exemplorum,volumen,ſi vellet compilare valeret. De S Pa- *2. S Simeon Stylites Lib. 1. in eius vita.*
chomio,teſtatur S.Hieronymus,eum ab Angelo lucis , ad ſe cælitùs di-
recto,viſitatum, cuius conſpectu iucundiſsimo, ſic recreabatur, vt ſine
omni doloris ſenſu expirârit. S item Hieronymus ſcribit,cum S.Sime- *3. S. Paulus primus Eremita S. Hieron in vita S Antonij*
on Stylites,ex hac vita emigraturus eſſet,veniſſe & apparuiſſe Angelum,
qui eum ſolaretur. quin etiam cum aſtantibus loqueretur. Inter Ange-
lorum, Diuinum numen collaudantium, choros, inter Apoſtolorum &
Prophetarum cætus,Pauli animam,niueo candore fulgentem Antonius *4 S. Antonius. Athan. in eius vita.*
in cælos transferri conſpexit. Sanctum Antonium , non in vita ſolum,
Angelorum manibus,in cælum ſæpius ſublimem,exportatum, ſed & in

Digitized by Google

5. Ammonis animam vidit S. Antonius. morte, potiſſimùm, cantantibus pariter, & comitantibus ſanctis Angelis, in gaudia Domini, feliciſſimis auſpicijs, introductum, S. Athanaſius, luculentis verbis deſcribit. Et ipſe S. Antonius, Ammonis Abbatis obitum reſciuit, cum procul inde conſtitutus, animam eius, inter Angelorum cateruas, admirabili candore effulgeſcentem, & in cælum, contendentem, animaduertit. Sic Ruffinus narrat, cum Protocomes quidam, vir ſæcularis, moreretur, Animam eius viſam, aſſumi ab Angelis cantantibus: *Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, habitabit in atrijs tuis.* *In vitis Patrum lib.1. cap.32. 6. Quidam homo ſæcularis. Ruffin. lib.6. cap.16. Pſal.83.*

III. S. Hieronymus, inter Angelorum iubilantium Choros deſertur in cælum. S. Hieron. Epiſt. ad S. Auguſtin de obitu & miraculis S. Hieronymi inter Epiſt. S. Auguſtini 205. Marulus li.6.c.16. Plurima & prorſus admiranda, ſolenni Angelorum comitatui affinia, de S. Hieronymo Eccleſiæ Doctore maximo, refert S. Cyrillus, & ex illo alij complures: *Nam cum ſpiritum reddidiſſet, ſubita lux corpus eius exanime circumfulſit, viſi ſunt, & diuinas laudes concinere, auditi ſunt ſancti Angeli; Et Chriſti Domini vox inſonuit, quæ illum, ad poſſidendum cæleſte Regnum, inuitaret. Lux, cum ſpiritu, quem Angeli pſallentes, in cælum deducebant, euanuit, odor admirabili ſuauitati permixtus, cum corpore manſit. Eadem hora, immò etiam momento, S. Cyrillus Hieroſolymitanus, animam eius, Angelicis geſtatam manibus, cælum verſus tendere, conſpexit. Eodem die, ſanctiſſima illa anima, præſenti Angelorum multitudine ſtipata, miroq; fulgore irradiata, Hippone in Africa, ſe præſentem exhibuit & ſtitit S. Auguſtino. Turoni in Gallia, duo Monachi lucentem globum aëra tranſire, & inde ſuauiſſima, planeq; cæleſti melodia concinnentium Choros, audiri dum admirantur, ſancti Hieronymi Presbyteri defuncti animam, ſub eodem momento, ab Angelis, ad Paradiſi quietem, efferri, vt pro laboribus, quos in vita exhauſerat, condignè præmiaretur, apertiſſimè intellexerunt.* Et quid plura? tot de illo ſigna, tot miracula, tot Angelorum, beatiſſimo viro, præſtita obſequia, memorantur, vt mihi pleroſq;, apud Deum, Sanctos, merito & gloria præcedere, vel pauciſſimos habere pares, videatur.

IV. S. Martinus. In vita S. Ambroſius Paulinus Presbyter. Pari modo S. Ambroſius Mediolani, ſacris Altaribus adſtans, dum diuinis Myſterijs operaretur, & ſanctus Seuerinus Archiepiſcopus Colonienſis, dum vnà, cum Diacono, poſt Matutinas laudes, loca ſacra, precationis gratia, obiret, *audiuerunt, reipſa, & viderunt, ſanctos Angelos, cæleſtia demodulantes carmina, Deumque in ſeruo ſuo, collaudantes, Animam beatiſſimi Præſulis Martini, ex hac vita mortali, ad cæleſtia gaudia tranſportare.* Et meritò ſancti Angeli famulabantur, Martino, ad immortalitatem, alterius vitæ tranſituro, quem adhuc in terris mortalem, ſæpiſſimè inuiſebant, & in afflictionibus, cæleſti ſolatio recreabant. Eandem, ſolennis deductionis, animæ ſancti Martini ſolennitatem, Seuero Sulpitio teſte, Dominus Deus, cuidam religioſiſſimo viro in ſpiritu rapto oſtendit: *Vidit namque ſanctum Antiſtitem, niuea, candidiſſimaq; veſte amictum, vultu rutilo, radiantibus oculis, librum manu gerentem, & inter Angelorum ordines, incedentem,* *Seuer. Sulp. de tranſitu S. Martini.*

Digitized by Google

rem, perſonante vbiuis cæleſti melodia, ad gaudia Dei capeſſenda, per-honorifico comitatu deduci.

S.Simeonis Sali, quem vulgò pro ſtulto habebant, funus Angeli ſancti, licet inglorius ſepeliretur, cæleſtibus hymnis honorabant. Sanctæ Amelbergæ animam agenti, ſancti Angeli adſtiterunt, eamque corporis ergaſtulo liberatam, hymnologia cæleſti, in patriam vſque ſunt proſecuti. Sanctæ Margarithæ Virgini, Angelorum ſtipatus agminibus Cuſtos Angelus apparuit, eamque in cælum conduxit. Angelus S.Aichardo Gemeſienſi apparens, nunciat, eadem hora ſanctum Philibertum Abbatem, rebus humanis exemptum, ad regna cæleſtia, ſtipatum Angelorum Choris, traductum.

V. S. Simeon Salus. Leontius Epiſc. in vita. Sur. Tom. 4. 2. S. Amelberga Sur. in eius vita. 3. S. Margaretha. Sim. Metaphr. apud Surium. Tom 5. 4. S. Philibertus Abbas. Sur. in vita S Aichardi. Tom. 5.

Cum ſanctus Pater Benedictus, vt S.Gregorij verbis vtar, *quieſcentibus de nocte fratribus, inſtans Vigilijs, nocturnæ orationis tempora præuenisſet, ad feneſtram ſtans, & omnipotentem Deum deprecans, ſubitò intempeſta noctis hora reſpiciens, vidit fuſam lucem deſuper, cunctas noctis tenebras effugaſſe, tantoq́; ſplendore clareſcere, vt diem vinceret, lux illa, quæ in tenebris radiaſſet. Et mira res eſt ſecuta; Quia ſicut ipſe poſt narrauit, omnis etiam mundus, velut ſub vno ſolis radio, collectus, ante oculos eius adductus eſt. Cui venerabilis Pater, dum intentam oculorum aciem, in hoc ſplendore, coruſcæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Epiſcopi animam, in ſphæra ignea, ab Angelis in cælum ferri. Tunc tanti ſibi teſtem adhiberi volens miraculi, Seruandum Diaconum vocauit, qui & ipſe lucis huius partem vidit. Sequenti mane comperit eadem hora, S. Germanum Epiſcopum, è viuis exceſſiſſe.*

VI S Benedictus videt animam S. Germani per Angelos in cælum deportari. S. Greg li. 2. Dialog c 35. Bar. Tom 7. Ann. 520.

Quod idem S. Gregorius de S. Seruulo Paralytico, & mendico, recenſeat, notius eſt, quàm vt neceſſe ſit, ab ouo repetere, denuoque commemorare: *Studebat*, inquit S. Gregorius, *in dolore, ſemper Deo gratias agere, hymnis, & laudibus, diebus ac noctibus vacare. Sed cum iam tempus eſſet, vt tanta eius patientia remunerari debuiſſet, membrorum dolor, ad vitalia rediit. Cumq́; iam ſe morti proximum agnouit, peregrinos viros, atque in hoſpitalitate ſuſceptos, admonuit, vt ſurgerent, & cum eo, Pſalmos, pro expectatione exitus ſui, decantarent. Cumq́; cum eis, & ipſe moriens pſalleret, voces pſallentium repentè compeſcuit, cum terrore magni clamoris, dicens: Tacete; Nunquid non auditis, quantæ laudes reſonant in cælo? Cumque ad eaſdem laudes, quas intus audierat, aurem cordis intenderet, ſancta illa, anima, carne ſoluta eſt. Sed exeunte illa, tanta illic fragrantia odoris aſperſa eſt, vt omnes illi, qui aderant, ineſtimabili ſuauitate, replerentur, ita vt per hoc patenter agnoſcerent, quod eam Angelicæ laudes, quas audierant, in cælo ſuſcepiſſent. Ecce quo fine, ex hac vita emigrauit, qui flagella æquanimiter tolerauit.* Hæc omnia ſanctus Gregorius Magnus, ad verbum.

VII. Idem obſequium Angelorum habuit S. Seruulus. Lib. 4. Dial. ca 14. Hom. 14. in Euang.

Haud

VIII. S. Arnulphus. Bar. To. 11. Ann. 1087. Surius 25. Auguſt.

Haud paulò iucundiora, de S. Arnulpho Sueſſionenſi Epiſcopo, referuntur: *Cum enim extrema lethalis morbi ægritudine diuexaretur, noctis medio, cella in qua iacebat, mirabili tremore, & horribili fragore, tertiò concuſſa eſt, ita vt è fundamentis euerti videretur. Cumque qui apud eum excubabant, fugere vellent, vir Dei conſolans eos, hortabatur, vt ſe quieti darent, certè nihil incommodi paſſuros. Ait autem ad eum Euerolphus Presbyter: Domine mi, terra contremiſcit, cella colliditur, oſtium iam tertio, à me clauſum, pateſcit, turbarum murmure, locus circumſonat, & quomodo num, inter tot terrores, poſſumus ſomnum capere? Reſpondit vir Dei: Ne paueas dilecte frater, ſunt enim hæc omnia, Diuinæ Maieſtatis ſigna. Porrò, poſt paulum, dicam tibi, quæ vis cellam quaſſauerit, & hunc terræ motum, effecerit. Proximo inde Sabbatho, ſentiens mortem imminere, dixit fratribus: parate iam funeri neceſſaria, nunc ſub noctis initium, diſcedam, vt mihi Dominus, cui pro viribus ſeruire conatus ſum, heſterna nocte reuelauit, cum ille terræ motu, & aëris concuſſu, fragorem cellæ excitaret. Sub prima enim concuſſione, venit ad me S. Apoſtolus Petrus, ſignificans mihi, peccata mea eſſe remiſſa, & vitæ ianuam patere. Aderant beatorum & Angelorum frequens chorus, diuinas laudes, concinnè modulantium. Sub altera conquaſſatione, cum innumeris iterum Angelicis Spiritibus, S. Michael me inuiſit, pollicens, ſe Duce, me ad beatam vitam ingreſſurum. Tertia conquaſſatione, adfuit Domina noſtra, verè miſericordiæ Mater, Virgineis agminibus, & Angelorum Choris, cincta, benigniſſima voce, me certiorem efficiens, de anima mea, inter Aſſumptionis eius gaudia, per Angelos in cælum transferenda. Quæ cum protuliſſet, aliquantiſper ſe recolligens, lætitia geſtiens, inter Angelorum conſortia, ad patriam emigrauit.* Hæc ex Baronio, de feliciſſima S. Arnulphi, in patriam cæleſtem, profectione.

1. Sub primo terræ motu apparet ei S. Petrus cum Angelorū Choris. 2. Sub altero S. Michael cū Angelis. 3. Beatiſſima Virgo Angelorum Choris cincta.

IX. Angeli S. Dominicū gratulabundi ſuſcipiūt. Sur. Tom. 4. in vita S. Dominici. Marcus Marulus lib. 5.

S. Dominico, ex hac mortali vita emigrante, *Rhaoni, ex Ordine illius, apparuit cælum apertum, & deſcendentes Angeli, Dominicum gratulabundo ritu ſuſcipientes, ſublimem euehebant, quem cum Chriſtus Dominus, iocundo vultu exceptiſſet, benedictæ Matris ſuæ fauori & amplexibus illicò commendauit.* In obitu quoque S. Agili Resbacenſis Abbatis, Ado Monachus, *lætantium Angelorum cantus, audiuit, & ſancti viri animam, eorum manibus, ad cæleſtia regna, tranſportari conſpexit.*

X. Siſinandus, Anſelmus, Agon & VVilhelmus. In Chronico Hiſpaniæ ad Ann. 920. 2. S. Anſelmus & Agō. In eius vita.

Eodem modo, S Siſinando Epiſcopo Compoſtellano, ſenio confecto, teſte Ioanne Vaſæo, Angelorum cantantium voces auditæ ſunt: *Veni Electe Dei, veni & intra in gaudium Domini tui*: quorum euocatione, mira dulcedine repletus, illicò paruit, & anima corpore ſoluta, choris eorum iam inſerta, ad æternæ beatitudinis gaudia, pertranſiuit. Sic de S. Fulgentio, ſcribit Surius, *duos miri decoris & ornatus, lectos, per Angelos in cælum deportari eum conſpexiſſe, & quemdam ex illorum numero, lætabunda voce exclamaſſe: In hiſce duobus lectis, requieſcent duo magni Viri, Anſelmus Archie-*

Archiepiſcopus Cantuarienſis, & Agon Abbas Cluniacenſis, quos hodie, ob præclariſſima ipſorum merita, manibus noſtris, in cælum extollemus. Sic anima B. Wilhelmi Abbatis viſa eſt, Gomundo eius diſcipulo, à duobus Angelis in cælum transferri. Hûc pertinet, quod de B. Ioanne Canonico Regulari memoratur: Hic triduò ante mortem, ad quam ſe, quam accuratiſſimè diſpoſuerat, *ab Angelis viſitatus, & humaniſſimè conſolatus, incredibiliq; gaudio affectus, nihil magis quàm mortem habuit in exſpectatis.* Sanctus etiam Nicolaus Tolentinus, *ſex ante mortem menſibus, Angelicis concentibus, ad gaudia patriæ ſupernæ inuitatur*, qui tandem fideli Angelorum manuductione, auſpicatiſſimo euentu, eſt aſſumptus. Sic etiam in Vitis Patrum, memoratur, Iuuenis quidam, qui ſumma & admirabili patientia, Seni cuidam, intemperanti pariter & valde importuno ſeruierat, tempore diuturno. Hic enim ante obitum, *à ſanctis Angelis viſitari, & ad æterna gaudia, promeruit inuitari*, ad quæ tandem, condicto ab Angelo die, lætatus in his quæ dicta erant, ei, eſt aſſumptus. Guilielmus Abbas de S. Bernardo refert: *Famulus Dei, pernoctabat aliquando in oratione, in ſuo Claraualenſi Cænobio conſtitutus, & ſolita intentione Dominum deprecabatur. Contigit autem eadem hora, pauperem quendam, & verè pauperem, Spiritu, in cella hoſpitum mori, cuius Animam caſu, vocibus canoris, à ſanctis Angelis in cælum deferri, ſanctus Pater audiuit.*

Surius in eius vita. *XI. Ioannes Canonicus.* *Franciſcus Albertinus. lib. de Ang. Cuſt. cap. 11.* *2. S. Nicolaus Tolentinas.* *Sur. in vita.* *3. Iuuenis patientia inſignis.* *In libro doctrina Patrum.* *4. S. Bernardus Abbas. Vita S. Bernardi, lib. 4. cap. 3.*

Quod de ſancta Romula Virgine ſcribit S. Gregorius, hîc lubens appono: *Hæc paralyſi diſſoluta, cum ad vitæ finem peruenißet, admiranda luce, repentè circumfuſa eſt. Cuius lucis fulgore attoniti, qui & aßidebant, & expauefacti, magis etiam timuerunt, cum mox conuenientis illuc, turbæ ſtrepitum perſenſiſſent, & neminem viderent. Repreſſo dein ambulantium fragore, ſucceßit ſuauitas odoris, qui ibidem tamdiu permanſit, donec Romula ſpiritum emiſit: Tunc enim ante oſtium cellulæ eius, pſallentium Angelorum cantus auditi, haud dubium, quin ideò, vt palàm fieret, dignam fuiſſe animam illam, quam hinc abeuntem, Angeli exultantes, comitarentur, & cum tripudio, ad cælum perferrent, atque in illo, æterni ſponſi thalamo, feliciter collocarent.* De B. Hilda Abbatiſſa, narrat venerabilis Beda, *cum abſens à Monaſterio, ex hoc Mundo eſſet tranſitura, quædam ex ipſius Sororibus, Virgo Deo dedicata, vidit, apertis, vt ſibi videbatur, oculis, deiecto domus culmine, fuſam deſuper lucem, omnia repleuiſſe; cui luci, cum ſollicita intenderet, vidit animam Hildæ Dei famulæ, in ipſa luce, comitantibus ac ducentibus eam Angelis, ad cælum ferri, quamobrem Matris obitum, cunctis alijs ſororibus nunciauit, antequam reſciri poſſet, eam eſſe defunctam, cum locus mortis, tredecim millibus paſſuum, inde diſtaret.* In obitu quoque Catharinæ Manriquiæ, Virginis deuotiſſimæ, audita eſt Doxologia, Sanctorum Patrum Ambroſij & Auguſtini, à ſanctis Angelis decantari, vſque ad Verſum:

XII. S. Romula. lib. 4. Dial. cap. 15. *Angelorum pſallentium Chori.* *2. B. Hilda Abbatiſſa. Lib. 4. hiſt. Anglicanæ. cap. 23. Bar. Tom. 8.* *3. Catharina Manriquia. Franciſcus Albertinus. lib. de Angelo Cuſt. c. 11.*

Digitized by Google

Te ergò quæſumus tuis famulis ſubueni. Et id nemo è ſacris Virginibus, exequijs eius, præſentibus, non audiuit.

XIII. *Adoleſcens Scotus.*
Lib de bono Status Religioſi cap 31.

Iucundiſſimum, haud dubiè relatu & auditu, cenſendum, quod Hieronymus Platus de Adoleſcente, Religioſæ vitæ ſtatum ingreſſo, deſcribit, in hæc verba, longè digniſſima notatu: *Guilielmus Elſinſthonius, patria Scotus, ſanguine & ingenio & virtute admodum nobilis, cum pœnè adoleſcens, nondum integro menſe, poſtquam in Societatem noſtram admiſſus eſſet, in lethalem febrim incidiſſet, incredibilem ſemper alacritatem, & verbis, & vultu, & factis ipſis, præ ſe tulit, cum ſatiari non poſſet, Deo gratijs agendis, quod in Religione moreretur. Extremo autem fermè Spiritu, cum fratres, in cubiculum confeſtim introeuntes videret, in hanc ipſam vocem erupit: ô glorioſam mortem, tot Angelorum agminibus ſtipatam. Quin etiam, ingenti & inſolito elatus gaudio: Non videtis, inquit, non videtis Angelos? Simulq́; Angelum ſuum Cuſtodem compellans, aliquandiu cum eo, ita locutus eſt, quaſi eum oculis aſpiceret: à quo ſibi deinde denunciatum narrauit, ſe purgatorij quidem loca tranſiturum, ſed celerrimè euolaturum. Quærente autem quodam, ex aſtantibus, qua ſpecie & qua forma, is Angelus eſſet, Adoleſcentem quendam, qui tùm fortè aderat, indicauit, cui ſimillimum eſſe dixit. Mox etiam dulcedine quadam, mixtoq́; feruore, ita completa eſt eius anima, vt corpus ipſum, licet grauitate morbi, & mortis propinquitate fractum, aliquandiu, inſolitis motibus, ſuper lectulum quaſi exiliens, & geſtiens, agitaretur, cũ omniũ admiratione, qui nunquã ſimile aliquid viderant. Simul etiam oculos, retrò poſt ceruical, cũ magna quadã exultatione, reflectens, ac neſcio quæ, quæ à nullo percipi potuêre, ſubmurmurans, indicabat, ſe aliquid ibi ſpectare, quo maiorem in modum oblectaretur. Inter quæ gaudia, repentè conſiſtens, tanquam placidiſſimo ſomno conſopitus, Spiritum exhalauit.* Vtinam & nobis in extremo agone noſtro, vel aliqua ſimilis gratia, obtingat, & ſanctus Angelus Cuſtos, non ſolùm nobis præſentem ſe ſiſtat, ſed & re ipſa, ad cæleſtem illam, ac perennem patriam, ſecurè nos conducat.

XIV. *Aliorũ plurimorum Sanctorum Exempla.*
Marulus. lib. 6. cap. 16. 1. Martyrũ. 2. Confeſſorum.

Quid plura, de hoc ipſo argumento Exempla commemorando, tempus fallam? Legantur Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum, res omnes geſtæ, & innumerabilia prorſus occurrent: Sic etiam Animæ Sanctorum Martyrum, *Tiburtij, Valeriani, Maximi, Petri, Marcellini, Iuſtini, Paſtoris, Quintini & Seueri*, ad beatorum Regna perennia, comitantibus Angelis, peruenerunt: Sic *S. Leonis Papæ*, Amatoris, Anſiodorenſis, & plurimorum aliorum, *Onophrij & Paphuutij, Benedicti, Stephani, Ægidij, Spei, Abbatum*, & *Specioſi* Monachi, montis Caſſinæ, animæ, quo die corpora ſua reliquerunt, eo inter lætantium Angelorum, melos, ad Empyreum cælum, & iocundiſſimam Ciuitatem habitaculi Beatorum, viſæ

ſunt

Digitized by Google

ſunt eleuari, Deo volente, felicitatis, ad quam euocabantur, teſtimonium in terra reſidere, ne alios pigeret, eorum vitam imitari, quos beatos eſſe, tàm certo iudicio cognouiſſent, liberaliſſimo Domino, cuius gaudia lætantèr capeſſebant, promiſſionem ſuam largitèr adimplente: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat te in via, & introducat te in locum, quem præparaui.*

De adoleſcente infirmo, ordinem Sancti Patris Bernardi ingreſſo, memorat denique Cæſarius, qui *cum defunctus alius efferretur, & exequiæ illi celebrarentur, audiuit Angelorum choros, obſequia funeris agentium, & ſuauitate pſallentium mirificè delectatus eſt. Inſuper quidam ex ipſis, præſentialiter adſtiterunt ei, & allocuti ſunt, dicentes: Amice quid dicis? placet ne tibi hac vice venire ad nos? Et ille: Vehementer cupio ſolui & eſſe cum Chriſto. Et Angeli: Eſto ergò paratus, expletis præſentibus exequijs, ſtatim nobiſcum ibis. Ille porrò futurorum gaudiorum iam primitias præſentiens, lætus & hilaris rem pandit miniſtrantibus, iubens omnia ad funus ſuum præparari, & placidiſſimè in Domino obdormiuit.* O feliciſſimum ex hac vita tranſitum, Angelorum præſidio ſtipatum. O millies fortunatiſſimum illorum Dei ſeruorum ſtatum qui iam reipſa in gaudia Domini ſui ſunt recepti. Adelphius eius loci Epiſcopus, in quo S Ioannes Chryſoſtomus exul hanc vitam terminârat, ſcire deſiderabat quam nam in cælis coronam eſſet aſſecutus. Raptus itaque in ſpiritu vidit Beatorum inter Angelorum Choros, immenſam turbam quam dinumerare non poterat, quos inter, cum S. Ioannem Chryſoſtomum non videret, vehementer angebatur: Sed Angelus Domini apparens ei affirmauit, multò ſublimiorem eius eſſe gloriam, quam mortalis oculus intueri poſſit.

XV. Adoleſcens infirmus.

Cæſar lib. 11. cap. 5.

Verùm referte nobis, ô Angeli ſancti, & nos Clientulos veſtros, condocefacite, quonam medio, veſtram nobis amicitiam, & gratiam conciliabimus, vt quando vita hæc mortalis deſerenda, opera veſtra, ſimiliter in cælum euehamur, nec à Diaboli remora, in hoc itinere impediamur? Audite conſilium Angelorum, ex ore ſancti Apoſtoli Pauli: *Deponentes omne pondus, & circumſtans vos peccatum, per patientiam, currite ad propoſitum vobis certamen.* Grauia namque non aſcendunt ſurſum, ſed pondere ſuo tendunt deorſum. Qui plumbi talento, & peccatorum ſuorum ſarcina, deprimuntur, nequeunt à nobis ſublimes attolli: Qui ſuaui iugo Chriſti, & leuiſſimo oneri pœnitentiæ, colla ſua ſubdiderunt, illi ſunt, quos manibus noſtris portare, & veluti nutrices infantulos, baiulare, & in cælum ſublimare delectat.

XVI. Medium Angelicam deductionem impetrandi.

Hebr. 12.

Zach. 5.

Simile.

Eſai 40.
Pſal. 34.
Abijcite ergò, dilecti mei, abijcite, omnem peccati grauedinem, *aſſumite pennas vt aquilæ*, per Dei gratiam ſingularem, *fortitudinem* veſtram *mutate*, & cum Angelis, ad Diuinæ faciei contemplationem, abſque omni moleſtia, euolabitis, ibiq; perpetuò, apud vitæ perennis fontem, torrente voluptatis Diuinæ, potati, requieſcetis. Amen.

SERMO XXV.

XII. Alia complura circa & poſt mortem obſequia & beneficia hominibus præſtant Angeli ſancti.

Cum ipſo ſum in Tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Pſal. 90.

IS eſt humanæ amicitiæ terminus, vt *vſque ad aras*, μεχρὶ τοῦ βωμοῦ, non vltra, & præter aras, ſeſe extendat. Verum enim verò, Sanctorum Angelorum erga nos miſeros mortales, Amor & munificentia, *Plus vltra*, vt Caroli V. Symbolo vtamur, & extra vitæ huius mortalis limites, in longum latumque extrahitur ac dilatatur: Nec enim finitur, dum hæc vita mortalis abrumpitur; quin potius, nouis abinde incrementis, exaugeſcit, & beneficia beneficijs accumulando, magis magiſque inclareſcit. Id hoc ſermone, dum paucis explicatum damus, attendite, & Angelicam beneuolentiam vobis, quotidie magis magiſq; comparare ſtudete.

I. Curant funera Clientum.
I. Cur Angelus Domini Moyſen in valle Moab ſepeliuerit & ſepulchrũ eius Iudæis abſconderit? Deut. 34.
Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos, de medio iuſtorum. Vt in omni vita, quàm in hac miſeriarum valle, per varias calamitatum preſſuras, & clades, ægerrimè trahimus, Angelicis beneficijs, quodammodò obruimur; Sic iiſdem ex huius vitæ ſtadio excedentes, & viuere deſinentes, omninò ſepelimur. Cuius rei figura præceſſit, in veteri Teſtamento, cum Archangelus Michael, Domini Dei perſonam repræſentans, è monte Phaſga, omnem ei terram promiſſionis ſpectandam oſtendiſſet: *Hæc eſt terra, inquiens, pro qua iuraui Abraham Iſaac & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidiſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam. Mortuuſq; eſt ibi Moyſes, ſeruus Domini, in terra Moab, iubente Domino, & ſepeliuit eum in valle terræ Moab, contra Phogor, & non cognouit homo, ſepulchrum eius, vſque in hodiernum diem.* Cur hîc Angelus Domini, vicem ac locum Dei repræſentans Moyſen in ſolitudine Moabitica defunctum, terræ mandauit, & ne quis vnquam homo, ſepulchrum eius inueniret, ita ſollicitè occultauit? *Et non cognouit homo ſepulchrum eius, vſque in hodiernum diem.* Erat inprimis Angelo in votis,
1. Conſulebat Moyſis exiſtimationi
tùm Moyſis exiſtimationi, tùm honoris Diuini augmento, & conuerſationi,

tioni, rectè conſulere, & à populo Iſraelitico, omnem ſcandali & offenſionis petram, amouere. Nam cum populus ille, plus nimio ad Idololatriam propenderet, ita vt abſente, per aliquot dies, Moyſe, ex auro conflatilem vitulum, pro Deo ſuo, qui eos in manu forti, & brachio excelſo, ex Ægyptica ſeruitute eduxiſſet, Diuinis latriæ cultibus, adorarent, multò facilius ad Idolomaniam, erga corpus Moyſis, tanti Prophetæ deſiderio, induci potuiſſent. Vnde cum verſutus & callidus Dæmon, corpus Moyſis, Iudæis olim patefacere conaretur, Archangelus Michael, zelo ſalutis populi, & honoris Diuini ſtudio, flagrans, illi ſe validiſſimè oppoſuit, & hoſtis conatus diſturbauit, vt S. Iudas Apoſtolus, in Epiſtola ſua deſcribit: *Cum Michael Archangelus, cum Diabolo diſputans, altercaretur, de corpore Moyſi, non eſt auſus iudicium inferre blaſpemiæ*, id eſt Dæmonem blaſphemum eſſe, criminari, *ſed dixit: Imperet tibi Dominus.* Vnde ſingularis pariter Archangeli manſuetudo, & eius vigilantia, pro Clientibus, tutelæ ſuæ, à Deo, concreditis, luculentiſſimè innoteſcit. Et ſicut Archangelus Michael, Moyſen ante obitum ſuum, aſpectu terræ promiſſionis, exhilarauit; Sic Angelus Cuſtos, Clientes morituros, æternorum gaudiorum contemplatione, in ſpem erigit & ſolatur. Et quemadmodum Archangelus Michael, cum ſanctis Angelis, Moyſi iam defuncto, funeralia iuſta perſoluit; Sic etiam Angelus Cuſtos, Clienti ſuo, non rarò parentare conſueuit.

2. Amouebat occaſionem idololatriæ.

Exod 32.

In Epiſtola Iudæ Apoſtoli.

3. Quod Moyſi corporaliter præſtitit Archangelus Michael hoc ſpiritualiter præſtat Angelus Cuſtos ſuo Clienti.

Cuius rei præclaram hiſtoriam ſuppeditat, liber, de illuſtribus viris, Ordinis Ciſtercienſis, vbi cum S. Roberti, eiuſdem Ordinis primi fundatoris, diſcipulus quidam, ex hâc vita emigraturus eſſet, *vidit vir ſanctus, duos pulcherrimos adoleſcentes, Angelicis vultibus relucentes, qui Lilia, Roſas, & Violas, & diuerſi generis flores, in Choro Claraualleſi, copioſe ſpargebant. quos cum Dei famulus, rei cauſſam interrogaſſet, palàm ei dixerunt: Noui cuiuſdam ſancti feſtiuitatem, ibidem mox celebrandam iri. Et ecce illicò ſignum datur, quendam è fratribus, omni pietatis & virtutis genere conſpicuum, animam agere, & ex hac vita, ſine mora deceſſurum. Intellexit ergo vir ſanctus, hunc eſſe nouum illum, cæleſtis Regni conſortem, & inquilinum, cuius honori, florilegium illud cæleſte Angeli nuncupârant.*

II. Angeli cohoneſtant funus religioſi.

Li. de Exordi ordinis Ciſtercienſis. Et Ioannes de Aſſignies cōclaui. c. 29.

Et quod ſaluti noſtræ maximè proficuum, quandoque mox morituros, Clientes ſuos, vt à tentationibus Diaboli, tantò ſecuriores conſeruentur, modeſtè humaniterq; corripiunt, & ob humanas quoſdam fragilitates, ſine omni tamen amaritudine, taxant & reprehendunt: qua de re hiſtoriam dat ſanctus Cyprianus: *Cum quidam*, inquit, *Epiſcopus Carthaginenſis, de Collegis & Conſacerdotibus noſtris, iam infirmitate defeſſus, ſubtriſtior de appropinquante morte, ſollicitus, commeatum ſibi precaretur, aſtitit depre-*

III. Diſponunt ad benè moriendum.

S. Cypr. Ser. 4. de Mortalitate: Bar. Tom. 2. Ann. 265.

Reprehenditur ab Angelo non libenter hanc vitam deſerens.

canti, & iam penè morienti; iuuenis honore & Maieſtate venerabilis, ſtatura excelſus, & clarus aſpectu, & quem ſibi aßiſtentem vix poſſet humanus aſpectus, oculis carnalibus intueri, niſi quod talem videre poterat, de ſæculo receſſurus; Atque ille, ſine quadam animi & vocis indignatione infremuit, & dixit: Pati timetis, exire de corpore non vultis, quid faciam vobis? Erat hæc ſancti Angeli Cuſtodis, fraterna correctio, qua Clientem, valdè illibenter ex hac vita, ad immortalia illa bona, emigrantem, corripiebat, vt ad meliorem mentem rediret, quod & factum eſt, quando ſe totum, diuinæ voluntati conſignans, in pace quieuit.

II. Eripiunt quandoque à mortis faucibus.

I. S VVilfridus Archiepiſcopus. Lib. 5. hiſt. Anglican. cap. 20. Sur. in vita. Bar. Tom. 8. Ann. 705.

Quin etiam aliquando ab ipſiſmet mortis faucibus eripiunt morituros Angeli ſancti, quod de S. Wilfrido, Eboracenſi Archiepiſcopo, ad longum memorat venerabilis Beda, in hæc verba: *Cum ſanctus VVilfridus Archiepiſcopus Eboracenſis, Roma in Britanniam remeans, in Galliarum partes deueniſſet, tactus eſt infirmitate repentina, & ea creſcente, adeò preſſus, vt neque equo vehi poſſet, ſed manibus miniſtrorum portaretur in grabbatho. Sic delatus in Ciuitatem, Meldum, Galliæ. quatuor diebus ac noctibus, quaſi mortuus iacebat, habitu tamen & vultu penitus, quia viueret, demonſtrans. Cumquè ita ſine cibo & potu, ſine voce & auditu, quatriduo perſeueraret, quinta demum illuceſcente die, quaſi de graui experrectus ſomno, exurgens, reſedit, apertiſq; oculis, vidit iuxta ſe, choros pſallentium ſimul, & flentium fratrum, ac modicum ſuſpirans, interrogauit vbi eſſet Acca Presbyter? qui ſtatim vocatus, intrauit, & videns eum melius habentem, ac loqui iam valentem, gratias agit Deo, cum omnibus, qui aderant fratribus; Et cum parùm ſediſſent, ac de supernis iudicijs, loqui cæpiſſent, iuſſit cæteros Pontifex, ad horam egredi, & ad Accam Presbyterum ita loqui exorſus eſt: Viſio mihi modò tremenda apparuit, quam te audire, & tegere ſilentio volo, donec ſciam, quid de me fieri volet Deus. Adſtitit mihi quidam candido præclarus habitu, dicens ſe Michaelem eſſe Archangelum; Et ob hoc, inquit, miſſus ſum; vt te à mærore reuocem, & à morte ſeruem: Donauit enim tibi Deus vitam, per orationes & lachrymas diſcipulorum, & fratrum tuorum, & per interceßionem Beatißimæ Dei Genitricis, ſemper Virginis MARIÆ. Quapropter dico tibi, quia modò quidem ab infirmitate hac ſanaberis, ſed paratus eſto, quia poſt quadriennium reuertens, te viſitabo. In patriam verò perueniens, maximam poſſeßionum tuarum partem recipies, atque in pace tranquilla, vitam terminabis.* Iſta è Calamo & verbis venerabilis Bedæ.

Michael Archangelus ei apparet.

II. S Radegundi longiorem vitam vouent Angeli. Lib. de gloria SS. Confeſſorum. c. 106. Sur. Tom. 4. 13. Auguſt. Bar. Tom. 7. Ann. 590.

Et ſanè Angelos Tutelares non raròapud Deum inſtare, vt Clientibus ſuis, dummodò eorum ſaluti conſultum ſit, & expediat, vita prolongetur, eſt in confeſſo: cuius rei notabilem hiſtoriam dat nobis de ſancta Radegunde ſanctus Gregorius Turonenſis: *Serenißima*, inquit, *Regina, Radegundis, vbi vltimos vitæ limites attigit, ſanctum eius corpuſculum,*

longa

longa pro Chriſti amore ducens, Martyria, & multiplices perpeſſum cruciatus, omnes Sanctimoniales lugentes & flentes, eius lectulo aßiſtebant; eiulanteſq́, ac duris pugnis ac lapidibus pectora verberantes, voces ad cælum dabant, clamantes & dicentes: Domine ne permittas nos, tàm graui damno affici, lumen noſtrum tollis à nobis, cur nos in tenebris relinquis? Væ nobis quia peccauimus, afflictum & in nobis cor noſtrum. Flemus & plangimus, quod te diutius in vita noſtra habere non meruimus. Et eo ipſo mane, quo nobis tantum malum accidit, vna voce, vno puncto, vno clamore cælos penetrante, lapicidæ, qui in monte operabantur, in aëre audierunt Angelos loquentes: Et vnum quidem dicentem cæteris: Quid facitis? dimittite eam adhuc; hæ enim voces, ad aures noſtras pertingunt: Angeli verò, ad cælum eam ducentes, reſponderunt: Quid iterum faciemus? Eam iam Paradiſus recipit, vt cum Domino glorietur. Sic aliqui, ex ſanctis Tutelaribus Angelis, pupillarum ſororum, miſeriam ſuam deflentium, orbitati compatientes, ſanctæ Radegundi, longiorem vitam exoptabant; Illius verò proprij cuſtodes, eam ad cæleſtia gaudia, quantociùs perducere ſatagebant.

III. Conſolantur in purgatorio degentes.

Quod ſi accidat, vti frequentiſſimè fieri aſſolet, vt quis in gratia quidem Dei, cum vera contritione, de peccatis, hinc excedat, ſed tamen pœnas, peccatis debitas, necdum plenè exoluerit, huius animam, vti S. Thomas, Scotus, & alij docent Theologi, quam nequeunt Angeli adhuc in cælum euehere, cum eò *nihil* admittatur, *coinquinatum*, ad expiatoria loca, deducunt, Iuſtitiæ Diuinæ obtentu, & intuitu ſecuturi gaudij, paternè conſolantes, bono animo eſſe iubent, creberrimaſq́; viſitationes ſuas, & ſolicitudinē, vt quàm citiſſimè fieri poſſit, inde liberatæ, ad fontem vitæ admittantur, amiciſſimè promittunt. Quin etiam Angelus Cuſtos, de illarum liberatione, valdè ſollicitus eſt; ac proinde tàm per ſe, quàm per alios ſanctos, & Angelos, fidelium adhuc viuentium mentes, & eorum maximè, qui defuncto neceſſitudinis vinculo obſtringuntur, excitat, vt ei pijs operibus, & præſertim Miſſæ ſacrificio, auxilientur. Nā ſi iuxta Diui Thomæ ſententiam ac doctrinam, *Dæmones in purgatorio aßiſtunt, animabus, partim vt eas ipſas affligant, partim vt aſpectu tormentorū illorū, rabiem ſuam exaturent;* Annon etiā rationi conſentaneū, vt ab altera parte, iiſdē ſpectandos, ſeſe offerant Angeli ſancti, ac de cęleſtis coronę certitudine, gratulentur? Tūc verè illis gratias agentes, piæ illæ, piacularibus ignibus mancipatæ animę, poterunt reſpondere *Secundū multitudinem dolorum meorum,* ô Angele ſancte, *conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

I. Quid hac de re Theologi.

S. Thomas, in 4. Diſt. 21 q. 1. a. 1.

Scotus in. 4. Diſt. 41.

Apoc. 21.

Loco citato.

Pſal. 93.

II. Anima cuiuſdā Regis per Angelū è tormentis liberatur.

Cuius rei ſpecimen, nobis ſuppeditare poteſt, quod de viſionibus & reuelationibus ſanctæ Brigittæ, ſcribit Ludouicus Bloſius, Abbas Lætienſis: *Sancti quoquè Angeli, vt beata Mechtildis ait, animabus in purgatorio detentis, lumen cognitionis, ſubſidiumquè & ſolamen præſtant. Vnde S. Brigitta,*

Monil. Spiritualis. cap. 13. §. 2.

gitta, vidit animam cuiuſdam Regis, qui malè quidem vixerat, ſed in vltimo vitæ articulo, gratia Dei præuentus, ita apud ſe cogitauerat: Væ mihi, quia nimis audacter, ſemper offendi Creatorem meum. Vtinam mihi concederetur, ſaltem vna horula, in qua poſſem integrè conuerti, ad Dominum, & ei gratias agere, pro tot beneficijs collatis. Magis me angunt peccata, quæ contra Deum commiſi, quàm dolor, quem ſentio, in carne mea. Etiamſi nunquam ad cælum peruenturus eſſem, vellem tamen benigniſſimo Creatori, & Redemptori meo ſeruire. Hinc Chriſtus Iudex ait ad Diabolum, & Angelum, animæ Cuſtodem: Tu Diabole, turbabis hanc animam, ſed tu ô Angele meus, conſolaberis eam, donec ad claritatem gloriæ meæ, perducatur. Ipſi quoque animæ dixit: Tibi permittitur vt ad Angelum ſanctum reſpicias, & conſolationem ab eo recipias, ſisq́ particeps ſanguinis mei, & orationum Matris meæ, atque Eccleſiæ ſanctæ. Itaque Diabolus dicebat animæ, quam cruciaturus erat: Quia veniſti in manus meas, cibis, bonisq́ malè acquiſitis, plena, ego te nunc prælo meo, euacuabo. Tumq́ collocans caput Regis inter genua ſua, prælo ſimillima, ſtringebat illud fortiſſimè, donec tota medulla cerebri, in modum folij tenuis redderetur. Deinde iterum ait ad animam: Quia locus, vbi virtutes eſſe debuerunt, vacuus in te eſt, illum ego implebo, atque inferens quaſi fiſtulam follis, in os Regis, validè inſufflauit, adeò, vt venæ ac nerui Regis, fætido, horribilisq́ vento repleti, miſerabiliter rumperentur: Rurſum Diabolus dixit animæ: Quia in ſubditos, qui quaſi filij tui eſſe debuerunt, fuiſti immiſericors, & eos pupugiſti, brachia mea ſerpentibus ſimilia, conſtringent, laniabuntq́ te, acerbiſſimè. Cùm autem ipſe Diabolus iterans prædictas pœnas, vellet eas aggrauare, vidit Beata Brigitta, Angelum Dei, extendentem manum, & prohibentem, ne eas, ſicut prius, aggrauaret. Ad hunc modum, in quolibet pœnarum repetione, Angelus pœnas mitigabat. Anima verò poſt quamlibet pœnam, eleuabat oculos ad Angelum, nihil dicens, ſed geſtu ſuo indicans, ſe conſolatiouem ab eo accipere, ac citius fore liberandam. Hæc Ludouicus Bloſius, ex reuelationibus S. Brigittæ, ad longum.

Vera contritio morituri.

Horribilis, à Dæmone inflictus animæ cruciatus.

XI. Animæ in purgatorio non ſubduntur Diabolo ad libitum.

Lib. 1. c. 32.

Tametſi porrò non pauci Theologi ſentiant, nunquam permiſſurum optimum & iuſtiſſimum Deum, vt animæ, pœnis illis temporarijs addictæ, iurato & acerbiſſimo earum hoſti, Diabolo, caſtigandæ tradantur: Vnde ſummus quidam Theologus, apud Cæſarium, affirmabat: *Dæmones animam electam de corporis ergaſtulo egredientem, nunquam tangunt, ſed Angeli beati, eam ad purgatorium deferunt, ſi purgari neceſſe ſit: Non enim decet, vt Carbonarius purget aurum, ſed aurifex.* Id tamen ſic eſt accipiendum, quod non ſubdantur Diabolo ad libitum, & iuxta voluntatem ſuam, ſicut in gehennam damnata inferni mancipia, ſed tamen pro modulo, ac menſura iuſtitiæ Diuinæ, *quæ non permittit quempiam tentari ſupra id quod ferre poteſt.* Quinimmò, etiam in inferno, punit citra condignum, & in cælo præmiat vltra condignum.

Et eſto,

IV. Soluitur obiectio quod ſint in gratia Dei.

Et eſto, quod ſint in gratia Dei, animæ illæ, vnde non videantur Diabolicæ poteſtati ſubijciendæ amplius, cùm huius vitæ peregrinationem, iam terminârint: Id tamen, ad maiorem limitatæ potentiæ Dæmonis, confuſionem cedit, cum inuitus etiam, ad aſſecutionem. Regni Dei, & æternæ beatitudinis poſſeſſionem hominibus cooperari cogitur, vnde ille ab Archangelo Michaele, in profundum Tartari, fuit olim deiectus, & ineluctabili miſeria præcipitatus: Ioannes Cæſarius hiſtoriam refert ex ore cuiuſdam religioſiſſimi Sacerdotis, Einolphi nomine: *Qui cum adhuc puer eſſet, in domo Matertera ſuæ, infirmatus, ſacram communionem ſuſcepit, & cum ſe inungi peteret, quibuſdam diſſuadentibus, dilatum eſt, ſicq; ſine eodem ſacramento, expirauit. Adſuit & Angelus Domini, qui dixit: Malè actum eſt cum puero iſto, quia ſine ſacra vnctione obijt, & inunxit eum, iam tamen anima egrediente. Egreſſam verò, Diuino vultui præſentauit, quem puer, quaſi per velamen, contemplabatur, eiq; ſeuerus valdè videbatur. Et ecce illicò Dæmon adſuit, qui puerum, de furto, quod Germano ſuo, nummos aliquot furatus fuiſſet, de quo nunquam pœnitentiam egiſſet, ideoq; damnari eum poſtulabat; ſed reſtitit ei Angelus, Cuſtos, & orarunt pro anima eius, Viginti quatuòr Seniores, in circuitu ſedis Dei, & culpa quidem ei remiſſa eſt, ſed pro pœnitentia, in puteum igneum proiecta eſt, in quo tantam pœnam pertulit, vt poſtea nequiuerit verbis explicare. poſt horam ab Angelo extracta, Iudici præſentata eſt, cuius faciem tum amoto velamine, perſpicuè vidit, tantam familiaritatem, iucunditatem atque dulcedinem puero exhibentis, vt deoſculari potuiſſet, & cum ante culpam, in humana forma Chriſtum vidiſſet, poſt purgatorium, eundem in Diuinitate potuit contemplari. Iuxta quem vidit Glorioſiſſimam eius Genitricem, in ſolio ſplendido reſidentem, & in circuitu eorum, multitudinem Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, aliorumq; iuſtorum. Data tandem à Domino ſententia, anima corpori fuit reſtituta*. Hæc ille ipſe Einolphus Sacerdos, cui omnia & ſingula quæ contigerunt ſcriptori Cæſario enumerauit.

Apoc 14.

V. Einolphus puer ex hac vita euocatus.

Lib. 12. c. 57.

A Diabolo furti accuſatur, & reus agitur.

In ignem purgatorium deijcitur & poſt horam ab Angelo extrahitur.

Sur. Tom. 7. lib. 3 Eius vita cap. 3. Authore Ioan Brugmanno.

Solicitudinem porrò S. Angelorum, pro Clientum animabus, vt quàm citiſſimè è temporalibus, Piacularis Ignis cruciatibus, eripiantur, copioſe ſatis indicat hiſtoria, quam legimus, in vita S. Lydwinæ: Sacerdotem quendam, improbum, ac diſſolutum, Lydwina ad meliorem vitam traduxerat, pro quo, cum breui mortuus eſſet, valde erat ſolicita. Rogata itaque ab Angelo Sacerdotis Cuſtode, an illum videre, vel aliquid pro eo pati vellet? reſpondit optare ſe, ſi Deo placeat; deductaque primum eſt, ab eodem Angelo, ad inferorum loca, vbi diuerſiſſima pœnarum genera, gemitus, lachrymas, ſuſpiria, & clamores audiuit. Inde vlterius egreſſa, vidit Sacerdotis animam, ex puteo, ignibus pleno, qui illi ſingularis purgatorij locus fuerat, candentis inſtar ferri, educi, vt ipſa

præ metu exhorreſceret, fatereturquè, ſe omnia huius mundi tormenta, libenter perpeſſuram, ne ſimilem in poſterum timorem experiri cogeretur. Paucis poſt diebus, eiuſdem Sacerdotis, Angelus Cuſtos, Virgini apparens, ſignificauit, eum iam puteo exemptum, & in communem Purgatorij locum delatum eſſe, vbi per pœnas & afflictiones, quas Lydwina, pro ipſo offerebat, breui integrè purgatus, in cælum eſſet euolaturus, quod & factum eſt, dum candido & ſplendenti amictus habitu, comitantibus Angelis in gaudia Domini eſt aſſumptus. Hæc ſcriptor vitæ ſanctiſſimæ Virginis Lydwinæ, multis alterius reuelationibus & miraculis nobilitatæ.

Ecce quanta diligentia S. Angeli, pro defunctorum animabus, laborent, vt quàm citiſſimè à pœnis liberatæ, ad beatificam, faciei Diuinæ, viſionem, promoueantur. Supplicamus itaq; vobis, *ô ſancti Angeli*, vt nos tàm viuentes, quàm defunctos, eum in modum, Patrocinio veſtro, complectamini, ſic in ſinu beneficentiæ veſtræ foueatis, ne, quod abſit, in *terribiles* illas, *Dei viuentis manus incidamus*, ſed ab omni peccati labe defæcati, vbi animæ noſtræ corpora deſeruerint, ſine iuſtiſſima illa, pœnalis carceris detentione, ad æterna gaudia feliciter intromittantur. Amen.

Hebr. 10.

SERMO XXVI.

Vti Sanctorum Reliquias & Lipſana, honorant Angeli ſancti; ſic & animas pereuntium propemodum peccatorum, à ſua beneficentia, non excludunt; quin potius eam, vſquè in diem Iudicij, & in omnem æternitatem extendunt.

Exibunt Angeli, & ſeparabunt impios de medio iuſtorum. Matth. 19.

E Perenni fonte, quò plus bibitur & hauritur, eò plus à ſcaturigine ſuppeditatur, vt nunquam ad fundum valeat euacuari. Id nobis quoq; contingit, in S. Angeli Cuſtodis beneficijs delibandis: nam quò plura commemorauimus, tantò plura ſupereſſent recenſenda, ſi omnia & ſingula, ex amuſſim, deſcribere luberet. Nos hæc quatuor hac vice, paucis adductis hiſtorijs, obiter attingemus: Sanctorum corpora & reliquias honorant: Peribundorum etiã animas, non omninò deſerunt; In die iudicij Clientum ſuorũ cineres, colligunt; Pijs operibus noſtris, æternã remunerationem procurant. Veſtrũ nobis, ô S. Angeli, fauorẽ impendite, vt tàm ineffabilibus beneficijs in nos collatis, inducti, vos debita poſthac, dilectione, & veneratione ꝓſequamur.

I. Honorãt Reliquias.

Non ignoramus Dauidis atteſtationem, de ſeruorum Dei corporibus

bus & reliquijs Sanctorum, qui cum Chriſto regnant in cælis: *Cuſtodit* *Pſal. 33.*
Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur: Sed nemini in mentem
veniat dubitare, bonitatem Diuinam, ad hoc opus, vti miniſterio San-
ctorum Angelorum, id quod ex innumeris, Sanctorum geſtis, liquidum *1. Hiſtoria*
dari poſſet; E quibus nos, paucas duntaxat excerpemus: Sanctorũ Mar- *complures,*
tyrum Iuliani & Cæſarij corpora ex vndis extraxerunt, eaq; honorificen- *Iuliani*
tiſſimè ſepeliri curarũt. S. Othmari Abbatis corpus poſt mortẽ, vti Wall- *& Cæſarij. Sur. Tom 8.*
fridus Abbas Augienſis narrat, multis honoribus, ſunt proſecuti: *Nam* *2. S. Othma-*
multi, ex noſtris fratribus, inquit Wallfridus, *qui nocturnæ celebrationis vigi-* *ri. In vita S.*
lias, præuenire ſolebant, Oratorium S. Petri, in quo requieſcebat corpus, S. Viri, in- *Othmari.*
greſſi, cereos accenſos, vitreasq; lucernas, ſponte ſua incenſas, frequenter ſe ibidem inuenire affirmabant. Angelorum etiam, inter ſe choros ducentium, ſuauiſſimus ibi concentus, audiebatur, quorum præſentiam tanta luminis claritas proſecuta eſt, vt feneſtræ ipſius Eccleſiæ, maxima ſplendoris illuſtratione clareſcerent, locaq; in vicino poſita, ſui fulgoris immenſitate, perfunderent. Dulciſſima quoq; odoris fragrantia, ſæpius diſperſa eſſe, memoratur; Quibus omnibus, ſerui ſui meritum, Dominus decla- *3 S. Catha-*
rat. Catharinæ Virginis corpus, *in monte Sinai,* ſepulturæ honore, Angeli *rina. Simeon*
cohoneſtarunt. S. Agathæ corpus, poſt obitum Martyrium, *marmoreo ſe-* *Metaphr. in*
pulchro recondiderunt. Cum tempore Stephani Papæ Sexti, Romæ in *eius vita.*
cryptâ viæ Salernitanæ SS. Martyrum Chryſanthi & Dariæ, aliorumque *4. S. Agatha*
Martyrum, reliquiæ inuentæ, *ab ipſomet Stephano Pontifice colligerentur, non* *in eius vita.*
ſolùm ſuauiſſimus odor, omnes, qui aderant, reficiens, ſpirabat, verùm etiam Ange- *5. SS. Chry-ſanthi &*
licæ voces & Pſalmodiæ, Hymnizantium audiebantur, tantusq; ſplendor antrum *Dariæ.*
illud ſubterraneum impleuerat, quem mortalium oculi ferre non poſſent, quibus om- *Sur. in vita*
nibus, cæleſtes illi Spiritus, ſuam erga Sanctorũ corporum, obſeruantiã, conteſtantur. *eorundem Martyrum.*

Refert etiam S. Gregorius Magnus, & ex eo Baronius, de ſancto Mar- *S. Greg. li. 3.*
tyre Hermenegildo Regis Hiſpaniæ filio, quem parens Arrianus, in car- *Dial. cap. 31.*
cere necari iuſſerat, eò quod circa Paſcha communionem ab Arriano E- *Bar. Tom. 7.*
piſcopo recipere noluiſſet, *cum corpus eius in obſcuro loco, proiectũ iaceret, iuxta* *Ann. 584.*
illud tota nocte Lampades cælitus accenſas conſpectas & Angelorum cantantium *num. 5.*
choros, à quamplurimis auditos fuiſſe, Deo per Angelos, Exuuias & Lipſana
ſerui ſui honorant, quem parricidali odio inflammatus parens omni fu- *II. Conuerſio*
neris honore deſtitutum cupiebat. *Soldani Ico-*

Et illud memoratu digniſſimum cenſeo, quod Matthæus Paris, & *nij & ſepul-*
Robertus in Appendice Sigeberti, apud Baronium & Petrum Bleſen- *chrum Ma-*
ſem deſcribunt: *Iconij Soldanus à matre clàm Chriſtiano, Chriſti fidem edoctus,* *tris eius cru-*
ab Alexandro III. Pontifice, opera Sacerdotis, quem cum Apoſtolico diplomate, ad ip- *ce inſignitũ*
ſam direxerat, baptizatus, Chriſtianam Religionẽ, arctiſſimè complectebatur. Mater *ab Angelo defenſum.*
verò moriens, à filio petebat, vt ſupra ſepulchrũ ſuũ, altiſſimã Pyramidem extruens, *Bar. Tom 12 Ann 1169.*

 & in

Digitized by Google

Saraceni crucem deijcere tentant ſed fruſtra Angelus Domini crucem & ſepulchrum ſimul cohoneſtat.

& in eius ſummitate, pręgrandem crucem collocaret, quod ipſe de nocte, Saracenorum metu, effectum dedit. Sed ecce Saracenus quidam, crucem illam deijcere cupiens, repentè concidit mortuus, quod & alijs, idem tentantibus, euenit. Tertio die, cum multa Infidelium Agarenorum millia concurriſſent, vt ſaluificæ crucis ſignum, demolirentur, totamq́; molem diſturbarent, apparuit Angelus Domini, iuxta Crucem, ſolis inſtar ſplendentem, orta ſunt inſuper Tonitrua & fulgura, & Ignis è cœlo decidit, qui multa infidelium millia interemit. Reliqui ad fidem conuerſi, in Chriſtum crediderunt, Angelo Domini non ſolùm Crucem, ſed & fidelis illius Matronæ ſepulchrum, cæleſti honore condecorante.

III. Angelus tradit Reliquias S. Ioannis Baptiſtæ cuſtodiendas.

Tom. 14. Annal. Anno 1325. Ex Alfonſo Ciaccono in Ioanne. 22.

Quinimmò, vt Sanctorum quoque Lipſana, poſt mortem, honore debito, afficiantur, impenſiſſimè aduigilant Angeli ſancti, cuius rei euidentiſſimum Exemplum memorat Baronij continuator, Bzouius in hæc verba: *Perpiniani Angelus, vt creditur, peregrino habitu aſſumpto, Fratri Petro de Aluma, Ordinis Prædicatorum, viro probo & pio apparuit, ferens arculam ligneam, varijs elogijs, Græcis Emblematibus ornatam, in qua brachium ſiniſtrum, cum manu S. Ioannis Baptiſtæ, continebatur. Fingebat ſe Compoſtellam peregrinari, ad S. Iacobum, cum tamen eius, neque viui, neque mortui, licet diligentiſſimè conquiſiti, memoria reperiretur. hanc Arcam, vnà cum brachio & manu, Fratri Petro cuſtodiendam commiſit, quam ipſe poſtea, in Perpinianenſi Monaſterio, cuius erat familiæ, repoſuit. Cardinalis Albanus Apoſtolicus Legatus, certitudinem earum Reliquiarum igne volens experiri, proprijs oculis aſpexit, quod igni ſubiectæ, non fuerunt exuſtæ, neque aliqua ex parte læſæ. In eius rei teſtimonium, Ioannes, Summus Pontifex, literas dedit, cum etiam eadem ipſæ Reliquiæ, multis miraculis editis, veritatem comprobaſſent.* hæc ille. Ex his facilè coniecturam capiemus, ſi ſancti Angeli, tanto honore præueniunt, Sanctorum membra, & Exuuias, necdum ad glorioſam reſurrectionem, reformatas quantò ampliori benignitatis gratia, colent animas, illorum Choris inſertas, cæleſtiq; gloria, & viſionis beatificæ fruitione, iam exhilaratas? O iucundiſſimam Societatem: ô amicitiam, omnem humani amoris benignitatem, mille millibus paraſangis, tranſcendentem. *Concupiſcant animæ veſtræ, in atria Domini: Corda & caro* veſtra *exultent*, haud immeritò, *in Deum viuum*, vt beatiſſimam illam ſocietatem indipiſcantur.

Pſal. 83.

II. Animas iam iam peribundorũ vindicant ab æterna damnatione.

I. Euervvachus fit Diaboli mancipium.

Lib. 12. c. 23.

Ad alterum Sermonis noſtri caput, progrediamur; quod quamuis ex hactenus collatis, ſatis per ſe clarum ſit, ac manifeſtum, è vera tamen, & admirabili hiſtoria, quam Cæſarius deſcribit, lucem vberiorem indipiſcetur. Maioris fidei cauſſa ad longum do ipſius verba: *Theodoricus,* inquit, *Traiectenſis Epiſcopus, de caſtro Nürnberg oriundus, ſeruum quendam habebat Euervvach nomine, prouidum ſatis, qui in diuerſis locis, bona illius diſpenſauit; erat in commiſſo fidelis, in adminiſtratione vtilis, diligens ac circumſpectus, propter quod à Domino ſuo amabatur. Vnde quidam ex Officialibus, ei detrahentes, ex inuidia*

uidia accuſabant illum, apud Epiſcopum, dicentes: Domine, non fideliter, vt æſtimatis, Euervvachus; bona veſtra diſpenſat; conſulimus, vt cum eo computetis. Quod cum factum fuiſſet, tàm rationabiliter computauit, vt omnem Epiſcopo, tolleret ſuſpicionem; habebat enim omnia notata in chartula. Sciſcitantibus accuſatoribus de computatione, eum Epiſcopus reſpondiſſet: Optimè computauit; dixerunt illi: Nequaquam, ſed computet nobis audientibus, & conuincetur, maximum vobis damnum intuliſſe. Quod cum ei intimatum fuiſſet, ab Epiſcopo, ille timens æmulorum inſidias, maximè, quia chartulam perdiderat, ait intra ſe: Si aliquid modò, in computatione titubauero, neceſſe erit, me vel in corpore torqueri, vel carceris ſqualore, vſque ad mortem cruciari. Immiſsione igitur Diaboli, cuius inſtinctu ab inuidis indebitè vexabatur, campum ſolus intrauit, ipſumque Diabolum aduocans, ſic affatur dicens: Domine, ſi mihi ſuccurretis in tanta neceſsitate, poſito, homagium tibi faciam, & in omnibus parebo. Cui Diabolus reſpondit: Si abrenunciaueris Altiſsimo, Matriq; illius, te ſuſcipiam, & de omnibus periculis, cum multa tuorum confuſione, æmulorum, à me liberaberis. Quid plura? Abrenunciat miſerrimus Chriſto, homagium facit Diabolo, proſperè ſuccedit computatio. Ab illo tempore cœpit Diaboli virtutes magnificare, Chriſtum blaſphemare, adeò vt diceret: qui ſeruiunt Deo, miſeri ſunt & egent; qui autem ſperant in Diabolo, proſperis ſucceſsibus gaudent. Et, ſicut mihi retulit Bernardus monachus noſter, qui eum tunc temporis nouit, ita totus deditus erat, magicis artibus, vt ſi aliquem noſſet ſcholarem, eiuſdem diſciplinæ, nummis eum redimeret, vt aliquid ab eo diſcere poſſet. Qui cum vndecim annis in hac blaſphemia perſeueraſſet, accidit vt Magiſter Oliuerus Scholaſticus Colonienſis, in Epiſcopatu Traiectenſi Crucem prædicaret, cuius prædicationi ille in tantum reſtitit, vt die quadam commotus Oliuerus, diceret ei, in audientia totius populi: Tace infelix, vas enim Diaboli es, & Diabolus loquitur per os tuum, cum tamen ſtatum eius ignoraret. Euervvachus nullum arbitrans gratius obſequium, ſe poſſe præſtare Domino ſuo, quàm vt inimicum eius Occideret, tribus diebus, ad diuerſas ſtationes, ſecutus eſt magiſtrum, longo adhoc cultello præparato, transfodere illum proponens, ſi fortè ſinè turbis inueniretur. Et ecce, tertia die, ſubita infirmitate præoccupatus, poſt paucos dies impœnitens deceſsit, & defunctus eſt, & ab eo, cui ſe reddiderat, ad loca pœnarum inferni deductus eſt. Primo loco, ſicut ipſe reſurgens à mortuis confeſſus eſt, Ioanni Scholaſtico Xantenſi, à quo ego, quæ dicturus ſum, audiui, miſſus eſt in ignem, tàm intolerabilis ardoris, vt diceret, ſi ex omnibus mundi lignis, vnus ignis eſſet confectus, mallem in eo, vſque ad diem iudicij ardere, quàm per ſpacium vnius horæ, illum ſuſtinere. Ex quo extractus, iactatus eſt in locum tàm frigidiſsimum, vt optaret redire in ignem. Deinde deductus eſt, in tenebras palpabiles, tanti horroris, vt diceret intra ſe: Si ſeruiuiſſes centum annis Deo, benè te remuneraſſet, dummodò liceret tibi, redire ad frigus. In hunc modum, ſex reliquas pœnas quas ſcriptura enumerat pertranſiuit. Quò in extrema pœna po-

Abrenunciat Deo & Beatiſſimæ Virgini, totiq; cæleſti Curiæ.

Eius blaſphemia.

Homicidiũ Prædicatoris verbi Dei, meditatur, Infirmatur, moritur, & à Dæmonibus in infernum rapiatur.

Primò mittitur in ignem.

Secundo, in extremũ frigus.

Tertio in tenebras horribiles.

Digitized by Google

Angelus eũ compellat an ad corpus redire, ac pœnitentiam agere cupiat?

na poſito, Dominus opera eius priora conſiderans, & vt paſſa vel viſa, viuentibus recitaret, miſertus illius, Angelum ſuum miſit, ad eum, qui diceret: Ecce talem mercedem recipiunt, qui ſeruiunt Diabolo, ſubiunxitq́; Si tibi liceret, ad vitam redire, velles pro peccatis tuis ſatisfacere Deo? Ad quod verbum ille ſuſpirans, reſpondit: Domine, ſi hoc eſſet poßibile, nullam abrenuerem ſatisfactionem: Tunc Angelus; Domino placet, vt ad corpus redeas, & quia in Cruce peccaſti, per Crucem ſatisfacias.

Reuiuiſcens erigit ſe in feretro.

Mox ſe in feretro erigens, omnes, exceptis duobus iuuenibus, qui conſtantiores erant, in fugam conuertit, quibus & ait: Ne timeatis, quia ego ſum; ſtatimq́; Sacerdotem accerſens, peccata ſua confeſſus eſt, Crucem ſuſcepit, & cum Domino Ottone Epiſcopo, prædicti Theodorici Succeſſore, transfretauit.

Eius rigidiſſima pœnitentia.

In via ſingulis diebus, in pane & aqua ieiunauit, iuxta equum ſuum, in quo veſtis eius, & arma portabantur, nudis pedibus cucurrit, & cum petris ſecantibus, ſanguis perfluens, viam cruentaret, ſatis à confratribus arguebatur, quibus reſpondit: Maiora horum ſuſtinui. Qui cum penè omnia ſua in Chriſti ſeruitio expendiſſet, cum prædicto Epiſcopo, & Magiſtro Ioanne rediens, mare tranſiuit, de quo cum nauta naulam requireret, nec haberet, ait: Ego vobis ſeruiam, quoaduſque volueritis; ad petitionem tamen prædictorum virorum, dimiſſus eſt à nauclero.

Igne ſacro torquetur.

Qui cum reuerſus fuiſſet ad vxorem ſuam, ſacro igne tactus eſt, cui ardenti, quadam nocte in ſomnis dictum eſt, quia ſi ad Eccleſiam S. Nicolai accederet, ſtatim conualeſceret: vbi dum orans, quatuordecim orationes dixiſſet, nec conualuiſſet, deſperatus ait: Sancte Nicolae, quid moraris? Mox vt quintam decimam orationem incepit, perfectè integreq́; conualuit, & eſt vſque hodie calor ignis in eius corpore, ſine omni dolore.

Q. An paſſus ſit pœnas inferni, vel purgatorij? Caſarij ſententia.

Recenſita porrò ipſa hiſtoria, Cæſarius interrogat, num Euerwachus ille, cui hæc omnia contigerant, mediante Angelo Cuſtode, liberatus ſit, è purgatorio, vel inferno? Et ſibimet ipſe reſpondet: Non liberatum è purgatorio, *cum id locus ſit electorum, in quem nullus ingrediatur, niſi in Charitate deceſſerit, ſed ex inferno, cuius pœnas, nec dum lata, ſed Dei voluntate dilata, eius damnationis ſententia, ſit expertus.* Quod ſi obijciatur, *in inferno nulla eſt redemptio*; reſpondet; *De illis, intelligendum eſſe, quorum damnationis ſententia, iam eſt lata, nec vnquam poteſt retractari; his, nulla, etiam Angelorum, beneficia proſunt.* tandemq́ue concludit: *Vna eſt lex omnium contrariorum: Si Deus quorundam animas quandoq́; reuocat ad corpus, de gaudijs Paradiſi, quare non à ſimili malorum, animas de pœnis inferni?* Ecce tibi fidelitatem Angelicam, qua animas noſtras, beatiſſimi Spiritus illi, etiam in altera vita, proſequuntur.

III. Colligũt cineres reſurgentiũ in die iudicij.

I. Probatur è ſcripturis.

In 4. ſent. q. 21. q. 1.

Reſtat alius Angelicæ beneficentiæ, & quidem penultimus actus, quem homini mortuo poſſunt exhibere: Nã atteſtante Saluatore, Chriſto, in die Iudicij non ſolum *exibunt Angeli, & ſeparabunt malos* & impios, *de medio iuſtorum*, verum etiam, vti S. Thomas tradit, *colligent Clientum ſuo-*

rum

Digitized by Google

rum cineres,& ad futuram corporum reſurrectionem diſponent. Hoc ipſum Angelorum beneficium, collectionem cinerum eorum quos cuſtodierunt,& corporum etiam diſpoſitionem, ad reſurrectionē glorioſam, quin etiam deductionem in vallem Ioſaphat, Eſaias Propheta, ſatis clarè indicauit, cū dixit: *Adducent fratres veſtros de cunctis gentibus, in equis & quadrigis, & in lecticis, ad montem ſanctum meum*, ad montem Oliueti, vbi Dei filius, *ſupremus Iudex*, in cælum aſcendit, iuxta quem eſt vallis, Ioſaphat. in qua viui & mortui, ante tribunal eius apparebunt, dicente Ioële Propheta: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallē Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi.* Fiet hæc congregatio in Equis, in quadrigis & lecticis, miniſterio Sanctorū Angelorum, affirmante S. Hieronymo: *Diuerſi generis vehicula, miniſteria intelliguntur Angelica.* Nec id illis factu impoſſibile, cum omnes creaturæ corporales, Angelorum imperio, per motū localē ſubijciantur. *Eſai. 66.* *Ioel. 3.* *In cap. 66. Eſaia.*

Quis deniquc referet? quis ſufficienter explicabit, quanta benignitate, quàm gratulabunda iucunditate, quàm amabili amplexu, S. Angeli, Clientes ſuos, cum corpore & anima, glorioſè reſurgentes, ſint excepturi? Non ſolùm *ſeparabunt malos, de medio iuſtorum*, ſed & iuſtos ineffabili lætitia perfuſos, ex omnibus terræ partibus, in vallem Ioſaphat comitabuntur, vt exoptatiſſimum illud, *venite benedicti Patris mei, percipite paratū vobis, à conſtitutione mundi*, ineffabili mentis dulcedine, audiant, ſed inter oues ad dextram annumerati, & Angelorum & Sanctorum ſodalitijs inſerti, gaudia æternæ beatitudinis, perpetuò poſſidenda capeſſant. Et hic eſt admirabilis circulus Angelicæ cuſtodiæ, incipiens ab vtero matris, nō niſi in iudicij extremi die, finem ſortiturus. Quaſnam itaq; grates, tàm fido tutori, ac defenſori, vnquam rependemus? Fateor, tot eius beneficijs nunquam erimus ſoluendo, etiam ſi omnem vitam noſtram, eorum in obſequijs, expendamus. *II. Qua gratulatione excepturi ſint Clientes iuſtos in gloria reſurgentes.*

Sed necdum finis Angelicæ beneficentiæ; vlterius ea, in omnē æternitatē noſtram, ſeſe extendit: Habent locupletiſſimi Mercatores & Negotiatores ſuos Notarios & computiſtas,& Actuarios, qui minimas etiam expenſas,& accepta, ſollicitè annotent, vt ſingula Dominis ſuis, tempore commodo, data occaſione, multiplex lucrum importent. *Simile eſt Regnū cælorū, homini negotiatori*, talenta ſua, à Deo concredita, vtiliter expendere cupiēti. Quis eius *ſcriba Rationarius*, qui lucris quotidianis, ne quid inutiliter pereat, ſoletti vigilātia ſemp intēdit? Eſt *Angelus Cuſtos*, q minutiſſima etiā bona opera tua, diligentiſſimè annotat, vt tibi in cęlo, ęternū lucrum reponat. Hoc tibi memorabili hiſtoria, verbis Hieremię Drexelij ꝓbatū faxo. Narrat *Pelagius Diaconus, è Græco, q mirificè roboret firmetq; patientiam, in rebus omnibus: In horrēti, vaſtaq; ſolitudine, habitabat cælo notiſſimus ſenex, & q* IV. Annotant opera noſtra vt procurent præmia. *I. Actuarÿ & Notarÿ noſtri.* *Matt. 13.* *Pelagius Diaconus. Libello 7. num. 31.*

Dei

R. P. Hieremias Drexelius in elegantiſſimo horologij Angeli Cuſtodis. Hora vndecima noctis.

Vir ſanctus procul degens à fonte.

Dei cauſſa, plurima iam didiciſſet, & FACERE & PATI. Domus illius, magnam partem cœlum fuit, cubile terra, ſomnus vigiliæ, cibus ieiunium, colloquia ſilentium, caſula palatium, ſuſtentandæ vitæ, deficiebant illi pleraque omnia, maximè tamen aqua, elementum publici quidem vſus, ſed non vbiuis locorum, adeundum. Ergò ſi quando ſiti mederi voluit, extremè prius fatigari debuit, ad fontem, quaſi in mercatum proficiſci, ad emendum Falernum: neque ante aquam bibit, quam viam longam deuorauit. Hoc illi ſitim pretioſam valdè, immò & exoſam faciebat, maluiſſetq; eſurire bis terue, quam vel ſemel ſitire, nam ita extra omnem aquæ viciniam habitabat, vt quoties hydriam ſuam implere voluit, milliare prius integrum, pedibus emetiri debuerit; neque tamen recentem & frigidam vnquam bibebat, niſi continuò illic bibiſſet, vbi fontem reperiſſet. Hæc virum cælitibus charum, ſæpius turbarunt, atque ad indignationem etiam, concitârunt. Fuit, vt aſſueto iam calle, ad notum ſibi fonticulum, inſtar ſitientis cerui, properaret. pedibus alas addebat, non timor, ſed ſitis, at via nonnihil vltra dimidiam decurſa, fauces arere, lingua faucibus hærere, vox aſperari, brachia languere, pedes ſuccumbere, anhelitus deficere, corpus pænè totum corruere, & ſolo aſterni. Itaque fracto iam planè & fatigato greſſu incedebat, meditationi, quàm antè, aptior, multa igitur ſecum diſputare, partes in omnes verſare animum, ita demum ſecum ipſe confabulari cæpit: Et quis tandem, inquit, potum tibi feret, cum te non ferent pedes amplius? Et hæc immortalem te eſſe, neque vnquam morbo tentandum, quæ tamen hæc pene quotidiana cum tanta laßitudine excurſio? vt taceam diſpendium temporis, quo interim legere, meditari, precari commodius poſſem, dum ego toties, tàm laborioſè, tantum itineris conficio. Cui Creticum ſuum tantò ſtat pretio, quantò mea mihi aqua? quam me per æſtatem æſtus frangit, per hyemem frigus eneruat? Et cuius hic duret patientia, in tantis tamq; aßiduis moleſtijs? ignoſce mihi, mi Deus, non poſſum non indignari, & iraſci habitationi meæ, tàm incommodæ. Sed an nihil conſilij eſt, quo riuulum mihi, aut ſalientem aquulam, viciniorem efficiam? ſemper ne tot mille paſſuum decurram, vt bibam? profectò huius vini cella, nimium à me diſſita eſt. quid ſi ego illi fierem vicinior? illa certè mihi non poteſt, neq; enim nouo alueo, ad me deriuatus fons curret. ita prorſus, ita agam: ſedem ego meam migrabo, & iuxta ſcaturientes latices, domicilium mihi figam: ita demum compendium reperero, immenſi laboris, quid neceſſe eſt, ita quotidie fatigari? Et ô me infelicem, aut incogitantem, qui non pridem in hoc conſilium inierim. Vix hæc effatus, cum à tergo, leuißimum inſequentis ſtrepitum aduertit, & reſpicit in ipſo ambulationis motu, videtq; iuuenem ſequi, qui omnes, quotquot ipſe paſſus faceret, accuratè numeraret; ad quem illicò ſenex: heus tu, inquit, quod feſſo ſeni, tacitum conuitium facis; vt omnia veſtigia mea, paſſusq; in digitos mittas? non ſumus inceſſu pares, vt olim, cum & mihi virerent genua; deſine hoc ludibrium. Ne ſæui, ait Angelus, quem ipſe iuuenem credebat, ne ſæui, mi optime ſenex, cælo miſſus ſum, vt paſſus omnes, &

Videt Angelum ſe ſequentem, & paſſus ſuos numerantē.

ſingulos

ſingulos numerarem, quotquot facis ad fonticulum illum; ſimul & præmia in numerum cogerem. pro his vel ſingulis paſsibus, ſed olim, ſed in cælo rependenda. Dixit & ex oculis ſe ſubduxit. Cum Eremicola cæleſti hoc affatu attonitus, in terram atq; in preces funditur, & ô mi Deus exclamat, quæ tua hæc bonitas, in ſeruulum viliſſimum? ego ne impatiens ille, & iracundus, ego deſes ille, & ceſſator famulus, tanto tibi vendam pretio veſtigia vel ſingula? ignoſce, ô mi Conditor, huic & iracundiæ, & impatientiæ meæ. Sit venia fatuo prorſus conſilio, reuoco & damno, quod cogitaui, & quod dixi. tuguriolum meum magis à fonte inpoſterum diſtabit, quàm hactenus, vt cum vita, creſcat patientia. Atque vt verbis manum adderet, mox ad demoliendam ſuam caſam ſeſe accinxit, illamque dimidio inſuper milliari, à fonte remotam, denuò excitauit, vt ita plus paſſuum numeraret Angelus, plus præmiorum redderet Deus.

Angeli notant omnia bona opera noſtra.

Et te, mi homo, quiſquis es, tuus ſemper Angelus inſequitur, nunquam à te abit, omnem inceſſum tuum, paſſusq; ſingulos, ad numerum reuocat, paſſus tantum? cogitatus etiam, vel latentiſsimos, verba omnia, facta omnia, minima, maxima, in numerato habet. En quàm fidum tu habeas amanuenſem? quidquid agas, actiones ille omnes numerat, precaris tu? voces ille vel ſingulas dinumerat: ſtipem erogas? numerat obolos: flagellis te caſtigas? numerat verbera: ieiuniis te maceras? numerat abſtinentias, & omnes bolos, quibus genium fraudas: de ſomno quid ſubtrahis? numerat vigilias: Cupidinem Veneremq; vincis? numerat victorias: carnem cilicio domas? numerat horas: animum meditatione pia inſtruis? hic vel puncta horæ numerat: mentem confeſsione purgas? hic ille dies numerat: legis, demum, ſcribis, laboras? nec hic ille ſuum numerandi munus negligit: modò tu Deo laudando legas, ſcribas, labores.

Exhortatio S. Bernardi. Serm. de Angelis.

Simus itaque grati tàm eximiis Benefactoribus, ſimus deuoti, tantis cuſtodibus, alloquor vos S Bernardi verbis, redamemus eos, quantùm poſſumus, quantùm debemus affectuosè, tanquam futuros aliquando, cohæredes. Et quoties grauiſsima cernitur, vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca Cuſtodem tuum, directorem tuum, adiutorem tuum, in oportunitatibus tuis In tribulatione verò, neq; dormitat, neq; etiamſi quandoq; diſsimulet, ad tempus, tandem tamen exurget, & ſedata tempeſtate, tranquillitatem reducet, nec à benefaciendo tibi deſiſtet, donec in cælo, te inter Angelica conſortia, videat collocatum.

Hæc ſors, per ſacratiſsimorum Chriſti vulnerum merita, ô Angeli ſancti, opitulatu veſtro, nobis omnibus & ſingulis, obtingat, vt vnà vobiſcum, Diuinam bonitatem perpetuò collaudemus. Amen.

SERMO XXVII.

Amicitia & familiaritas, cum ſanctis Angelis, ineunda.

Quam mercedem dabimus ei, (Angelo Cuſtodi) *aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius*? Tob. 12.

CVM illis libenter conuerſamur, & eorum familiaritatem atq; neceſſitudinem ſollicitè ambimus, à quibus non ſolùm redamari, verùm etiam mille beneficijs quotidie exornari, ſperamus. Quàm feruenti amore, ſancti Angeli, nos proſequantur, quot nobis officia præſtent, quæ obſequia, & ſeruitia nobis, tàm in corporeis, quàm ſpiritualibus beneficijs, quotidie, vſque dum in cælum aſſumamur, exhibeant, ſatis vtique ſufficienter huc vſque exiſtimo declaratum. Nunc verò cauſſas diſquiremus, ob quas ſancti Angeli, potiſſimum redamandi? quænam cum illis familiaritas ineunda? quomodo deniq; conſeruanda? & vſque ad vitæ finem, ne extinguatur, fomentanda? Quæ dum è Dei verbo explicata dare, ſatagimus, dignemini, ô Angeli ſancti, cæleſti gratia, nobis opem ferre; Et vos dilecti mei Auditores, patulas & purgatas cordium veſtrorum aures, reſerate, vt fructum ex hac dictione hauriatis.

I. Familiaritas & amicitia cum S. Angelis. Si familiaritatis & amicitiæ fundamentum, beneficentia conſtituatur, neſcio ſanè à quò, poſt Deum, & Glorioſiſſimam, *Hominum & Angelorum Reginam*, copioſiora, maiorisq; ponderis atq; momenti, beneficia cõſequi valeamus. Sicut enim Angelus Domini flammeo inſtructus gladio, primos parentes noſtros, ab ingreſſu terreſtris Paradiſi, diſpeſcuit, ne de ligno vitæ ſumentes, immortales facti, in huius vitæ miſerijs & ærumnis perpetuò viuere cogerentur, quę infelicitas, in nos quoq; redundatura fuiſſet: Sic dubium nõ eſt vllum, S. Angelum, mille malorum occaſiones, à nobis quotidie propulſare. Sicut Angelus Domini, haud parũ dulci violentia, Abraham Patriarchæ brachium eſt remoratus, ne filium, quem vnicè diligebat, iam ſtricto gladio feriret & in holocauſtum, Domino mactaret: *Ne extendas*, inquiens, *manum ſuper puerum*: in cuius facinoris memoriam, eodem in loco, creditur ædificatum fuiſſe poſtea, Templum Hieroſolymitanum: Sic Angelus Domini millies quotidie manus noſtras, à malo retrahit, & effectum dat, vt ad bonũ applicentur. Quemadmodum vnus, ex illis Angelis, qui vaſtationem Sodomæ Abrahamo prædixerunt, & ad Loth diuerterũt, præcipuè deſtinatus fuit, ad liberandum Loth, ab illo excidio generali, vnde vi quodammodò compulſum, fecit abitum ſuum, maturare, & ſe cum ſuis, in Segor ſaluare: Sic Angelus Do-

1. Beneficia Angelica è ſcripturis. Gen. 4.

Gen. 22.

Gen. 19.

Digitized by Google

Domini, ad noſtram deputatus cuſtodiam, à mille periculis, quotidie, ignorantes præſeruat. Sicut Angelus Iſraelitici populi Ductor, nocte, in columna ignea apparens, copioſum lumen filijs Iſraël diffudit, è contra *Exod. 14.* verò, Ægyptios terruit: Sic Angelus Cuſtos, Clientes ſuos, cæleſtibus inſtruit, & illuminat diſciplinis, & hoſtium ſenſus, & cogitationes obnubilat, & confundit, ne ſuis domeſticis, vſpiam valeant nocere.

Quid Angeli duo, in duabus Propitiatorij extremitatibus conſiſtentes, indicabant? Angelos omnes, natura ſua procliues eſſe, vt Deum nobis clementem ac propitium reddant, ne nos ob peccata noſtra, promeritis pœnis afficiat, & caſtiget. Quid Angelus Ezechieli Prophetæ apparens, veſtitus lineis, cũ inſtrumento ſcriptorio, dicente ſcriptura: *Vir vnus in medio illorum*, qui portabant vaſa interfectionis, quibus occiderant in peccatis obſtinatos & impœnitentes, *veſtitus erat lineis, & atramentarium ſcriptoris, ad renes eius?* audi quod res eſt: Et dixit Dominus ad eum: *Tranſi per mediam Ciuitatem, in medio Hieruſalem, & ſigna Thau, ſuper frontes virorum gementium & dolentiũ, ſuper cunctis abominationibus ſuis, quæ fiunt in medio eius.* Vt inde cognoſcamus, nîl magis eſſe cordi S. Angelis, quã vt de peccatis noſtris, contrito corde igemiſcentes, applicato nobis merito, paſſionis & vulnerum Chriſti, ab æterno interitu præſeruemur. Quid Angelus Ioanni apparens, cuius caput Iride circumfuſum, quod eſt Symbolum pacis, tibiæ verò igneis columnis aſſimilabantur? Indicabat Angelos id vnicè ignea ſua Charitate allaborare, vt pacẽ cũ Domino, & conſcientia noſtra nanciſcẽtes Diuino Numini, *in ſanctitate & iuſtitia, corã ipſo ſeruiamus.* Quid Angelus Ioanni denuò apparens, & Euangelium in manu ſua oſtendens? ſignificabat Angelos ſanctos libentiſſimè, dummodò per ipſos ſtet, nobis læta nuncia cælitus afferre: Et licet aliquando iuſſu Diuino peccantes gladio Diuinæ iuſtitiæ, punire cogantur, ſicut Rex Dauid videbat Angelum *euaginato gladio ſeptuaginta millia de populo cædentem*, donec illo pœnitentiam agente, & culpam ſuam agnoſcente, Dominus præciperet: *Sufficit nunc, contine manum tuam*; Nihil tamen aliud quærunt, quàm vt homines ad Deum conuerſi, reſipiſcant.

II. Alia ſcripturæ Exempla. Exod. 25. Ezech. 9. Apoc. 10. Luc. 1. Apoc. 14. 2. Reg. 24.

Sic memorat è Baronio Franciſcus Albertinus, An. 1601. in Anglia ſuper Altari, viſum fuiſſe forma viſibili Angelũ, euaginatũ gladium vibrantem, atq; cæſim punctimq; intententem, quo extremam Angliæ ruinam interminaretur, quã reuera modò præ oculis cernimus, dũ tot hæreſibus ibidem, impunè graſſantibus, tot Diuina flagella, quotidie propemodũ immiſſa, excæcati homines, vix agnoſcãt. Placata nihilominus iracundia Diuina, ſanctus Angelus gladium ſuum libentiſſimè recondet in vagina. Sic vidit S. Gregorius Magnus, vnà cum toto Romano populo, ſub

III. Angelus minatur ruinam Angliæ. Lib. de Angelo Cuſtode. cap. 19. Bar. Tom. 1.

 publi-

IV. Angelus gladium in vagina reponit. Carolus Sigonius, de Regno Italiæ. Baronius. Platina in vita S. Gregorij.

publicis Litanijs, Angelum Domini, in Mole Adriani Cæſaris, ſtrictum, ſanguineque madidum enſem in vagina reponentem, vt palàm omnes intelligerent, ſæuiſſimam Luem, quæ totam Italiam populabatur, deinceps ceſſaturum: idque reipſa perdocuit euentus. Ex his omnibus facilè conſtat, quanti æſtimandus ſit Angelicus fauor, & amicitia, quantoperè cauendum, ne tanti benefactores noſtri, aliqua in re, à nobis offendantur. *Quid enim dignum poterit eſſe beneficijs eius?*

V. Angelus offenſus quomodo placandus. Iudic. 13.

Si porrò, aiet quis, *Angelus Cuſtos meus, quacunq; culpa mea, abs me fuerit offenſus, quonam medio, eum iterum placabo?* Veſtigijs Manue, & vxoris eius inſiſte, qui apparenti ſibi Angelo, ſacrificium obtulerunt: *Ac deinde cognito quod Angelus eſſet, pleni pauore, in terram proni corruerunt: & dixit Manue vxori ſuæ: Moriemur, quia vidimus Dominum*, id eſt Angelum, hunc enim, nec immeritò Dominum ſuum nuncupabant: reſpondit autem ſagaciſſima mulier: *Si nos vellet occidere, de manibus noſtris, holocauſta & libamina, non ſuſcepiſſet.* Si ergò læſum fortaſſis, Angelum tuum Cuſtodem placare cupis, ad Altare confugiens, ſacrificium in honore ipſius Deo offer: quin erige ei proprium altare, in Templo cordis tui, in quo quotidie, non vnum, ſed plures deuotionis, & ſanctarum orationum hoſtiæ, conſecrentur. *Quid enim dignum poterit eſſe beneficijs eius?*

II. Modi quibus familiaritas cum S. Angelis ineunda.

I. Conſilium S. Bernardi Serm. 1. de Angelis.

Sed eſt ne conſultum quærere, & ambire familiaritatem S. Angeli Cuſtodis? Annon homines inter, nimia familiaritas parit contemptum? Aliud eſt de familiaritate hominis, cum Angelo Tutelari, nam iſta parit fiduciam & confidentiam, vt tantò cordatius, in omni neceſſitate, ad ipſum confugiamus: Hanc ſuaſit S. Bernardus: *Habetote familiares Angelos, fratres mei, & frequentate eos ſedula cogitatione & deuota oratione, quia ſemper nobis adſunt, ad cuſtodiam & conſolationem.* Et rurſum: *Vt ampliorem*, inquit, *de cætero, erga beatos Angelos, fiduciam habeatis, familiarius, in omni neceſſitate veſtra eorum auxilium inuocetis.* Sed noſſe auetis, qualis nam familiaritas hæc eſſe debeat? *Si tàm neceſſariam*, inquit S. Bernardus, *habeamus familiaritatem, dignationis Angelicæ, cauenda nobis eſt, eorum offenſa, & in his maximè exercendum, quibus eos nouimus oblectari. Sunt enim plurima, quæ illis placent, & quæ in nobis inuenire delectat, vt eſt Sobrietas, Caſtitas. Attamen, ſuper hæc omnia, vnitatem & pacem, à nobis exigunt, Angeli pacis.* Hæc ex conſilio ſancti Bernardi.

II. Exercitium familiaritatis.

Exercetur porrò familiaritas iſta, *primò*; Quando plures Angeli Cuſtodes, in vnum coëunt, quod accidit, quando noſtrum aliquis cum pluribus hominibus tractat, & conuerſatur. Tunc enim requiritur, vt vnuſquiſque ſe gerat, tanquam Aulicus coram Domino ſuo, ex alijs ſibi aſſiſtentibus optimatibus, *humiliter*, inquam, *& modeſtè*: Specialis deinde

reue-

Digitized by Google

reuerentia exhibenda eſt, Angelis, conſodalium noſtrorum, nam affirmante Chriſto: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*: Rurſum cum Angelo agimus, quando oramus, & cum Deo tractamus, tunc enim Mediatoris inſtar, cauſſam noſtram promouent, vt Raphael Tobiæ aſſeuerabat: *Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Proinde, quotieſcunque beneficium aliquod, à Deo expoſcimus, ad Angelum conuertamur, humiliter obſecrantes, vt noſtras Deo preces, diligentiſſimè præſentet, & interceſſione ſua, interpoſita, illud impetret, quod indignitas noſtra non præſumit: Qua de cauſſa, *vigilanter & deuotè*, orationibus, & diuinis laudibus vacandum, ne oſcitantia noſtra, ſanctis Angelis faſtidium & nauſeam creemus. *Doleo*, inquit S. Bernardus, *aliquos veſtrum, graui in ſacris vigilijs deprimi ſomno, nec cæli ciues revereri, ſed in præſentia Principum, tanquam mortuos apparere, cum veſtra ipſi alacritate, permoti, veſtris intereſſe ſolennijs, delectentur, vereor ne veſtram deſidiam, quandoquè abominantes, cum indignatione recedant. Et vnuſquiſq; veſtrum, ſero cum gemitu, incipiat dicere Deo: longè feciſti notos meos à me, poſuerunt me in abominationem ſibi. Elongaſti à me amicum & proximum, & notos meos à miſeria*: Item: *Qui iuxta me orant, de longè ſteterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam. Pro certo enim, ſi ſe à nobis boni Spiritus elongauerint, impetus malignorum ſpirituum, quis ſuſtinebit? Dico ergò ijs, qui eiuſmodi ſunt: Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Dicit quoque non ego, ſed Dominus. Vtinam te calidum aut frigidum inueniſſem, ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Quapropter attendite Principes veſtros, cum ſtatis ad orandum vel pſallendum: ſtate cum reuerentia & diſciplina, & gloriamini, quia Angeli veſtri quotidie vident faciem Patris, nimirum miſſi in miniſterium, propter nos, qui hæreditatem capimus ſalutis, deuotionem noſtram, in ſuperna ferunt, referunt gratiam. Vſurpemus officium, quorum ſortimur conſortium, vt in ore infantium & lactentium, laus Dei perficiatur. Dicamus eis, pſallite Deo noſtro, pſallite. Laudem ergò cum cæli cantoribus, in commune dicentes, vtpote ciues Sanctorum, & Domeſtici Dei, pſallite ſapienter*: Et hæc eſt S. Bernardi ad longum, deprompta exhortatio, qua nobis Sanctorum Angelorum reuerentiam inculcat.

Matt. 18.

Tobiæ 12.

Serm. 3. in Cantica.

Vt porrò vbiuis paſſim, decet ſanctos Angelos honorare, id tamen vel maximè condecet, vt fiat in Templis, Deo ſacratis, quæ præcipuorum Angelorum cuſtodiæ peculiariter deputantur. Conſtat etiam ex varijs hiſtorijs, omnia Deo conſecrata Altaria, peculiari Angelorum tutelæ, eſſe commendata. Vnde Apoſtoli mandato, Mulieres capita ſua in templis velare, oportebat, propter reuerentiam Sanctorum Angelorum, Templis & Aris præſidentium. Sic refert Sophronius, Eremitam quendam ingreſſum ſpeluncam Barnabæ Abbatis, vidiſſe ſuper Altare,

III. In templis præcipuè venerandi Angeli ſancti.

1. Cor. 11.

In prato ſpirituali.

Franciſcus Albertinus. lib. de Angelo Cuſtode cap 20.
Ibidem. & Concil. Nican. Actor. 4.

quod ipſe Barnabas conſecrauerat, Angelum; Qui rogatus quid nam eo in loco ſibi vellet? reſpondit: *Præſentem locum, ex quo conſecratus erat, cuſtodiæ ſuæ, à Deo fuiſſe commendatum*: Sic Abbas Leontius, die Dominico Eccleſiam ingrediens, Angelum erecto corpore, ſupra dextram Altaris partem, ſtantem conſpexit, vocemq; audiuit: *Altare illud, ab hora conſecrationis, commiſſum protectioni Angeli, qui in eo apparuiſſet.* Vnde æſtimatu facilè, quanta reuerentia in Eccleſijs, corã tot Angelis, ibi præſentibus, conuerſandum: reuera enim *nihil dignum poterit eſſe beneficijs, illorum*, quæ ab eorum, inſigni erga nos amore, poſſumus ſperare.

III. Duplicis reſpectus Angelicta duplex modus familiaritatis.

Obſeruandum autem præcipuè, ſi cum Angelo noſtro Cuſtode, Sanctus Angelicta quædam & familiaris conſuetudo, ſit ineunda, vt ſoli cum ſolo colloquamur, id duplici reſpectu fieri poſſe: *Primò*, ſi Angelum Diuinæ veluti *Iuſtitiæ & vltionis miniſtrum*, humili cum reuerentia ſuſpiciamus: *Secundò*, ſi eum, vt amabilem miſericordiæ Diuinæ Diſpenſatorem, ſpe & fiducia pleni, agnoſcamus.

I. Vt miniſter Diuinæ Iuſtitiæ.
Serm. 12. in Pſalmum. Qui habitat.
Hom. 3. in Epiſt. ad Coloſſenſes

Quænam itaque conditiones familiaritatis requiruntur, vt Angelum, tanquam Diuinæ iuſtitiæ miniſtrum reuereamur? Cauendum inprimis, ne eius præſentia, ad indecentiã aliquam te effundas; Vnde S. Bernardus: *In quouis angulo, in quouis diuerſorio, Angelo tuo reuerentiam habe, ne audeas illo præſente, quod vidente me, non auderes.* Et ſicut puer non audet inciuilitatem aliquam exercere coràm Pædagogo ſuo; Ita nec tu coràm oculis Angeli ſancti: Vnde S. Ioannes Chryſoſtomus: *Angelum habet vnuſquiſque credentium. Si ergò Angelum habemus, ſobrij ſimus, tanquam ſi pædagogi quidam nobis adeſſent.* Deinde in corde tuo, velut in honorem Angeli tui, eriges altare, gratiarum actionis, vt ita dicam, & omnia, quæ ab illo te accepiſſe beneficia, agnoſcis, quoties hora ſonat, aut certè aliàs, interdiu ſæpius, debita, gratæ mentis affectione, in ipſum Benefactorem, Angelum, cogitationem reflecte, quo fiet, vt conſuetum, benefaciendi, morem, nunquam abrumpat. Cuius rei, perilluſtre nobis Exemplũ, generoſiſſimus Heros Ioſue, olim dictauit: Cum enim Angelus Domini, priuſquam Hiericho deſtrueret, viſibiliter apparens, opem ſe laturum, polliceretur, ille beneficij magnitudine ſuperatus, in terram ſe proſtrauit, cæleſtemq; Spiritum, tanquam Dei perſonam, repræſentantem adorans, omnia quæ ſibi imperarentur, præſtare promiſit: *Cecidit Ioſue pronus in terram, & adorans, ait: Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum?* Nec hoc ipſo contentus Angelus, ſed vlterius, in reuerentiæ ſignũ, præcepit: *Solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt*; quia ibi Angelica dignitas, ſeſe obtulerat ſpectandam. *Tertiò* deniq; cauebis Angelum tuum offendere, cauebis, inquam, tantò vigilantiori ſolicitudine,

Ioſue 5.

quantò

Digitized by Google

quantò facilius cõtra puritatem, & continuam eius munificentiam peccatur. Et hanc venerationem nobis inculcat S. Bernardus, hiſcè verbis: *Penſate quanta etiam nobis ſollicitudo opus eſt, vt dignos nos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo conuerſemur in conſpectu Angelorum, ne fortè ſanctos offendamus obtutus: Væ enim nobis, ſi quando Angeli prouocati peccatis & negligentijs noſtris, indignos nos iudicauerint, præſentia & viſitatione ſua, vt iam neceſſe habeamus, cum Propheta plangere & dicere: Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt, & qui iuxta me erant, de longè ſteterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam, elongatis nimirum eis, quorum præſentia protegere, & propulſare poterat inimicum.* Et hoc modo venerandus eſt, Angelus Cuſtos, vt *Diuinæ Iuſtitiæ miniſter.* Sic Angelum ſuum Cuſtodem, vt Diuinæ Iuſtitiæ miniſtrum, venerabatur, vnus ex illis, duodecim Patribus Anachoretis, qui in colloquio ſpirituali, quotidianas ſuas meditationes, quaſi ſymbola conferebant; quorum decimus: *Ego*, aiebat, *Angelum meum, mihi aßiſtentem quotidie ſpecto; Et cuſtodio memetipſum, quod ſcriptum eſt, reminiſcens: Prouidebam Dominum, in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. Timeo igitur, Angelum, vt cuſtodientem vias meas, & quotidie aſcendentem ad Deum, & inſinuantem actus meos, & verba.* Fac tu ſimiliter, & benè tibi erit, ab Angelo Cuſtode. *Quid enim dignum poterit eſſe beneficijs eius?*

Serm. 1 de Angelis.

In vitis Patrum, lib 7. cap 44. apud Heribertum Roſvveidum.

Quid denique requiritur, vt familiaritatem cum Angelo Cuſtode, tanquam *Miniſtro Diuinæ miſericordiæ*, ineamus? Suppono inprimis pro fundamento, huiuſcè familiaritatis, Amorem Angeli ſancti: Et hic naſcitur primò, ex pulchritudine Angelica, quæ quàm eximia ſit, ex eo facilè colligetur, quod Moyſes, vt S. Ioannes Chryſoſtomus & S. Thomas arbitrantur, eam noluerit in Geneſi explicare, ne Populus Iudaicus, alioquin procliuis ad Idololatriam, & adorationem iſtius Creaturæ, degeneraret. Oritur deinde, ex Angelica bonitate, quandoquidem ipſi Deo ſemper placuerunt, & ne leuiſſima quidem præuaricationis macula, illis vnquam adhæſit. Ex incorruptibilibus tandē eorum beneficijs & varijs emolumentis, originem ducit hic Amor, vnde S. Auguſt. *Angeli ambulant nobiſcũ in omnibus vijs noſtris, intrant & exeũt nobiſcũ, attentè conſiderantes, quã piè, quamq́; honeſtè conuerſemur:* Familiaris itaq́;, cum Angelo conuerſatio, huic amori ſuperſtructa, quatuor hiſcè conditionibus exornatur: *Prima* eſt, vt *ſit verecunda*, propter peccata præterita, & fortaſſis etiam futura: *Altera* eſt, vt ſit doloroſa propter offenſam illius Maieſtatem: hoc enim poſtulat partim debitum amicitiæ, quam cum illo contraximus, vnde ſe nobis Comitem ac Ducem præbet; partim Lex Iuſtitiæ, quia nos multis muneribus cumulauit; partim denique Chriſtiana pietas, quia

II. Familiaritas cum Angelo, vt Miniſtro Diuinæ miſericordiæ.

1 Eius fundamentum Amor.

Soliloq c. 7.

2. Quatuor conditiones familiaritatis in hoc amore fundata.

non

non ſecus ac Pater & Mater profuit nobis: *Tertia* Conditio, vt familiaritas iſta, cum ſancta quadam confuſione, ac pudore coniuncta ſit, qui ex eo naſcitur, quod vitiorum excæcati tenebris, nec venuſtatem aut nobilitatem Angelicam, nec ſplendorem beneuolentiæ, nec lucem Charitatis aduertimus, & tàm magnifica illius præmia, & promiſſa, minoris æquo æſtimemus. *Quarta* tandem & penultima conditio ſit, *ſubmiſſio quædam*, qua te Angelicæ correctioni ſubijcis, ſi fortè beneficia ab illo præſtita, non recognoſcas, & obſerues. Per ſæpè enim, violenta quodammodò manu, ad bonum te attrahunt; vt cum Loth è Sodomis exire recuſantem, coëgiſſe dicuntur: *Et diſsimulante illo, apprehenderunt manum eius, eduxeruntq; illum, & poſuerunt extra ciuitatem, ibiq; locuti ſunt: Salua animam tuam, noli reſpicere poſt tergum.* Vltimò tandem opus eſt, vt tua erga Angelum ſanctum *gratitudo*, tantò ſit feruentior, quantò ſublimior eſt, Angeli perſona, à quo beneficia illa promanant, quæ reſpectu hominis recipientis, omnis vtpote vanitatis, & vilitatis ſentinæ, in ſacris paginis, à Spiritu ſancto, Altitudo cæli, appellatur. Et quid ni *dignitas benefacientis pluris, quàm ipſum beneficium æſtimetur?* Scipio Africanus, confecto cum hoſtibus bello, partaq; victoria, cum ſpolia diuideret, gregario cuidam militi, qui infracta animi magnitudine, in hoſtem irruerat, & rem ſuam egregiè fortiterq; geſſerat, per quendam à ſeruis ſuis, incredibilem auri ſummam tradi iuſsit: At miles aurum omne, quaſi vile munus, in terram, indignabundus proiecit. Eius generoſitatem cum Scipio intellexiſſet, ad ſe vocatum, argenteo monili donauit: Qui ſibi abundè ſatisfactum, arbitratus, quod ab ipſomet Duce, inſigne illud militare accepiſſet, argenteum torquem, non magni precij, pluris, quàm ingentem auri maſſam, æſtimauit. Vnde meritò, cum iuniore Tobia dicemus: *Quam mercedem dabimus Angelo noſtro Cuſtodi? aut quid dignum eſſe poterit beneficijs eius?* Nec enim poſsibile eſt, vt tanto Benefactori, condignam viciſsitudinem reponamus.

Gen. 19.

II. Plutarchus in Parallelis.

III. S Onophrius Eremita

S. Hieron. in vita S Onophrij.

Hanc certè, cum Angelo ſuo Cuſtode familiaritatem, & amicitiam, exercebat S. Onophrius Eremita, teſte S. Paphnutio, qui id ex ore eius excepit: *Sanctus Angelus Domini*, inquit, *quotidie panem mihi offert, & aquam, vt corpus meum confortetur, ne deficiat, ſed iugiter in laude Dei perſeueret. Omni die Dominico vel Sabbatho, Angelum Domini paratum inuenio ſacroſanctum Domini corpus, & ſanguinem ſecum deferentem, de cuius manu, mihi precioſiſsima donantur munera, vitæq; meæ ſalus perpetua. Quin etiam, omnes, qui hunc Eremum incolunt, tanti boni ab Angelo participes, efficiuntur. Et ſi quis fortaſſè hominum, cæleſtia videre deſideret, illicò in cælum ab Angelo deportantur; viſionem illic animæ iuſtorum, ſicut ſol fulgentium in Regno Patris eorum, ibi multitudinem contemplan-*

Digitized by Google

templantur Angelorum, ſuaſq; animas, mixtas choris beatorum. Verùm audite, quemnam fructum, ex hac Angelorum familiaritate, S. Onophrius reportârit: Subdit ibidem S. Paphnutius: *Cum mihi vir Sanctus benedixiſſet, protegant te,* inquiens, *Angeli ſancti, & conſeruent te Angeli eius, vt purus inueniaris in die examinis ſupremi. Poſt hæc ſurrexit, & ad Dominum lachrymans genua flexit, orans; In manus tuas Deus, commendo Spiritum meum. Et ecce lumen ſplendidum corpus eius obumbrauit, & in claritate luminis, anima ſancta, à carne ſoluta eſt. Repentè verò, vocem Sanctorum Angelorum audiuit, laudantium Deum in ſeruo ſuo, Onophrio, æthera quoque Angelicis canticis reſonantia, gaudium ineffabile aſtris intulerunt, per quæ cæleſtes exercitus, animam militis incly ti, cælis inuexerunt.* O verè beatam, cum ſanctis Angelis amicitiam, quæ tali fine in hac vita terminatur, longè arctiori neceſſitudine, in cælo reflorituram.

Fructus familiaritatis cũ Angelis.

De ſancto Martino Turonenſi Præſule, teſtatur Seuerus Sulpitius: *Conſtat ab eo Angelos, plerumq; viſos, ita vt conſerto inuicem, apud eum colloquio, familiariq; ſermone loquerentur.* Ex hac ipſa familiaritate conſecutus eſt, vt non ſolùm ſanctus Seuerinus Epiſcopus Colonienſis, ſed & S. Ambroſius, Mediolanenſis, & viderint & audierint, Animã eius, cæleſtibus Angelorum hymnis, in cælum deportari.

IV. S. Martinus Epiſcopus lib. de vita eius, cap. 24.

De S. Adelgunde Abbatiſſa ſcribit Huebaldus, Elnonenſis; *Beata Virgo Adelgundis, de virtute in virtutem progrediens, in tantam ſanctitatis Celſitudinem, à Domino meruit ſublimari, vt etiam vigilanti, manifeſtè Angelus appareret, familiare colloquium, de ſeruanda virginitate exhiberet, & Virgo ſancta, nomen eius interrogans, ab eo glorioſum & ſanctum & mirabile eſſe audiret.* Sic *ſancta Landrada Virgo,* teſte ſcriptore eius vitæ, Angelorum præſentia, & colloquijs quotidie fruebatur.

V. S. Adelgundis, & S. Landrada. In eius vita apud Sur. Tom. 6.

Ioannes Carrera, caſtiſſimus Iuuenis, inflammato ſemper ſtudio, erga Tutelarem Angelum rapiebatur. Cum hoc tanto erat, tamq; familiari coniunctus vſu, vt velut intimo cum amico, ſua conſilia, ſermoneſq; conferret, ſæpè ad eum, de rebus ſuis dubijs arduiſq; referret, ſæpe interrogaret, conſiliumq; exquireret. Deniq; in eam, S. Angeli familiaritatem venerat, vt ab eo quotidie, horis antelucanis, ad orationem excitaretur, à ſomno, quanquam hanc aliquando conſuetudinem, Angelus intermiſit, quod excitatus à ſe, languore victus, è cubili non protinus ſurrexiſſet. Sed ſi hæc culpa fuit, certè per dies plurimos, occultante ſe Angelo, pœnas dedit, cuius præſentiæ deſiderio, multis, ad Deum placandum, precibus ac ieiunijs adhibitis, tandem aliquando, quod amiſerat, recuperauit. Receptum in priſtinum familiaritatem Angelus monuit, idcirco, ſuam ſe occultaſſe præſentiam, quod ad orationem ſe ſuſcitantem, non protinus audiſſet, Deumq; pœnas voluiſſe repetere, vt documentum ei eſſet, in poſterum, ne in ſurgendo, ad laudandum Deum, moras necteret.

Theodoricus Abbas in vita. cap 6. VI. Ioannes Carrera. Hiſt. ſociet. lib. 11. n. 66.

VII. R. P. Petrus Cottonus. Duaco 18. Februarij. Ann. 1627. Ex literis P. Antonij Rauena.

Hac ipſa cum S. Angelo Cuſtode familiaritate potitus eſt luculentiſſimè, Reuerendus Pater Petrus Cottonus, Societatis Ieſu, eximius Theologus, & quondam Heinrico Quarto, Galliæ Regi, à ſacris confeſſionibus: Vir ſanè, tàm doctrina, quàm vitæ ſanctimonia conſpicuus, vt eius res geſtæ atteſtantur, quæ ex Gallijs in Germaniam perſcribuntur, in hæc verba: *Crebrò ille ſanctos Angelos, præſertim Cuſtodem ſuum, ac aliorum, qui ſpeciali illius curæ erant, commiſſi pulcherrimam indutos formam, cernebat, reuerenter eos & amicè colloquebatur, à quibus etiam cognoſcebat, Clientum occultas neceſſitates. A Tutelaribus generalibus, Prouinciarum (quas ſapè obibat charitate, vel officio, cogente) præcognouit & prædixit, terribilem illam tempeſtatem, quæ nuper Anno 1626. à Parlamento, contra ſocietatem excitata eſt. Eius extant hac de re, literæ ad fideliſſimum amicum. Prædixit ſimul, Burdegalæ cum eſſet, hanc breui tempeſtatem pacatam iri, & ceſſuram, in maius ſocietatis, in Gallijs ſtabilimentum. Cum eſſet in Vrbe Maſſilienſi, ingreſſus eſt bonus Pater templum, quod appellant, Des Acales, vbi tremens vidit, inter Sacerdotes ſtans, humanum corpus, pro humano capite, geſtans horribile, caput bufonis, pileo quadrato tectum. Pater quoad potuit, ſupprimens timorem, re, quam viderat, diſſimulata, manſuetè quendam ex adſtantibus, interrogat, quis ille eſſet Sacerdos? Reſponſum eſt, eſſe celeberrimum illum, per omnem Galliam, Magni Nominis, claræ famæ, ſanctæ vitæ Excellentem virum, Ludouicum Gaufredum. Pater Cotton ſiluit; ſed non diu Deus, qui mirabilibus modis (iam paſſim etiam in libris, ea de re vulgatis) prodidit nequitiam Hypocriticam Gaufredi, qui cum Sacerdos eſſet, abiurato Deo & Sanctis, Magorum Princeps erat, in Vniuerſa Gallia, & pœnè Europa, quem Anno 1611. captum, examinatum, & conuictum, prius degradarunt, & brachio ſæculari traditum, viuum exuſſerunt, Aquenſes in Gallia.* Hæc literæ illæ Duaco in ſuperiorem Germaniam deſtinatæ. Præclarum, initæ, cum Angelo Cuſtode, familiaritatis & amicitiæ Exemplum, ſequamur Cottonem, in mentis & corporis puritate, feruentem inſuper eius deuotionem, erga cæleſtes Spiritus, imitemur; ſuis viciſſim erga nos, obſequijs, nunquam deerit Angelus Cuſtos.

A vobis igitur, *ô ſancti Angeli*, expoſcimus, vt nos indigniſſimos licet terræ vermiculos, in familiaritatem & amicitiam veſtram admittatis, & communi calculo ac ſuffragijs coopteretis, in eaque conſeruetis, donec.

Choris veſtris, in beatifica viſione inſeparabiliter coniungamur. Amen.

SERMO

Digitized by Google

SERMO XXVIII.

Quæ nam in homine oderint Angeli ſancti? Quænam ſummo amore complectantur.

Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem præparaui. Obſerua eum & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris & eſt nomen meum in illo. Exod. 23.

PArentes, licet barbara quandoque & immani feritate affecti, nihilominus tamen, naturæ ductu, ad benefaciendum filijs ſuis, quàm ad nocendum & puniendum procliuiores eſſe, experientia teſte, conſpiciuntur: Quantò magis id de ſanctis Angelis Tutelaribus credendum, qui nos longè feruentiori, & non ſolùm naturali, verùm etiam Diuina & ſupernaturali charitate confouent, & amplexantur? quantò, inquam, certius hæc illis, erga nos promptitudo, in acceptis ferenda, cum omnis barbaries, Crudelitas omnis, ab eorum natura, mitiſſima, tàm ſit aliena, *quantum diſtat cælum à terra?* Hac igitur eorum beneficentiſſima humanitate, vt in omni vita noſtra, tùm ad corporum, tùm animarum noſtrarum incolumitatem atque ſalutem, tantò fructuoſius potiamur, diſpiciendum nobis exiſtimo, in præſentia, quæ nam in nobis odio nouercali deteſtentur? Quænam è contrario, apud nos gaudeant inuenire, vt eorum opitulatu, illa cane & angue peius, fugiamus, iſta velis remisq; conſectemur.

Obſerua eum & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet eum peccaueris, ſed vice mea, tanquam Pater & Pædagogus Filium, aut Diſcipulum immorigerum, caſtigabit: *non dimittet eum peccaueris*, non conniuebit, vt in æternæ perditionis barathrum præcipiteris, ſed modis omnibus, quà benefica, quà punitiua manu, te ad bonum frugem, conabitur reuocare. Diſplicet inprimis ſancto Angelo Cuſtodi, *obliuio Dei, & nouiſſimorum*; qua de re conqueritur ſanctus Angelus, qui Eſdræ apparebat, eique plurima futura prænunciabat: *Tranſierunt*, inquit, *dolores, & oſtenſus eſt in fine theſaurus immortalitatis: Noli ergò adÿcere de multitudine illorum, qui pereunt: Nam & ipſi accipientes libertatem, ſpreuerunt altiſſimum, & legem eius contempſerunt, & vias, eius dereliquerunt. Adhuc autem iuſtos eius conculcauerunt, & dixerunt in corde ſuo, non eſſe Deum, & quidem ſcientes, quoniam moriuntur.* Non immeritò admiraris Angele ſancte, quod ſciamus, nos non tantùm morituros, ſed ſine intermiſſione mori, nec

I. Odibilia.

1. Obliuio Dei & nouiſſimorum.

4. Eſdræ. 8.

Digitized by Google

tamen animæ interitum ſentiamus, aut exitium horreamus, aut mores
Simile. corrigamus. Quid noui ſi fur furetur, cum ſolus eſt in abſtruſo & recon-
dito loco, & extra lictoris oculos, tutamq; credit occaſionem? Sed fu-
rem mox ſuſpendio plectendum, in ipſo carcere furari, & furtum in
manticam detrudere, non eſt abſimile prodigio & portento; Nos tales
ſumus, qui grandi paſſu, tendimus ad mortem, immò ſingulis momen-
tis morimur, & ſub ipſa mortis furca, ridemus, & impiè iocamur, adeoq;
præfractè, vel audacter peccamus, & aut furtiuas libidines, animo agi-
tamus, aut in alios linguam ſtringimus, aut proximis, quà datur occaſio,
nocemus. Quid cogitas, *ô mortis mancipium, & verna?* Stas in fatalibus
ſcalis, funeſtæ trabi alligatus, & mox deturbandus, & ſciens, quoniam
moreris, vitia tamen tua, in te viuere conniues ac permittis? Quidni, ad-
Pſal.13. mirabundus Angelus Cuſtos, de talibus proteſtetur: *Dixit inſipiens in cor-
de ſuo, non eſt Deus: Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt, in ſtudijs ſuis: non
eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles
facti ſunt. Contritio & infelicitas in vijs eorum, viam pacis non cognouerunt:
Non eſt timor Dei ante oculos eorum: Gens abſq; conſilio eſt, & abſq; prudentia,*
Deuter.32. *vtinam ſaperent & intelligerent, & nouiſſima prouiderent.* Audi ergò con-
temptor Dei, & Iudiciorum eius: Ne ſis ex eorum numero, de quibus
Pſal 9. Regius vates: *Auferuntur iudicia tua, à facie illorum, viam pacis non cognoue-
runt. Obſerua* igitur Angelum tuum Cuſtodem, *& audi vocem eius, nec con-
temnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris, Et eſt Nomen*, eſt poteſtas,
eſt authoritas Dei *in illo.*

II. Odit calorem & aſtum iracundiæ. Auerſatur S. Angelus Cuſtos, *aſtum & feruorem iracundiæ* nimiæ, in
proximorum iniurias graues, præſertim ſine cauſſa, erumpentis. Nam vt
S. Iob ait: *Virum ſtultum interficiet iracundia eius.* Et Salomon affirmabat:
Iob.5. *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignẽ, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas*: Nam
Prou.26. malum calorem, violenta vredo ſequitur: Illam & hanc Angeli oderunt:
Epheſ.4. Nec fruſtra Paulus partim rogat, partim imperat: *Omnis amaritudo & ira,*
Prou.19. *& indignatio &c. tollatur à vobis: Eſtote autem inuicem benigni*; Verè enim
Ira nimia friuola excuſatio. *vir iracundus, prouocat rixas, & qui ad indignationem facilis eſt, erit ad peccan-
dum procliuior.* Aiet quiſpiam: Ira eſt naturalis hominis paſſio, & huma-
Epheſ.4. na affectio, cur eam Angelus Cuſtos tantoperè abominetur? Sed audi
Matt.11. monentem: *Iraſcimini & nolite peccare: Sol non occidat ſuper iracundiam ve-
ſtram: nolite locum dare Diabolo. Diſcite à me,* inquit Saluator, *quia mitis ſũ, &
Epiſt.105. humilis corde.* Sancti Auguſtini verbum eſt: *Sicut acetum corrumpit vas, ſi
diutius in eo manſerit; Sic iracundia corrumpit animam, ſi in alterum diem dura-
Lib.3. Moralium. uerit.* Et S. Gregorius: *Per iram iuſtitia relinquitur, quia dum perturbata mens,
indicium ſine ratione exaſperat, omne quod furor ſuggerit, rectum putat.. Per iram
gratia*

Digitized by Google

gratia vitæ ſocialis amittitur, quia qui ſe ex humana ratione non temperat, neceſſe eſt, vt beſtialiter viuat. Per iram manſuetudo perditur, per iram concordia rumpitur, per iram Lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia confuſionis tenebras incutit, huic Angelus, Diuinæ radium cognitionis abſcondit. Quin etiam, iracundiæ feruor, quandoque tantus eſt, vt verè dicat S. Ioannes Chryſoſtomus: *Ira quaſi fulmen in animam irruit, ſeruientemq́; ſibi, reddit amentem: Iratus nihil niſi crimina loquitur, & merum vomit venenum; Iratus Dæmone plenus, dicenda & non dicenda, effundit. Quandoq; etiam voces per iugulum redituras, protrudit. Iracundus ferrum ſemper in igne habet, vbi vel verbulo læditur, proſilit & impugnat.* Et affirmante Seneca: *Nulla peſtis humano generi, pluris ſtetit. Ira vehemens, & furibunda fera eſt, ferreos habet vngues, & fauces igneo veneno plenas. Et Mare quidem commotum,* inquit Plutarchus, *cum algam & ſpumam eiectat, purgari dicitur; at qui furijs iracundiæ agitatus, verba effundit, amarulenta, primò ſeipſum, deinde alios lædit, & omnibus eſt ingratus:* Et inprimis Angelo Dei, ad cuſtodiam hominis deputato. *Obſerua* igitur eum, *& audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris.*

Hom. 42. in Matth.

Ad Luciliũ.

In moralib.

Execratur Angelus Cuſtos *flammam Inuidiæ,* cuius fons & origo, eſt Diabolus: Nam *inuidia Diaboli, mors introiuit in orbem terrarum. Sequuntur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* Diabolicum itaque malum Inuidia eſt, cui merito minatur Angelus ſanctus: *Cum inuidia tabeſcente, iter non habebo; quoniam talis homo non erit particeps ſapientiæ.* Non fruſtra Sapiens: *Putredo oſſium inuidia.* nec ſine cauſſa Iudas Apoſtolus: *Væ illis, qui in viam Cain abierunt, inuidiæ & rancori, erga fratres & proximos, locum dantes:* Talibus enim meritò exprobrat ſanctus Angelus Tutor: *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Vis monſtri huius immanitatem agnoſcere? audi S. Baſilium: *Rubigo, eſt vitium & interitus frumenti. Liuor mors animæ. Canes nutricatione cicurantur, & cultu manſueſcunt Leones; Inuidi verò ad obſequia magis efferantur.* audi S. Ioannem Chryſoſtomum: *Inuidia peſtiferum malum, hominem in Diaboli conditionem, ac in Dæmonem immitiſſimum conuertit. Per eam mors venit in mundum. Propter ipſum, Abel eſt interemptus, Dauid cædis periculum ſubijt, & Iudæi Chriſtum interfecerunt. Inuidia aduerſa aliorum fortuna, vt ſcarabæi alieno ſtercore nutriuntur.* Hinc admonet S. Ambroſius: *Fuge inuidiam, quæ non ſolùm alienos, verùm multò magis eum, quem poſſederit, lacerare conſueuit. Nam vt ferrum, ærugine in ſe nata conſumitur, Sic inuidus, ſuaptè malitia torquetur. Et ſicut qui oculis effaſcinant, alios homines, venenatos oculos ipſimet habent: Sic inuidi, limis oculis proximum intuentes, in ſeipſis liuoris veneno, ſunt oppleti.* Hominum plerumque peſſimi ſunt, qui aliorum ærumnis læti, alienis iacturis diuites, calamitatibus locupletes, funeribus

III. Odit flammam inuidiæ.
Sap. 2.
Prou. 14.
Matt. 20.
Serm. de inuidia.
Hom. in Geneſin.
Lib. de fuga ſæculi.
Simile
Plin. lib. 2. cap. 7.

Digitized by Google

immortales, quid obſecro, alteri alteros flagellamus? cui tandem inuidemus? Bono? Ergò & bonis dignus eſt. Malo? Sua ſibi malitia, laqueus eſt, & interitus. Quid opus eſt illum ſæpius perire? Qui liuoris & Inuidiæ peſte carere cupit, illam hæreditatem diligit, quam cohæredum numerus, non minuit, quæ & omnibus vna eſt, & ſingulis tota. Nos tolerat S. Angelus Cuſtos hanc in nobis, Diaboli lucem, nec *beata illa Æternitas.* Inuidium admittit: *Obſerua* igitur Angelum tuum, *& audi vocem eius*, ab omni liuore dehortantem: *Quia non dimittet cum peccaueris* contra eius admonitionem.

IV. Fumum Superbiæ. Sed quid te *fumo Superbiæ*? An æquanimiter eum tolerat Angelus Cuſtos? Minimè verò: Columba eſt ſimplicitatis amans, & humilimæ, ſui ipſius abiectionis. Eius Symbolum eſt: *Arrogantiam & Superbiam ego deteſtor, nec habitabit in medio domus meæ,* in corde chari Clientes mei, *qui facit Superbiam.* Nec ipſe Deus ferre poteſt abominabilem hunc fumum: *Dies Domini ſuper omnem arrogantem, & ſuperbum, & excelſum, & humiliabitur*; & confundet eum Superbia eius, in faciem eius. Veriſſimè S. Auguſtinus: *Summa eſt miſeria, ſuperbus homo vix toleratur ſuperbus diues, pauperem ſuperbum, quis feret? Et nemo miretur adeò inimicos eſſe Angelos ſuperbis: adhuc trepidant, ob veterem Collegarum ſuorum ruinam Ex Angelo facit Diabolum Superbia, omnium malorum fæcunda mater, hæc Babilonicas turres euertit, linguas confudit, Goliath proſtrauit, Amanum ſuſpendit, Nicanorem diſcerpſit, interfecit Antiochum, Pharaonem ſubmerſit, iugulauit Sennacherib, Herodem pediculis confecit, omnes hactenus filios ſuos præcipitauit, & malè perdidit Superbia.* Quid plura memorem, de Superbiæ fumo? Vnde Angelos ei amicos ſperemus? In Regibus potentiſſimis, in Nabuchodonoſor eum oderunt, in æqualibus & contribulibus ſuis, Lucifero & Angelis eius, non tulerunt; quale monſtrum, ſe ſuper alios extollens ſuperbus, & miſerrimus vermiculus, homo? *Habuit Lucifer vnde ſuperbiret, ſed habuit etiam, vnde ſuperbus rueret.* Nos verò, mendiculi, vnde turgemus? Vnde tàm altum nobis ſupercilium? Miſerijs & ſpurcitijs perſcatemus, & faſtu extollimur? Superbi pauperes, annon turpiſſima monſtra? Vnde ſuperbit homo, cuius vita naufragium, cuius eſſe momentum, *Mors finis & Exordium.* Superbiendo non Angelorum delitiæ, ſed nauſea erimus. *Obſerua* igitur Angelum Cuſtodem tuum, *& audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet te,* ſi ſuperbiendo, contra ipſum, peccaueris. Quantò itaque maior es, tantò magis te humilia, & gratiam inuenies coram illo.

Prouerb. 8.

Pſalm. 100.

Eſaiæ 2.

Lib. de Catechizandis rudibus.

V. Fœtorem Luxuriæ. Omnium autem peſſimè oderunt Angeli *fœtorem Libidinis & Luxuriæ.* Num Aſmodæus, & Raphaël ſe mutuo tolerabunt, in vno cubiculo? certè

Digitized by Google

certè alter alterum, potentiſſimè expellebat. Animæ Chriſti ſanguine ablutæ, & ab omni carnis inquinamento, defæcatæ, nolite fieri *ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus.* Raphaëlem Tobiæ arcanum illud pandentem audi, & intellige, in quo ſtatu, ſint porci, qui ſe interdiu noctuq;, in volutabro ſpurcæ Veneris, impiæ verſant & volutant: *Oſtendam tibi, qui ſunt, quibus prævalere poteſt Dæmonium, qui Deum à ſe, & ſua mente, excludunt, vt ſuæ libidini vacent, ſicut Equus & mulus habet Dæmonium poteſtatem ſuper eos.* Quid ergò illis commercij, cum Angelis, ſi Dæmonis ſubſunt poteſtati. Lubet cum Hieronymo exclamare: *O Infernalis Ignis Luxuria, cui materia Gula, cuius flamma, carnis pruritus breuis, longum poſt ſe dolorem trahens, cuius ſcintillæ libidinoſa colloquia, cuius fumus infamia, cuius fœtor, abominatio coràm Deo & Angelis eius, cuius cinis turpitudo, cuius finis gehenna. O quam acerbus fructus luxuriæ; eſt gladio crudelior, eſt felle amarior, eſt omni hoſte truculentior. Sæuus criminum ſtimulus, libido eſt*, inquit S. Ambroſius, *quæ nunquã quietum manere patitur affectum. Deo nauſeam parit, Angelos fugat, & contriſtat: ſunt enim apes, puritatis, & munditiei amantes, & ſalacitatis fœtorem abominantur.* Quid tibi *fœtens hirce*, carnis procacitate penitùs abſorpte perſuades? homines in amicitiam adſciſcunt Angeli, non pecudes. Diuinus è cælo ſponſus, nunquam ſuauius, quàm inter odorifera caſtitatis lilia conquieſcit. Solos eos, in amplexus admittit, qui omnem à ſe, Veneris & Cupidinis Ignem, excuſſerunt. Apagite impuri flagriones: Odio eſtis Angelis, & Angelorum Creatori. Narrat S. Antoninus Angelum humana ſpecie, tectum, interfeciſſe cum Anachoreta. Tranſierunt fortè cadauer, in viam temerè proiectum. Anachoreta nares compreſſit; non ita ſocius Angelus. Paulò poſt obuium habuerunt hominem, ſupra ornatiſſimas Imagines cultum, auroq; & gemmis perpolitum, ſed qui occultè libidine laborabat. Cætera venuſtiſſimus, & inceſſu venuſto, & pereleganti, pedes ad legem & numerum ponebat: quin & Moſcum & Balſama fragrans, Aſſyrioſq; Myrotheciorum vapores rorans, vt ita dicam, odoratas poſt ſe aëris commotiones trahebat. Optaſſet quis, naſus fieri, cum Catullo. Sed Angelus velut Mephitim fœdiſſimam, declinaturus vultum, occluſaſque nares, auertit. Cauſſam à ſocio rogatus: *Homo libidinoſus*, inquit, *coràm Deo & Angelis eius olentiſſimum cadauer eſt.* Dixit & euanuit; Angelumque Cuſtodem ſe fuiſſe, probauit. *Obſerua* igitur *Angelum tuum, & vocem eius audi*, & aut libidini amicus non ſis, aut ipſum pariter, cum toto Angelico Exercitu, Inimicum habebis. *Ne itaque contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris; Eſt enim Nomen meum in illo.*

Pſalm. 31.
Tobiæ 6.
Epiſt. ad Paulam & Euſtochium.
Lib. de Cain & Abel.
Simile.
2. Hiſtoria de Eremita & Angelo.
Parte 4. Sum. Theol. lib. 1 cap. 6. §. 1.

Eia,

II. Quæ in nobis diligant Angeli.

Eia age, conuertemus nos modò, ad ea, quæ in nobis impenſius diligunt & amant Angeli. Statuendum porrò, inprimis eſt, tanquam ratum fixumque, vt omnia prorſus vitia & flagitia, odio pluſquam Vatiniano, proſequuntur, ſic è contrario, diligunt, illis oppoſitas, virtutes, & eas in Clientibus ſuis, incredibili cum voluptate ſpectant. Sed hoc illis præcipuè arridet: Si Clientes cuſtodiendi quemadmodum ipſi, *ſemper vident faciam Patris*, ita Dei præſentiam, omni momento, in oculis habeant, ac Deum, omnes ipſorum actiones, videre, & verba audire, imaginentur. Nam Angeli vbicunque locorum ſint, peruigili, & nunquam interrupto obtuitu Deum aſpiciunt. Incredibile illis eſt gaudium, ſi Clientes, eo, quo poſſunt, modo, æmulentur, & Deum aſſiduè in memoria, in mente, in oculis, circumgeſtent, Exemplo Regij vatis, cuius hoc verbum: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.* Hanc ipſam Dei præſentiam, ſenior Tobias, ſuadebat filio ſuo: *Omnibus diebus vitæ tuæ, in mente habeto Deum.* Iſtam quoque Dei præſentiam efflagitabat Chriſtus, cum dicebat: *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* quaſi diceret: Si oculos tuos, in Deum ſemper direxeris, & quaſi ſanis ac puris luminibus, eius Numen, vbique coram te intuitus fueris, omnis actio tua, pura & innocens erit, ſuoq; ductu in Deum intendetur. Lippientes autem & impuri ſunt, ac multo puluere corrupti oculi, qui in vijs, in Domibus, in templis, in angulos omnes, emiſſitij excurrunt, & interim mentis oculi, Deum amiſſum, non quærunt. Tunc bona eſt omnis actio tua, cum manus eſt in opere, oculus in Deo. Multa ſæpè agimus, ſed ignauè & oſcitanter. Oramus, ſed vbi attentio? Eleemoſynam elargimur: Sed vbi affectus? Ieiunamus: ſed vbi Deo placendi ſtudium? O væſaniam noſtram, vti nos Deum non videmus, ita nec nos à Deo videri, cenſemus. Exinde quædam ſegniter, alia turpiter, & incompoſitè facimus, quia Deum ſpectatorem noſtrum, non aſpicimus. Attente tibi, ô homo, & fixos ſemper oculos, intende Deo. *Non præterit illum omnis cogitatus, & non abſcondit ſe ab illo, vllus ſermo. Laſciua* cogitas, & non erubeſcis? *Deus videt. Impudica* loqueris, nec te pudet? *Deus audit*; Illûc rapacem, hûc libidinoſam manum extendis nec exhorreſcis? *Deus eſt præſens.* Quidquid agas, quidquid cogites, quibuſcunque te latebris condas, memento te vbique deprehenſum. *Hac ſolum*, inquit Clemens Alexandrinus, *ratione fit, vt quis nunquam labatur, ſi Deum ſibi ipſi ſemper adeſſe exiſtimet.* Doſitheum, ex diſſolutiſſimo milite, magnum Dei effecit ſeruum, vnicum B. Dorothei monitum: *Cogita ſemper Deum præſentem, & te coram illo ſtare: Nam verè in omni loco, oculi Domini contem-*

[Margin notes: *1. Præſentia Dei.* — *Pſal. 15.* — *Tobiæ. 4.* — *Luc. 11.* — *2. Obliuio Dei quàm noxia.* — *Eccl. 42.* — *Lib. 3 pædag. cap 5.* — *Prou. 15.*]

contemplantur bonos & malos. Spirituum Ponderator eſt Dominus, omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Addit Epictetus: *Cuſtodem cuiq; noſtrum addidit Deus, & Genium Curatorem.* Cum igitur fores obduxeris, & tenebras intus feceris, ne ſuccurrat dicere: Solus ſum; non enim ſolus es, ſed Deus intus eſt; Angelus tecum eſt, quibus quid opus eſt, illato lumine, vt videant quod facias? *Omnia nuda ſunt & aperta oculis eorum.* Piſtori ergò nos ſimiles eſſe, vult Saluianus Maſſilienſis: *Qui dum farinam aqua ſubigit, dum brachia iactat, dum totus formandæ maſſæ, incumbit, nihilominus iucundè confabulatur, & in colloquentem ſubinde oculos, reflectit: Ita nos, dum operamur, oculos aſsiduè & ſuauiter in Deum emittamus.* Qui hoc fecerit, & Deum & Angelum eius, amicum habebit. *Obſerua* igitur *eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris.*

In pugione.

Lib. 1. de Prouidentia Dei.

Simile.

Rurſum amant in nobis Angeli ſancti, ſi eos omni momento, nobis præſentes eſſe cogitemus. Verè enim omnium actionum noſtrarum, Deum, Deiq; Legatos, Angelos, & arbitros, & teſtes habemus. Quid enim neſciant, aut non videant Angeli, qui videntem & ſcientem omnia, ſciunt, videntq;, obtutu perſpicaciſſimo, contemplatione perenni? Senecæ monitum eſt, ad Lucilium: *Accipe vtilem & ſalutarem clauſulam, quam te affigere animo, volo: Aliquis vir bonus* (& quis melior Angelo Cuſtode?) *nobis eligendus, ac ſemper ante oculos habendus eſt, vt ſic, tanquam illo ſpectante, viuamus, & omnia, tanquam illo vidente, faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſsiſtat. aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate, etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat.* Et rurſum: *Sic certè viuendum, tanquam in conſpectu viuamus: Sic cogitandum, tanquam aliquis pectus intimum inſpicere poſsit. Quid enim prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum? Nihil Deo clauſum eſt; Intereſt animis noſtris, & cogitationibus medijs interuenit, & ſemper adeſt, eo modo, vt nunquam abſcedat.* Nihil verius aut ſapientius, ab homine non Chriſtiano, dici potuiſſet. Sit ergò tibi ſemper in oculis, Tutelaris Angeli præſentia, & ad omnem gratiam, ac fauorem propenſiſſimum experieris. rectiſſimè S. Bernardus: *In quouis angulo, in quouis diuerſorio, Angelo tuo reuerentiam habe. tunè audeas illo præſente, quod me vidente non auderes?* Erit hæc tibi imaginatio inſtar fræni, quo ab innumeris lapſibus, coërcearis, & in ordinem redigaris. Reuerere Angelum tuum, *obſerua & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris, & eſt Nomen Dei in illo.* Sed quid, inquit aliquis, faciam, ſi fortaſſe Dei & Angeli mei Cuſtodis oblitus, in graue aliquod peccatum, collapſus, vtriuſque indignationem incurrerim? quomodo Deum inprimis, ac deinde Angelum meum placabo? Quomodo eius caſtigationem, quam Deus comminatur, auertam? ad cor redi ſine mora, dole de peccato tuo, emendationem

II. Præſentia S. Angeli.

Epiſtola ad Lucilium.

In Pſal. 90.

III. Matura contritio de peccatis.

Digitized by Google

II. Quæ in nobis diligant Angeli.

Eia age, conuertemus nos modò, ad ea, quæ in nobis impenſius diligunt & amant Angeli. Statuendum porrò, inprimis eſt, tanquam ratum fixumque, vt omnia prorſus vitia & flagitia, odio pluſquam Vatiniano, proſequuntur, ſic è contrario, diligunt, illis oppoſitas, virtutes, & eas in Clientibus ſuis, incredibili cum voluptate ſpectant. Sed hoc illis præcipuè arridet: Si Clientes cuſtodiendi quemadmodum ipſi, *ſemper vident faciam Patris*, ita Dei præſentiam, omni momento, in oculis habeant, ac Deum, omnes ipſorum actiones, videre, & verba audire, imaginentur. Nam Angeli vbicunque locorum ſint, peruigili, & nunquam interrupto obtuitu Deum aſpiciunt. Incredibile illis eſt gaudium, ſi Clientes, eo, quo poſſunt, modo, æmulentur, & Deum aſſiduè in memoria, in mente, in oculis, circumgeſtent, Exemplo Regij vatis, cuius hoc verbum: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.* Hanc ipſam Dei præſentiam, ſenior Tobias, ſuadebat filio ſuo: *Omnibus diebus vitæ tuæ, in mente habeto Deum.* Iſtam quoque Dei præſentiam efflagitabat Chriſtus, cum dicebat: *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* quaſi diceret: Si oculos tuos, in Deum ſemper direxeris, & quaſi ſanis ac puris luminibus, eius Numen, vbique coram te intuitus fueris, omnis actio tua, pura & innocens erit, ſuoq; ductu in Deum intendetur. Lippientes autem & impuri ſunt, ac multo puluere corrupti oculi, qui in vijs, in Domibus, in templis, in angulos omnes, emiſſitij excurrunt, & interim mentis oculi, Deum amiſſum, non quærunt. Tunc bona eſt omnis actio tua, cum manus eſt in opere, oculus in Deo. Multa ſæpè agimus, ſed ignauè & oſcitanter. Oramus, ſed vbi attentio? Eleemoſynam elargimur: Sed vbi affectus? Ieiunamus: ſed vbi Deo placendi ſtudium? O væſaniam noſtram, vti nos Deum non videmus, ita nec nos à Deo videri, cenſemus. Exinde quædam ſegniter, alia turpiter, & incompoſitè facimus, quia Deum ſpectatorem noſtrum, non aſpicimus. Attende tibi, ô homo, & fixos ſemper oculos, intende Deo. *Non præterit illum omnis cogitatus, & non abſcondit ſe ab illo, vllus ſermo. Laſciua* cogitas & non erubeſcis? *Deus videt. Impudica* loqueris, nec te pudet? *Deus audit*; Illûc rapacem, hûc libidinoſam manum extendis nec exhorreſcis? *Deus eſt præſens.* Quidquid agas, quidquid cogites, quibuſcunque te latebris condas, memento te vbique deprehenſum. *Hac ſolum*, inquit Clemens Alexandrinus, *ratione fit, vt quis nunquam labatur, ſi Deum ſibi ipſi ſemper adeſſe exiſtimet.* Doſitheum, ex diſſolutiſſimo milite, magnum Dei effecit ſeruum, vnicum B. Dorothei monitum: *Cogita ſemper Deum præſentem, & te coram illo ſtare: Nam verè in omni loco, oculi Domini contem-*

Marginal notes: *1. Præſentia Dei.* — *Pſal. 15.* — *Tobiæ. 4.* — *Luc. 11.* — *2. Obliuio Dei quàm noxia.* — *Eccl. 42.* — *Lib. 3 pædag. cap 5.* — *Prou. 15.*

contemplantur bonos & malos. Spirituum Ponderator eſt Dominus, omnia nuda & aperta ſunt oculis eius. Addit Epictetus: *Cuſtodem cuiq; noſtrum addidit Deus, & Genium Curatorem.* Cum igitur fores obduxeris, & tenebras intus feceris, ne ſuccurrat dicere: Solus ſum; non enim ſolus es, ſed Deus intus eſt; Angelus tecum eſt, quibus quid opus eſt, illato lumine, vt videant quod facias? *Omnia nuda ſunt & aperta oculis eorum.* Piſtori ergò nos ſimiles eſſe, vult Saluianus Maſſilienſis: *Qui dum farinam aqua ſubigit, dum brachia iactat, dum totus formandæ maſſæ, incumbit, nihilominus iucundè confabulatur, & in colloquentem ſubinde oculos, reflectit: Ita nos, dum operamur, oculos aſsiduè & ſuauiter in Deum emittamus.* Qui hoc fecerit, & Deum & Angelum eius, amicum habebit. *Obſerua* igitur *eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris.* *In pugione.* *Lib. 1. de Prouidentia Dei.* *Simile.*

Rurſum amant in nobis Angeli ſancti, ſi eos omni momento, nobis præſentes eſſe cogitemus. Verè enim omnium actionum noſtrarum, Deum, Deiq; Legatos, Angelos, & arbitros, & teſtes habemus. Quid enim neſciant, aut non videant Angeli, qui videntem & ſcientem omnia, ſciunt, videntq;, obtutu perſpicaciſſimo, contemplatione perenni? Senecæ monitum eſt, ad Lucilium: *Accipe vtilem & ſalutarem clauſulam, quam te affigere animo, volo: Aliquis vir bonus* (& quis melior Angelo Cuſtode?) *nobis eligendus, ac ſemper ante oculos habendus eſt, vt ſic, tanquam illo ſpectante, viuamus, & omnia, tanquam illo vidente, faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſsiſtat. aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate, etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat.* Et rurſum: *Sic certè viuendum, tanquam in conſpectu viuamus: Sic cogitandum, tanquam aliquis pectus intimum inſpicere poßit. Quid enim prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum? Nihil Deo clauſum eſt; Intereſt animis noſtris, & cogitationibus medijs interuenit, & ſemper adeſt, eo modo, vt nunquam abſcedat.* Nihil verius aut ſapientius, ab homine non Chriſtiano, dici potuiſſet. Sit ergò tibi ſemper in oculis, Tutelaris Angeli præſentia, & ad omnem gratiam, ac fauorem propenſiſſimum experieris. rectiſſimè S. Bernardus: *In quouis angulo, in quouis diuerſorio, Angelo tuo reuerentiam habe. tunè audeas illo præſente, quod me vidente non auderes?* Erit hæc tibi imaginatio inſtar fræni, quo ab innumeris lapſibus, coërcearis, & in ordinem redigaris. Reuerere Angelum tuum, *obſerua & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet eum peccaueris, & eſt Nomen Dei in illo.* Sed quid, inquit aliquis, faciam, ſi fortaſſe Dei & Angeli mei Cuſtodis oblitus, in graue aliquod peccatum, collapſus, vtriuſque indignationem incurrerim? quomodo Deum inprimis, ac deinde Angelum meum placabo? Quomodo eius caſtigationem, quam Deus comminatur, auertam? ad cor redi ſine mora, dole de peccato tuo, emenda- *II. Præſentia S. Angeli.* *Epiſtola ad Lucilium.* *In Pſal. 90.* *III. Matura contritio de peccatis.*

tionem propone, confitere, verbum Dei frequenter audi & quod decet exequere, amiſſam, nedum Angeli, ſed & Dei gratiam illicò recuperabis.

IV. Mirabilis conuerſio peccatoris ex verbis Dei. Ex libro Doctrinæ Patrũ nu. 15. Auctor Speculi. Diſt. 2. To. 1. num. 187.

Hiſtoriam cape pulcherrimam, è vitis Patrum excerptam: *Beatæ memoriæ Paulus ſimplex, Diſcipulus Abbatis Antonij, narrauit fratribus talem rem. Quia aliquando veni in monaſterium, viſitandi gratia, & pro fratrum inſtructione, & poſt conſuetam, ad inuicem collocutionem, intrauerunt in Eccleſiam Dei, vt miſſas more ſolito celebrarent. Ipſe autem Paulus intuens vnumquemq́, introeuntium Eccleſiam, quo animo intraret: habebat enim & hanc gratiam ſibi datam à Deo, vt ſic vnumquemq́, cuius animi eſſet, agnoſceret, ſicut & nos facies noſtras videmus inuicem. Ingredientibus ergò omnibus, clara facie & ſplendido vultu, ſed & vniuſcuiuſq́ Angelo gaudente cum eis, vnum vidit nigrum, & obſcurum toto corpore, & Dæmones ex vtraq́ parte, eum tenentes, & trahentes ad ſe ipſos, capiſtro in naribus eius, miſſo, ſanctum verò Angelum eius, de longè lugubrem & triſtem ſequentem eum. Paulus verò lachrymans, & manu frequenter pectus tundens, ſedebat ante Eccleſiam plorans, valdè eum, qui talis ei apparuerat. Qui autem videbant eum, quod faciebat, & tam celerem eius mutationem, & lachrymas & luctum, interrogabant, rogantes eum, vt diceret, quid eſſet, quod videbat, timentes, ne quid in reprehenſione omnium vidiſſet, pro quo hoc faceret. Poſtulabant etiam, vt ad Miſſam intraret cum eis. Paulus autem repellens eos, negabat ſe ingreſſurum, & ſedebat foris, tacens, & plorans nimis illum, qui ei talis apparuerat: Poſt paululum autem, dimiſſo Eccleſiæ Conuentu, iterum Paulus attendebat ſingulos exeuntes, vt quorum introitum cognouerat, ſcirent quales exirent, & vidit illum virum nigrum, & obſcurum toto corpore prius, exeuntem ab Eccleſia, clarum quidem vultu, candidumq́ corpore, Dæmones autem, qui eum ante tenebant, poſtea de longè ſequentes, ſanctum verò Angelum, iuxta ipſum ambulantem, latum & propinquum, & gaudentem ſuper eum valdè. Paulus verò, exiliens cum gaudio, clamabat, benedicens Deum, & dicens: O ineffabilis Dei miſericordia & bonitas, ô Diuinæ miſerationis eius innumerabilis bonitas. Currens autem, & aſcendens ſuper altum gradum, magna voce dicebat: Venite & videte opera Domini, quàm terribilia ſunt, & omni ſtupore digna. Venite & videte eum, qui vult omnes homines ſaluare, & ad agnitionem veritatis venire: Venite adoremus & procidamus ante eum & dicamus: quia potens eſt, peccata dimittere. Ad hanc vocem eius, omnes ſollicitè incurrerunt, cupientes audire, quæ dicebat. Et conuenientibus omnibus referebat Paulus, quæ vidiſſet, antequam in Eccleſiam intrarent, & quæ poſtea. Iterum interrogabat illum virum, & vt diceret ei cauſſam, pro qua tantam ei ſubitò mutationem Deus donauerit. Homo ergò ille conuictus à Paulo, coràm omnibus, qui circa ipſum erant, apertè narrauit, dicens: Homo peccator ſum, & multo tempore, in fornicatione vixi, vſq́ nunc. Ingrediens autem modò ſanctam Eccleſiam Dei,*

Deformitas peccatis obnoxij hominis.

Pœnitentem comitantur Angeli ſancti.

Mutatio hominis peccatoris.

Dei, audiui vocem Iſaiæ Prophetæ, cum legeretur, magis autem vocem Dei, loquentis in eo, vbi dicit: Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum, de animabus veſtris, coràm oculis meis, diſcite benè facere: & ſi fuerint peccata veſtra, tanquam Coccinum, velut nix dealbabuntur: & ſi volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Ego, inquam, *fornicator, in hoc ſermone, compunctus ſum nimis, & ingemiſcens, intra conſcientiam meam, dixi ad Deum: Tu Deus, qui veniſti in hunc mundum, peccatores ſaluos facere, & qui etiam hæc, quæ modò lecta ſunt, promiſiſti, per Prophetam, comple effectu, & opere in me peccatore, & indigno. Ecce enim amodò, promitto tibi, & ſpondeo ſermone, & corde confiteor, quia iam non agam vltrà, ſed abrenuncio omni iniquitati, & ſeruio tibi, amodò, in conſcientia munda. Hodie ergò Domine, in hac hora ſuſcipe pœnitentem, & interpellantem te, & renunciantem omni peccato. In his ergò promiſsionibus egreſſus ſum de Eccleſia, ſtatuens in anima mea, nihil vltra mali agere, coràm oculis Domini. Quod cum audiſſent omnes, clamauerunt voce magna ad Dominum, dicentes: Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti.*

Iſai. 1. Verbi Dei Virtus.

Typus Veræ pœnitentiæ.

Ecce quàm ineffabili gaudio afficiuntur Angeli ſancti, cum videant nos à lapſu reſurgere, Diabolo & peccato nuncium remittere, de offenſa Numinis dolere, ſeriam emendationem proponere, ſeruitio Diuino, refractarias antea ceruices, vltrò ſubmittere: *Dico vobis, quia gaudium eſt Angelis Dei in cælo, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm ſupra nonaginta nouem iuſtis.* Agamus itaque ſeriam pœnitentiam; qua Deum & Angelos eius, mirificè recreabimus, vt nos in vitæ termino, ad gaudia, nullo fine terminanda, admittant, promoueant & conducant. Amen.

Luc. 15.

SERMO XXIX.

Sanctis Angelis gratiſſimus cultus, eorum virtutes imitari, Pietatis & Charitatis Exemplis inſiſtere, bonorum operum Exercitijs vacare.

Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis. Ioan. 1.

OMnes inter Creaturas, nulla eſt, quæ cultu, labore & induſtria temporis diuturnitate maiora incrementa capiat, quàm homo. Gemmæ & Margaritæ vix vllum admittunt accreſcimentum.

Digitized by Google

Sol quoque & Luna,& Sydera omnia, eandem perfectionem retinent, & nitorem,quem initio ſuæ conditionis,à Creatore receperunt. Angeli verò,vbi primùm creati ſunt,virtutibus cunctis,& ſapientia ſimul,ornati fuêre: Nec enim iſta,more noſtro,paulatim, & per temporum incrementa,ſunt conſecuti. Homo verò,ita paulatim, ac temporis decurſu, proficit, vt primò quidem viuat, vita plantæ; *Secundò* vita bruti; *Tertiò* dum infans eſt,partim vita bruti, partim verò vita hominis; *Quartò* denique vita hominis,cum ratione vtitur, eademq; gubernatur. *Poſtremò*, ſi cum Iuſtitia & pietate ex hac luce emigrauerit, viuet tandem vita Angeli: Ait enim Veritas: *Erunt ſimiles Angelis Dei in cælo.* hoc enim fine,Altiſſimus Deus nos creauit; Idemq; ipſos Angelos,ad hanc Celſitudinem conſequendam,miniſtros dedit,qui ſancta ſua cuſtodia, ineffabiliq; ſolertia,nos protegant, & ad finem illum beatiſſimum perducant. Vnde S.Bernardus de ſcala Iacob, in qua Angeli aſcendebant, & deſcendebant; *Nunquid ſedentem quempiam aut ſtantem, vidit? Minimè verò: Quia non habemus hîc manentem Ciuitatem,nec futuram adhuc poſſidemus,ſed inquirimus,& vt in eo ſimiles Angelis euadamus*: ſummo ſtudio ac diligentia, vnà cum illis elaboremus, ac debitum eis cultum impendamus; quod dum præſtare conamur, Vos ô Angeli ſancti,gratiam cælitus impetratam,nobis communicate,& ad Sanctorum Angelorum genuinum, Deoq; gratiſſimum cultum,atq; imitationem,nos inflammate.

Matth. 20.

In Pſal. 90.

Hebr. 13.

II. Oblatio munerum votiuorum.

Videbitis cælum apertum,& Angelos Dei aſcendentes ac deſcendentes, ſupra filium hominis. Et quis ille filius hominis? non Chriſtus ſolùm, ſed & omnes ex Adamo propagati, qui in Chriſtum credunt. Si noſce aueas, quibus medijs Angeli ſancti ritè colantur? Sancti Auguſtini doctrinæ inſiſtens,aio & affirmo: Sicut Deus optimus,Maximus, in templis ſuis, cultu Latriæ, varijs muneribus colitur: Nunc hi cæram, illi oleum,iſti cereos,alij aras, precioſam veſtem, artificioſas imagines, calices aureos donant: ſimilibus etiam, Duliæ cultu,ſancti Angeli, poſſunt honorari: *Æquum eſt*,inquit S.Auguſtinus,*monitos nos, à Pſalte Regio, vouere & reddere. Fiet id duplici modo? Sunt qui ceram, oleum, telam, ſimilam, odores, aurum argentum dent: ſed hæc niſi à ditioribus non expectes. Nobiliora his munera habemus,etiam è pauperum arculis depromenda,quæ Angelis oblata, non poterunt non eſſe gratiſſima.* Ea verò ſic numerat S. Auguſtinus, auro prorſus ac Cedro ſcribenda: Primum eſt; *Quicunq; iram in alterum conceptam ſubſtrinxerit, & Dei amore iniuriam illatam,obliterârit,votum obtulit ille, oleum puriſſimum.* Alterum: *Si quis luxuriæ cæno volutari conſueuerit, reſipiſcat tandem, & excutiat ſordes,& animo ad Deum ſecretius clamet: Benigniſſime Domine, miſericordiſſime Deus,ſufficiat hactenus luſiſſe tecum. Hucusq; peccaui, te contempſi, legem*

Serm. 7. de Tempore.

1. Oleum obliuionis Iniuriarum

2. Cera candida propoſitum Caſtitatis.

gem tuam abieci, carnis meæ ſatoribus ſatisfeci. nunc, ô mi Deus, ad te redeo & voueo, nequitiam omnem dimiſſurum. Et hic obtulit candidiſſimam ceram, Virginem, chariſſimum vtique Angelis munus. Tertiò: *Si quis Inuidia laborans, ærumnis aliorum lætetur, felicitate aliena tabeſcat, quod eſt peccatum vſq; ad mortem, promittat & ipſe animo, amoris potius, quàm liuoris & inuidiæ, actus ſeſe meditaturum, & ipſe votum obtulit, aureoq; calice Angelos donauit.* Quartò: *Si quis iniuriam alteri, intulerit, aut etiam, quod abſit, grauiter læſerit, animum veneno plenum abſtinentia cruciet, & luctu, nec panem Angelorum tangat, dum ſe Deo, læſos ſibi, reconciliauerit; Et hic votum offert, collapſam Angelis Aram reſtaurat:* Quintò: *Si quis aliorum actiones carpere, ſuas non inſpicere, omnium honori detrahere, Maledicos dentes, nemini non infigere conſueuerit, Deo & Angelis ſic voueat. Huc vſq; de aliis dixi, me non inſpexi: Ego eram miſerior, & alios miſeros exiſtimabam. Satis, ô mea lingua, ſatis, meq; aliosq; perdidiſti; arctioribus te poſt hac vinculis conſtringam, ſeriò laſciuiam tuam emendabo. Et hic obtulit votum; grandem, ex optimo ære, ſtatuam Angelis locauit.* Sextò: *Si quis obſeruet, ſe Eleemoſinæ parcum, in egenos aſperum, in domeſticos tenuem, in omnes iracundum, voueat hic Deo & Angelis, manſuetam liberalitatem. Iſte quoq; munificum ſoluit votum: ſacrificam ex auro veſtem, Angelo donauit.* Septimò: *Si quis ſe humanæ laudis percupidum, arrogantem, iactabundum, inſolentem aduertat, voueat is ſubmiſſionem & modeſtiam: Periſtromata hic offert & tapetia, Angelorum æſtimatione ſupra modum precioſa.* Octauò: *Si quis vino, plus æquo indulgeat, & caliculis epotandis ſtudeat, voueat is ſobrietatem & frugalem menſam, grande votum, obtulit & iſte, aliquot vini veteris vrnas, Angelis ſacrauit.* Nonò: *Si quis languidum ſe fractumq; ad exercitia pia eneruem & lentum ſentiat, alacritatem is voueat, & ad Diuina feruorem. Precioſum & hic votum obtulit, argenteam, balſamoq; ardentem lampadem, Angelis ſuſpendit:* Hæc omnia & ſingula votiua munera Sanctorum Angelorum, honori nuncupata, ſancti rurſum Auguſtini verbis ſubſigno: *Cum hæc omnia, inquit, feceritis Chariſſimi, offertis Deo votum placitum, & quaſi remuneratis Chriſtum. Et poſt hæc veniet vobis benedictio, & vota veſtra offerentur ab Angelis, ante tribunal Chriſti:* Tunc ſentietis *cælum apertum, & Angelos Dei, ſupra vos deſcendentes.*

3. Aureus calix Abiectionis Inuidiæ.

4. Iniuriæ Compenſatio, Ara erectio.

5. Lingua refrenatio. Ærea ſtatua Angelis erecta.

6. Sacra veſtis ex auro liberalitas in pauperes.

7. Periſtromata inſtantia fuga.

8. Sobrietas Cadus vini veteris.

9. Lampas argentea, feruoris in pietate.

Honorantur à nobis ſancti Angeli, dum profundiſſimam illorum ſubmiſſionem, imitamur: In lege priſca, adorari ſe paſſi ſunt Angeli, aduoluit ſe illorum pedibus & *pronus in terram adorauit* Abraham. Adorauit Loth, & non interdixerunt. Adorârunt eos Ioſue, Tobias, Manne; non reprehenderunt. Adorârunt alij, non obſtiterunt; ſed neque contra humilitatem & ſubmiſſionem deliquerunt, temporis decoro, paruerunt. In noua lege, Exemplo moti, & velut, ſi profeciſſent, in virtute humilitatis, facti ſubmiſſiores, poſt tantam Domini Creatoris ſui abie-

II. Honorãtur imitatione ſua humilitatis.

Geneſ. 18.

Geneſ. 19.

1. Poſt incarnationem Chriſti non ſinunt ſe ab hominibus adorari.

Ioan. 13. ctionem, hunc ſibi cultum deferri, ſeq; adorari, vetuerunt: Viderant enim ſummum Deum, ad infimorum hominum, pedes, non procumbentem, tantum, ſed & lauantem. Ad hoc nouum inuiſumq; cælitibus ſpectaculum, ſe quodammodò attemperarunt, intraq; ſuam Naturam, ac morem, deſcenderunt; Ita Ioannem in Pathmo, iam procumbentem, *Apoc. 19.* iam adorare molientem, erigens Angelus: *Vide*, inquit, *ne feceris: Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum, habentium teſtimonium Ieſu Deum adora.* En ipſos cœli Principes, quodammodò, ſeipſis factos meliores. Miratur S. Gregorius: *Et quid eſt*, inquit, *quod ante redemptoris aduentum, Angeli adorantur & tacent, poſtmodum verò adorari refugiunt? niſi quod naturam noſtram quam antea deſpexerant, poſtquam hanc ſupra ſe aſſumptam, conſpiciunt, proſtratam ſibi videre, pertimeſcunt?* Ita Gregorius. *Homil in Euang de Aſcenſione Domini.*

2. Apparent habitu ac ſpecie mendici. Immò etiam à nobis mendicant iam Angeli, & quod Reges ac Cæſares, quandoq; non erubiſſe conſtat, veſte peregrina, ignoti, hoſpitium apud nos rogant. Sanctorum virorum complures, prout eorum res geſtæ teſtantur, eos habitu mendicorum, prandio refecerunt: Sic *Ioan Diac. in eius vita.* enim inter pauperes, quos S. Gregorius quotidie paſcebat, Angelus eſt, deprehenſus, & quidem habitu mendicabili, pauperrimi, cum & Rex illorum, in extrema egeſtate, inter beſtias hoſpitaretur. Felix ille, qui hanc Angelorum ſubmiſſionem, in omni vita, in corde habet, videbit vtique, in agone ſuo, Angelos ſupra ſe deſcendentes, vt eum contra ſuperbum Luciferum. & eius complices tueantur, protegant, atq; defendant.

III. Imitatione amoris in proximos.

Gen 22. *2. Eorum beneficia.* Honorantur à nobis ſancti Angeli, ſi eorum in Deum, & vel maximè in proximos, amorem & Charitatem imitemur: Angelus Iſaac à gladio vindicauit. Angelus vilem Ancillam Agar conſolatus eſt: Angelus *Gen. 20.* cum Iacob Patriarcha luctatus, vinci ſe paſſus eſt. Angelus Loth & filias, *Gen 32.* ab incendio liberauit. Angelus Tobiam incolumem, velut tabellarius, *Gen. 19.* *Tob 13.* duxit, & reduxit: Angelus Eliæ & Danieli cibum procurauit, illi panem *3. Reg 19* & fontanam aquam, huic Meſſorum delitias appoſuit. Angelus Philip- *Daniel. 7.* pum, ad Quæſtorem Candacis Æthiopum Reginæ miſit. Angelus ægro- *Actor. 8.* rum bono Aquam Probaticæ piſcinæ, Hieroſolymis turbauit; Ange- *Ioan 5.* los amor erga homines, quodammodò, in veſpillones transmutauit, *Luc. 16.* quando mendiculum Lazarum, non vnus, ſed plures Angeli in ſinum *Serm 40. in Cantica.* Abrahæ, deportârunt. Suis nos manibus portant, ne offendamus, vti *3. B Virgo, & S. Ioan. ab Angelis cibati.* maiores natu filij, fraterculos ſuos, minores, brachijs quandóq; circumgeſtant. *Nemo tam eſt impius, qui non gaudium creet Angelis, reſipiſcendo: Nam lachryma pœnitentium*, ait D. Bernardus, *ſunt vinum Angelorum.* Ab Angelis, *Soarez. diſp. 24. ſect 3 in p. 3 D. Thom.* Beatiſſimam Dei Matrem & S. Ioannem Baptiſtam, cibos accepiſſe, grauiſſimi Doctores aſſeuerant. Amore noſtri, viliſſima miniſteria, nunquam

Digitized by Google

quam Angeli recuſârunt. Nil illis gratius, quàm ſi eandem erga proximos Charitatem imitemur, & opere ipſo exerceamus: Tunc enim incredibili benignitate, ſupra nos *aſcendent & deſcendent*.

IV. Tolerantia laborum, circa noſtrã ſalutem.

Honorantur à nobis ſancti Angeli, ſi eorum patientiam, conſtantiſſimamq́, tolerantiam, imitemur. Quid enim de illorum, circa homines, ſolicitudine dicam? Illos etiam curandos ſuſcipiunt, quos damnandos ſciunt: *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: Derelinquamus eam.* Non prius tamen hominem deſerunt, quàm eum Diabolus, ſui Iuris factum, in æternos abripiat carceres. Quis olitor in horto ſuo, quis vinitor in vinea ſua, colenda tàm patiens, vt cum illum aut illam, votis non reſponſuram ſciat, nihilominus tamen & illum colendo, & iſtam fodiendo, exerceat? Eius tamen tolerantiæ ſunt Angeli, vel etiam in deſperatiſſimos, vt & ipſe Antichriſtus, Angelum, ad bonum, monitorem, ſit habiturus. Vidit quidem Iulianus Apoſtata, ſuum à ſe bonum Angelum diſcedere; ſed hoc monendo illi factum, vti Mater fugam ſimulat, vt infantis contumaciam frangat: Nos, ſi quem officij, bis teruè moneamus, abundè monitum cenſemus, & ceſſamus: Angelorum autem ingenium, longè à noſtro eſt diuerſum, nam centies & millies monent: *Quæſo te, omitte hoc: oro te, fac hoc*: Et quò præfractè magis, omittenda facimus, aut facienda omittimus, eò conſtantior eſt, eorum patientia; cuius tamen etiam quandoq́ue imitatores habuerunt: Nam *Ammoni Seni, & ægro, Ioannes Thebæus, totis duodecim annis mirabili, & patientia, & ſedulitate ſeruiuit. nunquam eum tetricus ſenex, vel mitiori verbulo dignatus eſt. Sed morti iam proximus, coràm alijs compluribus, prehenſa Ioannis manu; Hic iuuenis, inquit, non homo, ſed Angelus eſt: Fateor equidem, vix vnquam illum humanius ſum allocutus: tot annis tamen, ægrotanti mihi, mira, & induſtria & tolerantia, miniſtrauit.* Si hanc tu quoq́ue conſtantem, in ſupportandis proximis patientiam, in moribus tuis expreſſeris, ne dubita, ſanctos Angelos ſingulariſſimos Amicos, experieris, & ſenties, eos ſæpius è cælo, ad te deſcenſuros.

1. Damnandos licet non deſerunt.
Hierm. 51.
Simile.
2. Iulianus monitionis ergo ab Angelis deſeritur.
3. Exemplũ Ioannis Thebai.
Ex vitis Patrum. lib 3. cap 13.

V. Caſtitatis eorum imitatione.

Honorantur à nobis ſancti Angeli, ſi eorum caſtimoniam & puritatem mentis, & corporis, quantum in nobis eſt, conſectemur. Cum enim ſint *integerrimi Spiritus, ab omni ſorde carnis alieniſſimi*, vtique illis, ſummo eſt gaudio, & honori, cum quis eadem ſe caſtitatis veſte amicit, ſeque illis quantum conando poſſit, quàm ſimillimum reddit: nam vt S. Hieronymus aſſerit: *Eſſe Angelum, felicitatis eſt; Eſſe Virginem, Virtutis.* Narrat ſanctus Baſilius, Diocletiano & Maximiniano in Chriſtianos ſæuientibus, Theophilam Virginem, forma & proſapia nobiliſſimã cum à Lictoribus in Lupanar, vi traheretur, in via ſic eſſe precatam:

Epiſt. ad Euſtochium.
Lib. de vera Virginitate.

Mi-

Digitized by Google

G Theophilam Angelus in lupanari defendit.

Mi IESV, amor meus: O Sponſe mi, ô fons Caſtitatis, matura opem, & Sponſæ tuæ pudicitiam ſerua. Hoc cor, hoc os, hoc oculi lachrymis pleni, loquebantur. proſtibulum ingreſſa, Euangelium, vt mos erat Chriſtianis, lectura, protulit. Fuêre quidem, qui irruere auderent, nemo qui tangeret. Sedebat Virgo & legebat, venerandiſſimo vultu, ad omnem modeſtiam compoſito. Adſtabat iuuenis è cælo, pulchritudine inenarrabili, amæniſſimos ignes, oculis ſpirabat, itaque ſtrictorum oculorum Maieſtate, terrebat ingreſſos, vt impuram vim omnem, à virgine arceret. *Et hic adoleſcens*, inquit Baſilius, *virginis protector fuit, vt Virgineus Daniel Suſannæ.* Quid pluribus opus? Nemo amat Angelos, qui caſtitatem oderit. Vita caſta, gratiſſimus eſt Angelorum cultus. Supra caſtos, è cælo, lubens volensq; deſcendit, vt cum illis demoretur.

VI. Gratiarum actione.
Tob. 12.

Honorantur à nobis Angeli ſancti, ſi pro acceptis beneficijs eis ſæpius gratias agamus. Tobias filio, ſibi, & matri, & oculis, ſibi cæco, reſtitutis, Tobiam filium accerſens: *Quid poſſumus*, inquit, *dare viro iſti ſancto?* Cui filius: *Pater*, ait, *quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe, eius beneficijs?* & cæpit ea narrando percurrere. Et iterum: *Quid*, inquit, *illi adhuc poterimus dignum dare? quidquid demus, minus quàm promeruerit, dabimus. Et vocantes eum, rogare cæperunt vt dignaretur dimidiam partem, omnium, quæ attulerant, acceptam habere.* Quid nos noſtro Tutori Angelo, rependemus, pro tantis beneficijs, per tot annos, in nos collatis? Eccleſiaſticus monet: *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua.* Et quo loco nobis erit, fideliſſimus hic cuſtos, qui cura & fide ſinceriore, nos tuetur, quàm Reges & Principes, omne, quod ſuis alunt ſtipendijs, ſatellitium tueatur? Eſto ei gratus quotidie, & in omni tua neceſſitate, ſenties, eum, ad te, è cælo deſcendentem, tuiſq; commodis inuigilantem.

Eccleſ. 33.

H Methodus honorandi S. Angelos Cuſtodes.

XII. Hora noctis.

Singularem deniqúe, Sanctorum Angelorum cultum atque deuotionem, octo ſubſequentibus tibi, ô quiſquis es, pie Angelorum Cliens, hiſce monitis, velut in tabula propono, ex Hieremia Drexelij Horologio, Angeli Tutelaris.

Primum: Orationem Dominicam, & Angeli ſalutationem, ad honorandos nouem Sanctorum Angelorum Choros, quotidie nouies percurre.

Secundum: Litanias, officium, aliaſué preces, ſanctis Angelis inſcriptas, omni die, quantum per negotia licet, perſolue.

Tertium: Quotidie aliquid boni operis, aut aliquam tui victoriam, Angelis offerto.

Quartum: Cum è ſcripturis ſacris conſtet, Nouem eſſe, Angelorum Ordi-

Ordines, nouennarium numerum, in pijs præſertim exercitijs, in honore habeto.

Quintum: Caſtitati, ab Angelis, commendatiſſimæ Virtuti, ſingulari Zelo ſtudeto.

Sextum: Cultum eorum & venerationem, quantùm in te eſt, apud alios propagato.

Septimum: Odium atque Inuidiam omnem, & quidquid in mente, contra alios fellis, quidquid Inuidiæ, quidquid Odij, aut alienationis eſt, in gratiam illorum deponito. Amore Angeli, Dæmones Inuidia, ſunt inflammati.

Octauum: Angelorum præſentiam, in omni loco atque momento, coràm oculis habeto. Et hoc eſt conſilium, quod S. Eligius Nouiomenſis Epiſcopus, Dei verbum ouiculis ſuis prædicans, feruentiſſimè inculcabat: *Cauete attentius, & ſemper in Dei timore permanete, certi, vnumquemquè noſtrum, habere Angelum Dei, qui obſeruet iugiter, quid agamus, & ſiquidem benè agimus, gaudium afferimus, Angelis noſtris: Si verò malis operibus vacamus, Angelos ſanctos repellimus, & malignos Dæmones in ſocietatem adſciscimus. Hæc me loquente, vos chariſſimi, introrſus ad vos redite, in vos ipſos deſcendite, conſcientias veſtras diſcutite, num dignos Angelico conſortio, vos exhibeatis, explorate.* *Audoënus lib. 2. Vita S. Eligij cap. 6. Sur. Tom. 6. hiſt. Sanctor*

Angeli deniquè, prorſus eodem honore cultuquè poſſunt affici, quo cæteri Diuorum, quos precibus, Eleemoſinis, Ieiunijs, tanquam Dei amicos, deueneramur: Angeli Deum aſſiduis frequentant laudibus: hoc crebrior apud nos, oratio æmulatur: Angeli omnis criminis puriſſimi, caſtiſſimam integritatẽ, abſq; næuo traducunt: huic virtuti æmulando, frequentiora nos iuuabunt Ieiunia. Angeli beneficia ſua in nos, largiſſimè profundunt: Id Eleemoſynis noſtris, piè imitari conamur.. *II. Precibus Eleemoſynis, ieiunijs, viſitatione Eccleſiarum.*

Conſtantinus Imperatõr, verè pius, apud Conſtantinopolim, in vtroq; maris Euxini littore, illuſtriſſima duo Templa condidit, honori Archangeli Michaëlis. Imperator Iuſtinianus, eidem Archangelo Michaëli, & omnibus ſanctis Angelis ſex magnifica Templa, à fundamentis erexit, rectè perſuaſus, ſi hunc, alatarum Legionum, Ducem, qui tot potentiſſimos perduelles, in cælo, ſub iugum miſerat, & expugnârat, amicum haberet, bellum facilè, & felix cum Vandalis habiturum. Seraphicus Pater Franciſcus præter quadraginta diale Ieiunium Eccleſiæ alios inſuper quadraginta dies, inedia ſe macerabat, pro honore & cultu, ſancti Michaëlis Archangeli, & omnium ſanctorum Angelorum. Otto III. Imperator, Romanorum, teſte B. Petro Damiano, Roma in Apuliæ montem Garganum, ad Ædem S. Michaëlis, nudis pedibus, ad quinquagin- *III. Templorum ædificatione.* *Euſeb. lib. 2. Vita Conſtantini* *1. Conſtantinus & Iuſtinianus. In eius Vita. 2. Otto III. Imperator in vita S. Romualdi.*

quinquaginta milliaria Germanica,conficiendo,peregrinando contendit,idq; ſuaſu S.Romualdi,vt crimen paulò ante commiſſum , hac corporis afflictatione expiaret.Similiter etiam S.Imperator Heinricus,cum in monte Caſſino, ſancti Benedicti opera , & apud Deum interuentu , à calculo prodigioſè liberatus, religionis ergò, S. Michaëlem Archangelum,in monte Gargano,etiam viſitabat,vbi cum in Eccleſia S. Archangeli,in oratione pernoctaſſet,admiranda quidem , ſed iucundiſſima viſione,fuit à Domino recreatus : *Cum enim ſolitarius in Eccleſia oraret, vidit Chriſtum Pontificalibus indutum procedere, ac ſi Miſſam eſſet celebraturus , quem ſequebatur, vt Diaconus, S. Laurentius, vt Subdiaconus S. Vincentius. Poſt hos Virgo Dei Genitrix,cum multitudine Virginum, & S.Michael Archangelus , cum Exercitibus Angelorum. De hinc S.Ioannes Baptiſta,cum Patriarchis & Prophetis, poſt hos S. Petrus , cum Apoſtolis cæteris & Euangeliſtis ; poſt hos S.Stephanus cum Martyribus ; Sanctus Martinus cum Confeſſoribus , totaq; communitate omnium Electorum. Angeli ſancti inceperunt introitum : Suſcepimus Deus Miſericordiam tuam,in medio Templi tui : Et dum cantaretur , Dextra tua plena eſt Iuſtitia, omnes Chriſtum & Beatiſſimam Virginem imitantes , extenderunt indicem digitum,in Heinricum,penè orationi vacantem. Poſt Euangelium , indicibili Iubilo, Angelus librum,deoſculatum à Chriſto,præſentauit Virgini Dei Genitrici , & poſt eam Sanctis,per ordinem deoſculandum. Demum innuit Beatiſſima Virgo , Angelo,vt librum etiam Heinrico ibidem oranti, ad oſculum deferret , dicens : Præbe ei pacis oſculum,cuius mihi Virginitas placet. Sed cum Beatus Princeps , præ nimio gaudio captus , neſciret ad plenum intendere , Angelus ipſum , in neruo Coxendicis tangens,dicit : Hoc tibi erit ſignum dilectionis Dei,propter tuam Caſtitatem , & Iuſtitiam. Et exinde,vſq; ad mortem,aliquantulum, ſed non deformiter claudicabat,ex quo euentu,vocatus eſt,Heinricus Claudus.* Hîc idem præſtitit Angelus Domini,& idem peculiaris,Dei,erga ipſum amoris ſignum, impreſſit ſancto Heinrico,quod olim Angelus, Patriarchæ Iacobo colluctans, ſolo tactu fæmoris,infixit : *Cum eſſet ſolus , ecce vir luctabatur cum eo , vſq; manè. Qui cum videret , quod eum ſuperare non poſſet , tetigit neruum femoris eius,& ſtatim emarcuit. Quam ob cauſſam,non comedunt neruum filij Iſrael , qui emarcuit in femore Iacob,vſq; in præſentem diem , eò quod tetigerit Angelus neruum femoris eius,& ſtatim obſtupuerit.* Admirabile prorſus,in vtroque,cæleſtis beneuolentiæ ſignum,Angelorum opera collatum. Et ſanè,quanti *Sanctiſſimus Imperator Heinricus* , æſtimaret , cæleſtis militiæ vexilliferum,ſanctum Archangelum Michaëlem , & alios omnes Angelos ſanctos,vel ex eo abundè commonſtrauit, quod Bambergam redux , inſignem,ſub nomine S. Archangeli Michaelis , omniumque Sanctorum Angelorum , Baſilicam erexerit , & adiuncto & fundato peculia-

ri cæ-

3. S.Heinricus.
In eius vita.
IV. Admiranda & iucundiſſima viſio S.Heinrici.
Nauclerus Chronici. Tom.2.
Gen.34.
Dithmarus Grantzius, Martinus Hoffmannus in Chronico manuſcripto
Euangeliorũ liber deoſculandus,ab Angelo, S.Heinrico defertur.
Gen. 32.

ri cœnobio, vtrumque Patribus Ordinis ſancti Benedicti, conſignârit.

Ad vos nunc ſermonem meum conuerto, Angeli ſancti, nîl nobis magis eſt in votis, quàm vt vos poſt Deum & Beatiſſimam Virginem Dei Genitricem, debito cultu & honore proſequamur: ſed nota eſt vobis paupertas noſtra. Vos igitur votiua illa donaria, cælitus ſubminiſtrate, vt officio noſtro ſatisfaciamus: Vos *Oleum* obliuionis Iniuriarum, *Ceram* Caſtitatis, *aureum Calicem* Eliminationis Inuidiæ, *Auream Veſtem* Liberalitatis in pauperes, *Argenteam lampadem* feruoris in pietate, *periſtromata* iactantiæ fugæ, reliquumque apparatum, honori veſtro debitum, qui meritis apud Deum locupletiſſimi eſtis, nobis comparate. Trahite nos, obſecro, *vt in odorem vnguentorum veſtrorum curramus*, veſtramque *Humilitatem*, veſtrum in nos *amorem*, veſtram, in ſufferendis laboribus, *tolerantiam*, veſtram *puritatem*, digniſſimè, in omni vita noſtra, imitemur. Effectum date, vt beneficia veſtra iugi & aſſidua gratiarum actione, recognoſcamus, & nihil eorum, quæ honori veſtro propagando ſubſeruire poſſunt vnquam omittamus. Eſtote nobis inſiti quodammodò in corde, in lingua, in ore, in oculis, in conſpectu, vt omnes actiones noſtras, in Deum ritè dirigentes, parata beatis præmia, Choris inſerti, veſtris, feliciſſimè ac ſecuriſſimè perpetuò poſſideamus. Amen.

SERMO XXX.

In quo omnia de ſanctis Angelis hactenus dicta, vno veluti faſce comprehenſa, methodicè explicantur.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei. Matth. 18.

OStendit quidem, ſummus rerum opifex, omnipotentiam & Sapientiam ſuam, luculentiſſimè, quando hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, creauit, & immortalitate donatum, ſummi boni capacem reddidit, atq; in eius vſum, cælos cælorum, ſolem & lunam, Firmamentum & ſtellas, Elementa quatuor, & omnia quæ ex Elementis compoſita, totius mundi ambitu continentur, fabricauit: At multò præclarius eam exhibuit, quando ſanctos Angelos, ſubſtantias ſpirituales, ante mundi conſtitutionem, produxit, eosque tot gratiæ & naturæ donis, exornauit, vt

Digitized by Google

hac in parte, homines multis paraſangis præcedant: Hinc Dauid de ho-
Pſal. 8. mine, licet ad Imaginem Dei formato, affirmat: *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis gloria & honore coronaſti eum.* Cum itaq; ſatis multa de Sanctorum Angelorum, Excellentiſſima Natura, Dignitate, Miniſterio, & beneficijs, tàm ſpiritualibus, quàm corporalibus, hactenus depromſerim, placuit, omnia & ſingula, præſenti ſermone, ad laudem Dei, Conditoris & ipſorum honorem Angelorum, noſtræq; ſalutis gratia, quodammodo in vnum faſcem collecta, vobis ante oculos collocata, repræſentare. Angeli ſancti, gratia Diuina cælitus impetrata, conatus noſtros dirigite & ſecundate.

I. Natura Angelorũ. Lib 2. Fid. Orthod. c. 3. Deſcribens S. Ioannes Damaſcenus, & ſuis quodammodò coloribus depingens, Angelicæ Naturæ Eſſentiam, inter alia ſic ait: *Angelus eſt Subſtantia intellectualis, ſpecie mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo miniſtrans; Secundum gratiam eius, Natura ſui, immortalitatem ſuſcipiens; cuius ſubſtantiæ ſpeciem ac terminum, ſolus, qui Creator eſt, nouit.* Horum eorundem Spirituum præſtantiam, deſcribens Propheta Ezechiel, inter cætera ſic ait: *Similitudo, ſuper capita animalium, firmamenti, quaſi aſpectus Criſtalli horribilis; & extenti ſuper capita eorum deſuper.* Quid eſt quod dicitur eſſe, ſuper capita animalium? Quia Angeli ſunt, ſuper mentes hominum, ſenſu vtentium; Homines enim à Philoſophis definiuntur eſſe animalia, Ratione à Deo prædita & ornata. Quid eſt, quod dicuntur habere, ſimilitudinem Firmamenti, & Criſtalli? Eorum incomporabilis pulchritudo, ſignificatur, quæ duplex eſt; vna ex Natura, altera ex Gratia. Propter pulchritudinem ergò Naturæ, habent ſimilitudinem Firmamenti, quod eſt Cælum ſtellatum, habens puritatem, Claritatem, & Incorruptibilitatem: In quibus etiam conſiſtit naturalis pulchritudo Angelorum. Puritas eſt in Angelorum ſubſtantia: Claritas in eorum intelligentia. Incorruptibilitas, in vitæ longeuæ æternitate. Propter Puritatem S. Angeli à B. Dionyſio vocantur *ſpecula.* Propter Claritatem vocantur *lumina*; Propter æternitatem, appellantur *ſubſtantiæ immortales*; Pulchritudo gratiæ, deſignatur in Criſtallo: *quaſi aſpectus Criſtalli horribilis*: Sicut enim Criſtallus, ex aqua fluida & mobili congelatur, in ſummis montibus, perpetua tamen vigoris duritie ſolidatur: Sic licet Angelica Creatura primò per liberum arbitrium fuerit mobilis, creata, in his tamen, qui non ceciderunt, per Conditoris gratiam immobiliter in bono conſeruantur.

I. Viſio Myſtica Ezechielis. Ezech. 1. S. Gregor. Super Ezech.

Quid eſt quod dicitur, habere aſpectum quaſi Criſtalli horribilis? oſtenditur eorum potentia & fortitudo, mortalibus meritò formitanda,
4. Reg. 19. cum vnus Angelus, in caſtris Sennacherib, ob atrociſſimas eius blaſphemias, & centum & octoginta quinque millia hominum, vnica nocte trucidarit.

Digitized by Google

cidârit. Hinc Angelus Danieli apparens, viſus eſt in ſpecie terribili, vt metu exanimatus, ceciderit ſemiuiuus in terram. *Leuaui oculos meos, & vidi, & ecce vir, veſtitus lineis, & renes eius accincto auro obrizo & corpus eius quaſi Chryſolitus, & facies eius, quaſi ſpecies fulguris, & oculi eius, vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorſum ſunt, quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum eius, quaſi vox multitudinis.* Sic Angelus forma terribili apparuit S. Ioanni Euangeliſtæ, in Inſula Pathmos: *Caput eius & capilli erant candidi tanquam Lana alba, & tanquam nix, oculi eius tanquam flamma Ignis, & pedes eius ſimiles Aurichalco, ſicut in camino ardenti, & de ore eius, exibat gladius, ex vtraq; parte acutus; Et facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua: Et cum vidiſſem, cecidi ad pedes eius, tanquam mortuus*: Sic cum Chriſtus reſurrexiſſet, dum Angelus deſcenderet, de cælo, vt reuolueret lapidem ab oſtio monumenti, ait Euangeliſta: *Et ecce terræ motus factus eſt magnus, Angelus enim Domini deſcendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, ab oſtio monumenti, & ſedebat ſuper eum: Erat autem aſpectus eius, ſicut fulgur, & veſtimenta eius ſicut nix. Præ timore autem eius, exterriti ſunt Cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.* Ecce terribilem fortitudinem Angelorum. Hæc autem fortitudo Angelica vt eſt formitanda malis, ſic eſt iucunda bonis, vnde dicitur extenti ſuper capita eorum deſuper, vt protegat iuſtos, dicente Dauide: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & de manu peccatoris liberabit eos.* Hæc virtus eſt extenta, quia complectitur omne tempus. Non enim ſeneſcit virtus Angelica, ſicut humana ſenio deficit: Extendit ſe ad omne corpus, quoad motum localem, nam omnia Angelis obediunt, ad nutum: Et tàm fortis eſt quilibet Angelus, vt in momento, poſſet totum mundum ſubuertere, Deo permittente: Ecce Naturam Angelicam.

Dan. 10. *Apoc. 1.* *Matth. 28.* *Pſal. 33.*

Quid exiſtimatis dilecti, Deum innuere, voluiſſe, quando per os Dauidis, Angelos ignis Nomine expreſſit: *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem?* Arcana innumera ignis: Hieroglyphicum Symbolum eſſet: Similes ſunt igni ſancti Angeli, ſi conſideremus eos, quoad Subſtantiam, quæ eſt ſubtiliſſima, Repræſentat eos nobis ſubtilitas ignis, minimè omnium rerum corporalium materiam participantis: En tibi materiæ expertem & ſubtilem ſubſtantiam Angelorum. Ignis ob nimiam ſubtilitatem, corpulentiam omnem excludere videtur, cum in ferro non alium occupet locum, quam ipſum ferrum. En tibi ſimulachrum incorporeæ ſubſtantiæ, Angelorum, ob nimiam ſubſtantiæ ſuæ, teneritudinem. Ignis eſt nobis inuiſibilis in ſua Sphera; Sic Angeli ſunt nobis inuiſibiles, oculis corporalibus, niſi in corporibus aſſumptis, dignentur apparere. Similes ſunt Igni, ſi conſideremus, Ignis ſublimitatem, quoad ſitum: Nam altior eſt, reliquis omnibus Elementis, idquè

II. Angeli cur Ignis vrens? *Pſal. 103.* *1. Quoad ſubſtantiã.* *2. Situm.*

Digitized by Google

propter leuitatem: Sicut igitur ſphera ignis, eſt locata ſuper ſpheras omnium Elementorum, Sic Angelica Natura, collocata eſt in cælo Empyreo, ſuper omnes ſpheras mobilium & immobilium cælorum. Sicut Ignis eſt ſibi ipſi ſufficiens, vt abſque alicuius nutrimenti, vel Materiæ extraneæ, ſubſidium, per ſe ſubſiſtere & conſeruari poſſit: Sic Angeli ſunt formæ per ſe exiſtentes, & ſubſiſtentes, corporalis materiæ adiunctione non indigentes, ſicut indiget humana anima corpore quoad tria: Ad ſpeciei conſtitutionem, quia anima ſeperata, non eſt homo perfectus. Ad ſui multiplicationem, quæ originem ex materia ducit: Ad intellectualem perfectionem, quæ indiget inſtrumentis corporeis organizatis. Ignis extra locum ſuum ſemper ſurſum tendit: Sic Angelus intellectu ſuo, ſemper fertur in Deum. Ignis in ſua ſphera, ſemper mouetur motu cælorum: Sic Angelus, ad peragenda omnia miniſteria, mouetur motu voluntatis Diuinæ; Vnde Pſalmographus vates iubet: *Benedicite Domino omnes virtutes eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.* Sicut ignis vbi deficit, diſparens, ſurſum verſus ad locum naturalem tendit: Sic Angeli, licet quandoque miniſtrando deſcendunt & apparent hominibus, ſpecie corporali, completis tamen Miniſterijs, diſparent, & redeunt in cælum, vnde Angelus Raphael affirmabat: *Tempus eſt vt reuertar ad eum qui miſit me.*

Pſal. 102.

3. Quoad potentiam.

Sunt Angeli ſimiles igni quoad potentiam & exceſſiuum calorem, vnde virtus eius non coarctatur ad vnum combuſtibile, ſed ſi eſſet combuſtibilia infinita, ignis, ſemper vreret minus conſumere ceſſaturus: Sic poteſtas Angelica, ſe extēdit ad omnes Creaturas, in ſpecie, quas Deus per Angelos gubernat: Vnde S. Auguſtinus ait: *Vnaquæq; res viſibilis in hoc mundo, Angelicam ſibi præpoſitam habet poteſtatem, à qua ad finem ſuum dirigatur.*

Li. 83. quæſt.

4. Quoad illuminationem.

Igni ſunt ſimiles Angeli, quoad illuminationem; ſicut enim ignis ſplendet & illuminat obſcura; Sic Angeli mira claritate effulgeſcentes, & à Deo illuminati, illuminant homines, eoſq; imbuunt & informant, cæleſtibus myſterijs, ac diſciplinis: Quàm ſcitè igitur Regius Vates, eorum Naturam viuis coloribus quodammodò illuſtraturus ait: *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & Miniſtros tuos ignem vrentem.*

III. Angelorũ pulchritudo.

Quod ſi pulchritudinem Angelicorum ſpirituum contemplari velitis, ea tàm eſt ſpectabilis, tàm elegans, tamque venuſta, vt humanus oculus, ſine corporis interitu, ferre non poſſit. Vnde Daniel & S. Ioannes, cum Angelus, tantùm imaginaria viſione, eximiam pulchritudinem ſuam oſtenderet, ita exanimati fuēre, vt mortui propè corruerint in terram. Quid futurum erat, ſi realem illorum & naturalem pulchritudinem, in propria forma conſpexiſſent? O quantus erit ſplendor ille, quanta pul-

ra pulchritudo, Angeli, de qua S. Anſelmus affirmat: *Si infimus Angelus ſtaret in cælo ſtellato, & tot eſſent Soles, quot ſunt Stellæ, Angelus tamen incomparabiliter pulchrior appareret, quàm cælum, tot ſplendidiſſimis, vt ita dicam, Solibus exornatum.* Adde Angelos, non eiuſdem eſſe ſpeciei, ſicut homines, ſed ſingulos ſpecie inter ſe diſcerni, vt vnus altero ſit pulchrior, aſcendendo ab infimo vſque ad ſupremum Angelum, qui proximus eſt, poſt Dei filium & matrem eius Glorioſiſſimam, quæ omnium Angelorum Regina eſt inaugurata. *In ſimilitudinibus.*

Quod ſi in multitudine populi Dignitas Regis, & in paucitate plebis, ignominia Principis: Et ſi *millia millium miniſtrent* Deo, & *decies centena millia aſſiſtent* ei; *Si non eſt numerus militum eius*: Si *currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium in eis*; Non abs re Diuus Thomas adſtruit, eorum numerum millies millies ſuperare numerum hominum, qui vixerunt, viuunt & victuri ſunt, vſque ad finem mundi: Immò quemadmodum Cæli Magnitudo longiſſimo interuallo ſuperat omnium aliorum corporum magnitudinem; Sic Angelorum multitudo, numerum rerum corporearum; Et rectè ſanctus Dionyſius: *Maior eſt numerus Angelorum cuiuslibet ordinis, quàm in mundo ſit in vllo ordine rerum materialium*; Ergò plures ſtellis, folijs, graminibus. O quanta iucunditas erit, in iſta, tot nobiliſſimorum Spirituum ſocietate, perpetuò lætari, cum nos caduca iſta, & terreſtris pulchritudo tantopere afficiat? O gaudium, omne gaudium ſuperans & excedens. *IV. Numerus.* *Pſal 69.* *In 1. p q. 50. art 3.* *Cap. 9. de Cæl. Hierar.*

Quod ſi Angelorum officia, & diſtinctionem illorum, in curia cæleſti agnoſcere, cupiatis: Docet S. Dionyſius Areopagita, Ecce *tres Angelorum Hierarchias, & nouem ordines*: *Eſt autem Hierarchia*, inquit Dionyſius, *rerum ſacrarum, & rationabilium ordinata poteſtas, in ſubditis, debitum retinens principatum.* Accipite ſimilitudinem, qua non ſolùm tres Hierarchias, ſed & ſingulos nouem ordines, pro humano captu, euidenter cognoſcatis. In aula Imperatoris, aut Regis in generali, ſunt duplices Miniſtri: *Quidam ſunt in palatio*, circa Regem, *quidam mittuntur.* Emiſſi ad negotia, iterum ſunt duplices: *Quidam mittuntur ad Regimen*, totius Regni. *Quidam ad Regimen locorum* vel Perſonarum determinatarum, atque ita, in Aula Principis, aut Regis, tres ſpeciales ſtatus inueniuntur: *Primus*, Aſſiſtentium Regi; *Secundus*, Miſſorum per Regimine generali; *Tertius*, Miſſorum pro Regimine ſpeciali. *V. Tres Hierarchiæ & nouem Chori.* *Li. de cæleſti Hierarchia.*

Et ſicut in Aula Regis, quilibet illorum ſtatuum, continet in ſe plura officia: Nam in primo ſtatu, Aſſiſtentium Regi, ſunt Camerarij, Conſiliarij, Commenſales, & Amici ſpeciales: Sic in prima *1. Hierarchia.*

Hierar-

Hierarchia Angelorum, ſunt tres ordines, 1. Velut Camerarij, qui ſecretioribus geſtis Principum aſſiſtunt, ſunt Seraphin, qui Dei dilectione integrè inflammantur, & magis ad ſecretam Diuinitatis participationem appropinquant, de quibus S. Gregorius: *Seraphin ardentes vel incendentes vocantur, quia ita Deo coniunguntur, vt inter hæc & illa, nulli alij Spiritus inter ſint, & quantò magis ardent, tantò vicinius illum vident.* 2. Ad modum Conſiliariorum, quorum eſt vigere ſcientia & diſcretione, ſunt Cherubin, pleni ſcientia, rerum Diuinarum, de quibus S. Gregorius iterum: *Sublimiora illa agmina, Cherubin vocata ſunt, quia tantò perfectiori ſcientia plena ſunt, quantò claritatem Dei vicinius contemplantur.* Ad modum ſpecialium amicorum quos Princeps menſæ ſuæ adhibet, ijsq; familiariter vtitur, ſunt *Throni*, in quibus Deus ſpecialiter reſidet, & requieſcit; Vnde S. Gregorius: *Throni quoq;, illa agmina ſunt vocata, quibus ad exercendum Iudicium, ſemper omnipotens Deus præſidet.*

Hom. de Angelis.

Hom. de diſtinct. nouem Ordinum.

2. Hierarchia.

Hierarchia ſecunda, velut miſſorum ad Regimen generale, totius Regni, continet, Aulæ Præfectum, Præſidentes, Marſchalcos, Ducis Exercitus, & ſimiles Dominos: Continet deinde Milites, defendentes totum Regnum. Continet vltimò Iudices Generales Curiæ & totius Regni. *Aulæ Præfecti* & præcipui officiales in Curia cæleſti, ſunt *Dominationes*, qui iugiter inſiſtunt Regimini vniuerſi. Et ad eos pertinet, Dei voluntatem, circa diſpoſitionem totius orbis, pernoſſe, & alijs demandare, quid, quo ordine, quomodouè ſingula exequendum, de quibus S. Gregorius: *Ea Angelorum agmina, quæ potius præeminent, pro eo, quod eis cætera ad obediendum, ſubiecta ſunt, Dominationes vocantur. Milites* totum Regnum defendentes, ſunt *Virtutes*, miracula patrantes, orbes cæleſtes mouentes aiente Chriſto: *Nam Virtutes cælorum mouebuntur*; ac denique Dæmonibus reſiſtentes, & eorum malitiam, vt inquit S. Gregorius, coercentes, ne perturbato aëre, cæterisq; Elementis, totius mundi machinam, in hominum perniciem conturbent, & omnis generis morbos & mala inducent. 3. *Iudices generales* totius Regni ſunt in Aula cæleſti *Dominationes*, qui ipſis quoque bonis Angelorum Spiritibus, præſunt, quæ agenda, præcipientes: *Qui ſubiectis alijs*, inquit S. Gregorius, *dum quæ ſint agenda, diſponunt eis, ad explenda Diuina Miſteria dominantur.* Tertius ſtatus in Curia Regis triplex continet officium: *Primò* pro Regum & Gubernatorum alicuius Regni, aut Principatus. *Deinde* Præfectorum ac Gubernatorum, alicuius Reipublicæ, Ciuitatis, Communitatis. *Tertiò* qui curam habent particularium Perſonarum, vt ſunt Conſules, Sculteti, & ſimiles inferiores Magiſtratus & Cuſtodes locorum. *Primum* ordinem in Hierarchia cæleſti, obtinet *Principatus*; de quibus Angelus ad Danielem:

3. Hierarchia.

Digitized by Google

lem: *Michael vnus de Principibus primis*; Et hi gubernant Regna & Prouincias, Populos, Nationes. *Secundum* tenent *Archangeli*, qui ſunt veluti Gubernatores particulares Ciuitatum, Epiſcopatuum, Dynaſtiarum; Ad tertium Cuſtodes peculiares alicuius loci, & perſonæ particularis. Et hi ſunt Angeli, infimi Chori, de quibus S. Hieronymus: *Magna dignitas animarum, vt vnaquæq; ab ortu natiuitatis, habeat proprium Angelum deputatum.* *In cap. 18. Matth.* Ecce nouem Angelorum ordines, & earum officia.

VI. Pictura Angelorum. Sed quid cauſſæ eſt, cum Angeli ſint Spiritus inuiſibiles & incorporei, pingantur tamen, cum omnibus humanis membris, velut alij homines? Quia in humanis corporibus, viſibiliter hominibus apparent, vnde etiam, cum humanis membris depinguntur, & varia etiam corporis membra, ijs, in ſcripturis Diuinis, per quandam ſimilitudinem attribuuntur, in quibus variæ actiones, eorum, inuiſibiles exprimuntur. Depinguntur eum *longis comis*, *& reflexis capillis*, vt per eorum mentales affectiones, & ordinatæ cogitationes intelligantur: Nam capilli cogitationes ſignificant, & affectiones quæ naſcuntur ex radice mentis. *Aures* dicuntur habere quando Diuinam inſpirationem, recipiunt, quas vtique iudicant, & diſcernunt, easque nobis infundunt; *Nares* eis attribuuntur, quia peccata, velut putentia cadauera fugiunt, & Virtutes, quas aromata quædam odorifera diligunt, & inter munda & immunda malcolentia, ſuauiterque redolentia, ſagaciſſimè iudicant & diſtinguunt. *Ora, linguas & labia* habere memorantur: Quia Diuina ſecreta, quaſi nobis loquendo, proferunt, & Diuinis laudibus, continuò intendunt. *Imberbes* pinguntur, vt quaſi iuuenes perpetuò, neque viribus, neq; ſenio deficere, oſtendantur. *Dentes* habere feruntur, quia gratiam, quam à Deo accipiunt, quaſi commoliendo, diuidere, & alijs communicare conſueuerunt. *Brachia & manus* habent; Quia virtute ſua actiua, infirmitates noſtras ſuſtinent, & vſq; in finem, ab Electorum defenſione, & ſupportatione non deſiſtunt. *Cor & pectus* habere finguntur; Quia cum Deiformem habeant vitam, de ſuſceptione vitæ, Diuino Numini, gratæ, nobis manifeſtiſſimè cooperantur. *Coſtas & latera* habent; Quia omnia in ſe gratiarum munera tutò continent, & per eorum cuſtodiam, in hominibus pijs aſſeruantur. *Lumbos & femora* habere dicuntur, ſed veſtibus occultata, quia virtutes & gratias in ſe includunt, cingulo puritatis cincta quæ hominibus carnalibus ſunt occulta. *Pedes* habent, ſed naturaliter denudatos: Quia liberos habent affectionum motus, in Deum, ab omni carnali concupiſcentia puros & emundatos: Pennati & alati deſcribuntur, quia ſunt à cogitatione terrena, penitus alieni, contemplationis raptu ad Di-

Digitized by Google

uini amoris intima, intellectu & affectu, velut alis, iugiter euehuntur. Hæ ſunt cauſſæ, ob quas illis humana membra appinguntur.

VII. Aſſumptio corporū. *Cur verò aſſumunt corpora, & in illis hominibus apparent?* Corpora aſſumunt, non propter ſe, ſed propter nos, vt familiariter cum hominibus conuerſando, demonſtrent iucundiſſimam ipſam ſocietatem, quam homines cum illis in cælo ſunt habituri: Corpora in veteri Teſtamento, aſſumpſerunt, vt indicarent, verbum æternum aliquando corpus humanum aſſumere decreuiſſe: Si quæras, *an vera corpora humana aſſumant, necne?* ℞. Vt plurimum non aſſumere vera corpora, humana, ſed corpora ex aëre, diuina virtute formata. Oggeris, *Aër eſt res viſibilis, nec habet figuram, nec colorem, quomodo ergò corpora ex aëre, poſſunt formare; quæ exprimant lineamenta corporis humani?* ℞. Licet aër manens in ſua raritate, figuram non habeat, vel colorem, tamen quando condenſatur, colorari poteſt & figurari, vt in nubibus apparet. Simili modo, humana voce loquuntur, licet nec linguam, nec pulmones, nec arteriam raucam, & cætera corporis humani inſtrumenta habeant: quia naturali virtute ſua, aërem & ventum ita artificioſè poſſunt contemparare, vt exinde humana vox exiſtat, quod mirum non eſt, cum ventus in fiſtulis organi variè coactus, varios etiam ſonos & voces edat, vt experientia patet. Sed *quò perueniunt illa corpora, quando Angeli diſparent?* Iterum ab Angelica virtute dimiſſa, reſoluuntur in aërem ex quo erant formata.

VIII Locutio. Si quæras, denique: *Annon & Angeli ſibi mutuò loquantur in cælo? Quænam ipſorum ſit loquela, cum ora & lingua, ibi non habeant vt homines?* Si quis cogitationem habeat, quam velit alteri manifeſtari, illo ipſo momento, alterum eam cognoſcere. Hoc etiam modo, Beati ſibi mutuò colloquuntur in cælo, antequam etiam corpora recipiant, in generali reſurrectione.

II. Officia Angelorū. *I. Ex ſcripturis.* Vultis eorum officia plenius agnoſcere? *Angelorum eſt*, ſemper Deum videre. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.* *Angelorum eſt*, ſemper Deo aſſiſtere eique miniſtrare. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei.* Et rurſum: *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu Throni.* *Angelorum eſt*, Deum ſemper laudare iuxta mandatum Dauidis: *Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius.* *Angelorum eſt*, hominibus ad ſalutem inſeruire: *Ipſi enim ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium eorum, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, ait S. Paulus: *Angelorum eſt*, homines vbiq; protegere, defendere & cuſtodire: *Angelis enim ſuis*, inquit Dauid, *Mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* *Angelorum eſt*, hominum orationes Deo offerre; Hinc Angelus Raphaël dicebat ad ſeniorem Tobiam: *Quando orabas*

Matth. 18. *Dan 3.* *Pſalm. 149.* *Hebr 1.* *Pſal 90.* *Tob. 12.*

orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. Angelorum eſt, homines à peccatis præſeruare & liberare. Contigit hoc Iſaiæ Prophetæ fatenti: *Volauit ad me vnus de Seraphin, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigi labia tua, & auffe`retur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. Angelorum eſt officium*, homines puſillanimos & in afflictionibus conſtitutos, cófortare: Sic Chriſto Domino, præ anguſtia doloris, ſanguinem ſudanti, *apparuit Angelus, confortans eum: Angelorum eſt*, Ægrotos ſanare: Sic Angelus Raphaël cæcitatem Tobię ſuſtulit, & viſum ei reſtituit. *Angelorum eſt*, Dæmonem compeſcere, ne tantum hominibus noceat, quantum nocere deſideret, & ne omnem furorem ſuũ effundat: Sic Angelus Raphaël Aſmodæum coërcuit, ne Tobiam læderet, eique, ſicut prioribus Saræ maritis, collum, fracto iugulo obtorqueret. Sic Angelus, vt videt S Ioannes, apprehendit Diabolum, & miſit eum in Abyſſum & clauſit, ne pro libitu amplius nocumenta hominibus conſciſat. *Angelorum officium eſt*, futura hominibus reuelare, à Deo concedenda beneficia prænunciare: Sic Saræ conceptum Iſaac, ſic Manue Patri Sampſon ortum, filij Sampſonis, ſic Zachariæ conceptum Ioannis, ſic Virgini Deiparæ; ortum Saluatoris prædixit; *Angelorum officium eſt*, animas deducere in cælum, promittente Domino: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam.* contigit in reipſa mendico Lazaro, qui Angelorum manibus, deportatus eſt in cælum. Ecce ô Chriſtiani, quanta ſit, dignitas Angelicæ Naturæ, à qua tot & tanta beneficia in hac peregrinatione, poſſumus expectare: vt veriſſimè dicat S. Dionyſius Areopagita: *Animæ hominum per Angelos, veluti optimos Duces, ad bonorum omnium Principem promouentur.*

Eſaia. 6. *Luc 22.* *Tob. 11.* *Tob 8.* *Apoc. 20.* *Gen. Iud 6.* *Luc. 1.* *Malach. 3.* *Luc. 15.* *Cap. 4. de Diuin. nom.*

Quid tu ſentis, de Angelorum excellentia, S. Gregori Magne, Eſtnè Angelica natura præſtantior humana? *Magnum inter vtrumq; eſt diſcrimen*, reſpondet S. Gregorius: quanam in re? *In hoc eſt Natura Angelica, à noſtra Natura conditione diſtincta. Quia nos & loco circumſcribimur, ſed tamen eorum ſcientiæ, longè ſuper nos incomparabiliter dilatantur. Interius & exterius, ſciendo diſtincti ſunt, quoniam ipſum fontem ſcientiæ contemplantur. Quid enim de his, quæ ſcienda ſunt neſciant, qui ſcientem omnia ſciunt.* Tu S. Pater Auguſtine, quid ſentis de Excellentia, Naturæ Angelicæ? *Angelica Natura cætera omnia, quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcellit.* Quid tu de Angelorum præſtantia ſentis, S. Pater Iſiodore? *Angeli*, inquit, *natura mutabiles conditi, ſed facti ſunt contemplatione immutabiles, animo impaſſibiles, mente rationales, ſtirpe æterni, beatitudine perpetui. Mutabilitas inerat in natura, ſed fecit eos incorruptos, charitas ſempiterna.* Quid tu de Angelorum officio ſentis, ſancte Pater Ioannes Chryſoſtome? *Aſſiſtit aliquis terreno Regi, omnibusq; modis molitur, vt quàm plurimam erga illum reuerentiam* exhi-

II Ex Patribus. *Lib. 2. Moralium.* *Lib 11. de Ciuit. Dei cap. 14.* *De ſummo bono.* *Hom. 1. in Iſaiam, ſuper verba, vidi Dominum.*

Digitized by Google

exhibeat quò per hoc maiorem illius erga ſe conciliet beneuolentiam, cuius gratia, non ſolùm ſpecie capitis, verùm etiam, ipſa voce manuum compoſitione, ipſa pedum coniunctione, totiusq; corporis contractione, talem reuerentiam, conatur oſtendere. Hoc & ab illis incorporalibus virtutibus fit. Cum enim plurimam habeant erga Conditorem reuerentiam, & hanc vndiq; conentur præſtare, deinde quoniam non aſſequuntur quod appetunt, quod deeſt affectui hoc velo obtegunt, dum facies alis ſuis cooperiunt. Quid tu de Angelorum dignitate, & officio ſentis, S. Pater Epiphani? *Angelici Spiritus ad hoc à Creatore deputati ſunt*, inquit, *vt laudes æternas, illi ſupremæ Maieſtati modulentur: Vt immortalem Deum glorificent, ſine fine: Vt totum mundum, huiusq; vniuerſi, omnia & ſingula gubernent, & moderentur, vt hominibus aſſiſtant, vt Regna, Prouincias & Nationes, imperio ſuo regant & conſeruent.* Quid tu de Angelis ſanctis ſentis, vetuſtiſſime Doctor Origenes? *Adeſt vnicuiq; noſtrum, etiam minimis, qui ſunt in Eccleſia Dei, Angelus Domini bonus, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus noſtris corrigendis, & miſerationibus expoſcendis, quotidie videat faciem Patris, qui in cælis eſt.* Quinimmò, Agunt Angeli diem feſtum, lætantes ſuper his, qui refugientes conſortia Dæmonum, per Exercitia Virtutum, Angelicis feſtinant ſociari conſortijs.

Hæreſ. 4.

Hom. 71. in Num.

Serm. de Angelis, in Pſal. 90.

Quid reſtat ergò, S. Pater Bernarde? Audite S. Patris admonitionem, & cordibus veſtris, ô deuoti fideles, imprimite: *Simus deuoti, ſimus grati talibus Cuſtodibus, redamemus eos, quantùm poſſumus, quantùm debemus affectuoſè, tanquam futuros aliquando cohæredes. Et quoties grauiſſima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere inuoca Cuſtodem tuum, directorem tuum, adiutorem tuum, in oportunitatibus tuis. In tribulatione verò, neq; dormitat, neq; dormiet, & ſi quandoq; ad tempus diſſimulet.* Et paucis interiectis addit S. Bernardus: *Væ nobis ſi quando prouocati ſancti Angeli, peccatis & negligentijs noſtris, indignos nos iudicauerint, præſentia & viſitatione ſua; Et quorum præſentia protegere nos, & propulſare poterat inimicum. Quod ſi neceſſariam habeamus familiaritatem dignationis Angelicæ, cauenda eſt nobis eorum offenſa, & in his minimè vita exercenda, quibus eos non nouimus oblectari. Hæc autem placent eis, quæ in nobis inuenire delectat, vt eſt Sobrietas, Caſtitas, Paupertas voluntaria, Creber in cælum gemitus, & ſuper hæc omnia, veritatem & pacem à nobis exigunt.* Quid plura de ſanctis Angelis memorem? ſint Natura Caſtiſſimi, & ab omni amore prorſus alieni. Vis eorum Choris in cælo aggregari? *Sint lumbi* tui *præcincti, & ardentes* bonorum operum, *in manibus tuis* lucernæ effulgeſcant. Sunt natura *frugaliſſimi*, & in omnibus affectibus temperandis *moderatiſſimi*. Cordi ne tibi eſt, eorum iugi contubernio perfrui in cælo? Talis eſto in victu, talis in veſtitu, talis in moribus, & omni conuerſatione, vt temperantiæ modum nullibi tranſgrediaris, &

voti

Digitized by Google

voti compos efficieris. Sunt *charitate* erga nos *inflammatiſſimi*, noſtræque ſalutis feruentiſſimi zelatores: Eorum iugo aſſiduaq; beneficentia potiri exoptas? redama eos ex toto & integro corde, & certus eſto, nunquam ab eorum gratia excluderis: Sunt *pacis* & concordiæ *ſtudioſiſſimi*; iucunda eorum conuerſatio te delectat? Habe pacem cum Deo & proximo tuo, & pacificè eorum familiaritate nunquam deſtituêris. Sunt *laudis Diuinæ cupidiſſimi*, ſunt *honoris Diuini* propagatores, *vigilantiſſimi*, ſunt Voluntatis Dei executores ſolertiſſimi, ſunt obſequijs Diuinis addictiſſimi, ne te imitari pigeat, quod in illis admirari & ſuſpicare delectat: Angelicis certè ſeruitijs in omni neceſſitatis caſu præuenieris.

Vis Angelos Diuinis laudibus vacantes, audire? In vita S. Hiltrudis & ſimul in Annalibus Annoniæ legitur, cum in Eccleſia, in qua eadem ſancta requieſcebat, hominis peſſimi cadauer ſepultum eſſet, ſupra eum horribilis Dæmonum vlulatus tantiſpèr auditi ſunt, quouſque Cadauer illud maledictum, exhumaretur, & in ſterquilinium proijceretur. Dum demum, ſuauiſſimi Angelorum concentus, ſicut antea, per ſæpè inſonuerunt. *Volum. 2. lib. 12.*

Vis pulchritudinem Angelorum Sanctorum agnoſcere? Audi quid de S Lydwina in eius vita recenſeatur: *S. Lydvvina, Angelo Cuſtodi familiariſſima, viduam quandam, vt reciperet, ab ipſo petijt. Fecit Angelus, quod petebatur, tantaq; lætitia cor viduæ illius impletum eſt, vt longo tempore, à lachrymis ac gemitu abſtinere non poſſet: nec cibum illum capere; immò S. Lydvvina dicere erat ſolita, nullos dolores, nullam infirmitatem, tàm grauem eſſe, quæ non facile tolleretur, ſi modò vel ad ſpatium breuiſſimum, vnius Angeli pulchritudinem contemplari liceat.* Vnde facilè colligi poteſt, quanta ſit futura Beatorum felicitas, vbi non vnus Angelus, ſed tot millia, immò Chriſtus Dominus ac Deus ipſe, omnis felicitatis Fons & origo, facie ad faciem videbitur, non breui tempore, ſed in omnem æternitatem. *Sur. Tom. 7. eius vita. lib. 1. ad finē.*

Vis Angelum orantibus aſſiſtentem cernere? De B. Stephano primùm Carthuſiano, deinde verò Dienſi Epiſcopo ſic memorat author eius vitæ: *Orabat quandoq; coram imagine Crucifixi, & contemptationi inhærebat, & ecce ſubitò Angelus Domini, in humana effigie, qua ſolet à Sanctis conſpici, aſſiſtit ei, operibus & ſtudijs eius ſupra modum delectatus, quod & nutibus & verbis indicauit. Teſtes eius rei ſunt, qui oculis ſuis vidêre, homines Religioſi & fide digni.* *Sur. Tom. 5. hiſt. ſanct.*

Vis Angelos ad bonum exhortantes audire? Ado Treuirenſis deſcribit, quod hîc duximus inſerendum. *S. Victoria deſponſata Eugenio adhuc Ethnico, ſororem ſuam Anatoliam* (quam Titus Aurelius ſibi deſponderat) *ad matrimonium inducere conabatur, exemplis Prophetarum, Patriarcharum &c.*

ac ſpe conuerſionis mariti: ſed Anatolia reſpondit: Vince Diabolum, ô Victoria, Soror mea, atque oſtende te eſſe victoriam. Olim cum terra eſſet vacua, mandabat Deus, creſcite & multiplicamini, nunc verò terra plena, filio Dei è cælis deſcendente, clamat: Creſcite in fide, multiplicamini in Charitate, & replete cælos, quibus illa excitata exemplo, etiam ſorores, quæ Angelum viderat, eximio habitu, & verbis præclaris, ad Virginitatem hortantem, ornamentis omnibus diuenditis, precium pauperibus erogauit, ac in propoſito Virginitatis perſiſtens, per Telarchum, petente Eugenio, occiſa eſt. Carnifex autem correptus lepra, poſt dies ſex corroſus à vermibus interijt.

In vita apud Surium.

Vis Angelos audire conſolantes? *Aglae Matrona, pœnitentiam de prioris vitæ erratis, ab Angelo inuiſitur, & bono animo eſſe iubetur, ac de martyrio S. Bonifacij, & de eius corporis aduentu certificatur. S. Primus & Felicianus, fratres, egregij Martyres, per Angelum non ſolùm ſeparatim, inuiſuntur, verùm etiam poſt multa tormenta è carceribus liberantur.*

Marulus. lib. 3. cap. 9. in vitis Patrum.

Vis Angelos reprehendentes & caſtigantes ſpectare? *Ioannes quidam in Eremo Sceti, cum fratre natu maiore habitabat, volens ſemper rebus cæleſtibus vacare, tanquam Angelus, laborem manuum, & omnem pro victu, ſollicitudinem reijciebat, itaq; ex cella digreſſus, per deſertum hùc illucq; vagabatur, ſed tandem die ſeptimo ingenti fame oppreſſus, ad cellam redijt, atq; oſtium cellæ, in qua frater degebat, pulſare cœpit, quærit ille, quis nam eſſet? reſpondet ſe eſſe Ioannem, cui frater: nequaquam, inquit, meus enim frater eſt Angelus, nec cibo eget, nec habitatione hominum, atq; ita illum ſub dio, totam noctem illam, ſine cibo reliquit: benè manè, aperto oſtio, ſumma charitate accepit, refecit, &c. monuitq; deinceps, ne laborem manuum, quo & Spiritus excitatur, & vitæ neceſſaria acquiruntur, reijciat, quod conſilium ſecutus, ſanctus euaſit.* Pari modo *S. Aurea Abbatiſſa Pariſienſis, ſacrum audiens, Euangeliumq; à Diacono malè pronunciari intelligens, rapta ex eius humeris Stola, Euangelium ipſemet perlegit, verùm reprehenſa grauiter ab Angelo Cuſtode, vltroneam pœnitentiam lubens volensq; peregit.*

Pompeius Adigonius in vita S. Didaci habita in eius Canonizat. Ann. 1588.

Vis obſequia Angelorum, quæ Religioſis præſtant, intelligere? *S. Didacus iter faciens, ab Angelis lauto prandio reficitur, quàm plurimis alijs Religioſis idem beneficium, neceßitatis caſu, legitur exhibitum* Quis enim omnia recenſeret? De religioſo quodam defuncto, Humbertus, & ex illa Platina ſcribunt: *Hic ſocio ſuo apparens, tres albatorum ordinum homines oſtendit. 1. Geſtabant cruces humeris. 2. Manibus. 3. Non ipſimet, ſed Angelus qui eos præcedebat, crucem præferebat, explicatq;, quid hæc ſibi velint. 1. Sunt qui iam ſenes Religionem complectuntur. 2. Qui media ætate. 3. Qui in adoleſcentia vel pueritia.*

Et quod ſummi denique beneficij loco reponendum, Ex hiſtorijs inſtrui,

Digitized by Google

inſtrui, & ipſamet experientia doceri. Sanctos Angelos Clientum ſuorum animas in cælum comitari, id etiam probatum dabimus, atque ad finem contendemus: *Cum Tiburtius & Valerianus, fratres, pro fide Chriſtiana ad ſupplicium ducerentur, deflebat eorum ſortem Maximus Præfecti Cubicularius, quod eos cum tanta lætitia properare ad mortem cerneret. Cui Tiburtius: non equidem tàm libenter, breuem hanc & caducam vitam aſpernaremur, niſi poſt eam, aliam longè feliciorem, æternumq́; duraturam, expectaremus. adhæc ita Maximus: Si quæ dicis, vera eſſent, poſſem & ego præſentem vitam contemnere: Tunc Valerianus: Promitte pœnitentiam, & certus eſto, quod non multò poſt, noſtrum è vita diſceſſum, Chriſtus Dominus, hac de re certiorem te faciet. Quod cum iureiurando facturum ſe Maximus affirmaſſet, vt primùm ſupplicio affecti fuêre Martyres, vidit Maximus Angelos ſolis inſtar fulgentes, Martyrum animas, cum ingenti Triumpho ad cælos ducentes, quo viſo, eiuſdem ſpe præmij prouocatus Maximus, fidem profitetur, & Martyrij coronam adipiſcitur.*

Ludou. Granat. Conc. 3. Dom. 2. Quadrag. Sur. Tom. 6. 22. Nouem.

Cum B. P. Ignatius in monte Catino agens, pro ſalute ſocij ſui Hozij (quem Paduæ grauiter ægrotare, cognôrat) *Domino ſupplicaret, repente vidit in Spiritu animam ſocij, luce clariſſima radiantem, deducentibus Angelis, in ſublime ferri, ac paulò poſt, in ipſo Miſſæ introitu, lucidiſſimum cæleſtium agmen; eidem apparuit, ſic vt in ijs Hozium, eximio fulgore micantem, ſine vlla dubitatione; dignoſceret: Qua ex vtraq́; viſione, tanto eſt gaudio delibutus, vt multos dies, præ dulcedine, lachrymis temperare nequiuerit:*

Maffeius in vita lib. 2. cap. 6.

S. Maria Oegniacenſis. 12. annos nata, matrimonij vinculo, contra animi ſui affectum, à parentibus irretita, ipſa tamen pietati & vigori religioſo addicta, à marito facultatem ſibi continentis vitæ, fieri petijt, & impetrauit: claruitq́; viua miraculis, & iam moritura, Chriſtum cum Angelico comitatu præſentem, Beatiſſimam etiam Virginem, ad Cælos Ductricem habere promeruit; quod Angelis in vita ſimilis effici conata fuiſſet.

Iacobus de Vitriaco, apud Sur. Tom. 3. Marul. li. 4. cap. 8.

Cum deniq́ue omnes iſtos & pios ex hac vita emigrantes, Angeli ſancti in cælum vſque ſeruitijs ſuis proſequantur; tùm verò vel maximè obſequium, illud ijs præſtare ſolent, qui ſacro ſancto Corporis Chriſti viatico, communiti, mortalem hanc vitam deſerunt, alia beatiore, poſthac fruituri: *Sic S. Felix morti propinqua, extremam vnctionem pijſſimè ſuſceperat, poſtridie in ectaſin rapta, voce confeſſarij ſibi reddita eſt, vt SS. Euchariſtiam ſuſciperet. Qua ſuſcepta, videre ſibi viſa eſt; Angelos à Patre cæleſti* (cui filium ſuſceptum obtulerat) *mitti, vt ad cælum duceretur, adeò, vt inpoſterum ſummo moriendi deſiderio flagraret, cumq́; deficientibus viribus moneretur, vt Chriſtum ſponſum inuocaret, tenuiſſima voce dixit: IESV dulciſſime, IESV amor, ô mi IESV CHRISTE, loqui vltra nequeo, corde inuocabo. Et paulò poſt, ita anima puriſſima, in cælos euolauit.*

Cacciag in Catechiſmo in eius vitæ.

S. Ioanne.

Lib.6. de Sacerdotio. Niceph. li 13 hiſt. cap.37.

S. Ioannes Chryſoſtomus refert, intellexiſſe ſe à quodam viro Sancto, qui id non audierat ſolùm, ſed & viderat, in Spiritu, quo pacto ſancti Angeli animas eorum, qui dignè communicaſſent, ſuſciperent, & in cælum deducerent; Quocirca & ille, non ante ex hac vita diſcedere voluit, quam communicaſſet, ſignans ſe cruce & dicens: Tibi Domine gloria, & honor, ab omnibus Creaturis.

Petrus de Natalibus. lib.6.c.124. Clemens Marchant. in vita 22. Iulij.

S. Maria Magdalena, cum 30. annis mundo relicta, propè Maſſiliam cibi omnis, præterquam ab Angelis, quem erat ſolita accipere, expers, in eremo, Deo ſoli vixiſſet, ab Anachoreta quodam raptu Angelico, in cælum euehi viſa, ab eodem, propius accedente, rogauit, vt S. Maximinum Epiſcopum, cum SS. Euchariſtia, qua ante obitum ſe muniret, accerſeret, quo facto, viatico cæleſti inſtructa, felicem animam in manus Dei exhalauit. Sed vela vt contrahamus, & ad Sermonis noſtri, properemus, tempus ipſum nos cogit.

Vacauimus hactenus, & occupati fuimus, *ô ſancti Angeli*, veſtris laudibus deprædicandis, beneficijsq; commemorandis, & audiendis, atq; pectoribus noſtris æuiternam ad memoriam, grato animo, quodammodò inſculpendis. Is nobis erga vos affectus eſt, quem à nobis deſiderare poſſetis: ſcimus nos eſſe ſoluendo, quod vobis debemus. Et quia ſoluere non valemus, debitum relaxari, & indulgeri obſecramus, perpetua vt minimum gratiarum actione, obærati manentes. Gratiam, quæſumus, interuentu veſtro, apud Deum, obtineamus, vt veſtras virtutes, in omni vita noſtra, ſignanter exprimamus, & Deo Creatori ac Redemptori, placere ſtudeamus. Aſſiſtite nobis, in omni actione noſtra, ne à Iuſtitiæ Regula & norma, vſpiam deflectamus: Offendicula quæuis & ſcandala, & quaſcunque peccandi occaſiones, à nobis diſperite, & profligate, omnes Dæmonum Tentationes diſſipate, hoſtes viſibiles & inuiſibiles, ne nobis pro libitu, arbitrioq; ſuo, noceant, coërcete, pro nobis vbiq;, omni tempore, contra Stygios hoſtes, & in vltimo præſertim agone, vt victoriam reportemus, viriliter pugnate, coràm Diuino Tribunali, contra Calumniatorem & *Accuſatorem fratrum noſtrorum*, Diabolum, defenſate, & obtenta ſalutis æternæ ſententia, comitatu veſtro, ad cæleſtem patriam perducite, vt choris veſtris inſerti, ruinas Apoſtatarum Angelorum, inſtaurantes, Diuinitatis ſpeculum, iugiter contemplemur. Amen.

Ad gloriam Saluatoris IESV CHRISTI, *eius Glorioſiſſimæ Matris Virginis, & omnium Sanctorum Angelorum.*

Saluo ſemper in omnibus Sanctæ Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Iudicio & cenſura.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

INDEX RERVM ET MYSTERIORVM, QVÆ DE S. ANGELIS tractantur.

A.

Actiones vitales, an exercet Angelus in aſſumpto corpore. fol 89
Afflictos conſolantur Angeli. 104
Agonis vltimi certamen, quàm periculoſum. Serm.21. toto.
Alapam adoleſcenti infligit Angelus, correctionis ergò. 85
Altaria ſingula, ſuos habent Angelos. 62
Alæ quibus ad Angelorum Choros euolandum. 46
Amicitia Angelorum, & amicorum numerus infinitus. 21
Amicitia Angelica etiam in morte non extinguitur. Serm.23. toto.
Amicitia cum ſanctis Angelis ineunda. Serm.27. toto.
Amor SS. Angelorum ergà nos. 32
Angelorum Hierarchia ſimiles triplicibus Regum Aulicis miniſtris. 41
Angeli qui nam homines cuſtodiant? 49
Angeli ad Crucem Conſtantini audiuntur cantantes. 4
Angelorum memoria ipſis grata. 257
Animarum è vita emigrantium defenſor S Michael. 66
Antichriſtus quoq; habebit Angelum Cuſtodem. 55
S. Anuph variè miniſtrant & inſeruiunt Angeli. 11
Apparitiones Angelorum iuuenili forma, habitu candido. 88.&c.
Apparitiones Diuinæ Iuſtitiæ Angeli. 176
Arx cæli habitaculum Angelorum. 18
Auxiliantur nobis Angeli contra Sathanam Serm.20.& 21.toto.
Ægidij Dominicani mirabilis conuerſio. 163
Ægrotantibus Religioſis miniſtrant Angeli. 110.

B.

Beneuolentia Sanctorum Angelorum ergà nos. 22
Beneficia ſpiritualia S.Angelorum. Serm.17 18 19.20.integris.
Beneficia corporalia. Serm.13,14.15.16. integris.
Bruta animalia, & cætera Creaturæ naſcuntur cum ſua defenſione. Serm. 10. Exord.

C.

Cantores Diuinæ laudis Angeli. 78
Caſtigant peccantes Angeli ſancti. 176
Caſtitatis amatores Angeli ſancti. Serm.12. toto.
Caſtitatis laudes & Encomia. 113
Caſtitatem procurant Angeli. 115
Caſtra Dei Angeli ſancti cur? 5
Chriſtus non habuit Angelum Cuſtodem. 53
Chori Angelorum nouem, cuilibet Hierarchiæ tres. 40
Cibus Angelorum gaudia cæleſtia. 19
Cibant & potant homines Angeli ſancti. 125
Cineres reſurgentium à morte colligunt Angeli. 238
Cognitio Angelica de ſtatu ſuorum Clientum. 70
Colloquijs pijs interſunt Angeli ſancti, impijs Dæmones. 100
Comitantur nos Angeli in cæleſtem patriam. 213.
Confirmatio in gratia quid ſit. 55
Conuerſatio cum Angelis, & familiaritas Serm.27.toto.
Conſtantinus Magnus Angelorum imagines fieri curauit. 94
Cordis ſecreta ſolus Deus nouit. 71
Corpora ab Angelis aſſumpta, non ſunt vera corpora. 87
Corporum diuerſitas, in quibus apparent Angeli boni & mali. 88
Corpus humanum integrum, numquam habet Dæmon. 90

Digitized by Google

Corpora hominum nunquam obſident Angeli boni. 87
Creaturis etiam irrationabilibus præſunt Angeli. 59
Curſores & nuncij noſtri S. Angeli Cuſtodes. 74
Cuſtodia Angelica Deus primarius Director 67

D.

DÆmones iurati hominum hoſtes. 49
Dæmonis tentationes in agone, ſancti etiam timent. 194
Deceptiones mille Dæmonis, animarnm hoſtis. 196
Decipit maleficas Dæmon, miſerandum in modum. 192
Deducunt Clientes ſuos in cælum Angeli ſancti. Serm. 22. toto.
Dei obliuio Angelis exoſa. 251
Dei præſentia ante oculos ſemper poſita, res Angelis grata. 256
Deſperata ſalutis hominem, in gratiam reducit Angelus. 211
Differentia 7. inter hominem & Angelos. 7
Diſtinctio ordinum Angelicorum, ad diſtinctionem Miniſtrorum aulæ Regiæ. 41
S. Dominicum comitantur Angeli ſancti ad Eccleſiam. 84
Dona ſpiritualia Angelis offerenda. 260
Dubiis in rebus Angeli inſtruũt homines. 170
Duces belli S. Angeli Cuſtodes. 81

E.

ECcleſiæ ſingulæ habent Angelos Præſides. 62.
Eccleſiæ Chriſti Princeps S. Michael Archangelus. 63
Eleemoſinarij diliguntur ab Angelis. 98
Eleemoſinarij cæleſtis Regis, S. Angeli. 155
Encomia Sanctorum Angelorum in ſcripturis. 21
Epiſcopatus Parochiæ, Monaſteria, Collegia, Sodalitates, habent Angelos Præſides. 60
Excubitores ac vigiles noſtri S. Angeli. 22
Executores Diuinæ Iuſtitiæ Angeli ſancti. 175

F.

FAcultas Angelorum aſſumendi corpora, & vnde? 87
Famem & ſitim ſedant Angeli ſancti. 125
Familiaritas Religioſorum & Angelorum. Serm. 11. toto.
Familiaritas cum S. Angelis cuilibet ineunda. Serm 27. toto.
B. Felicis loco, Angelus paſcit pecora. 77
Feſtum S. Angeli Cuſtodis ſolenni ritu celebratur in Eccleſia Bambergenſi 2
Fidei Propagatores ab Angelis amantur. 100
Fortitudo Angeli, quanta? 20
S. Francha Angelus ſacrum velamen imponit. 77
S. Franciſci deuotio erga S. Angelos. 24
S. Franciſca Romana ſæpius videt Angelos Cuſtodes. 56
R. P. Franciſcus de Bergamo, Cappucinus, octennio vſus familiaritate Angeli. 57
Fraudes Sathanæ contra animas noſtras 196
Funera Clientũ honorant Angeli ſancti. 220
S. Furſæus extra corpus plurima ab Angelis accipit beneficia. 34

G.

GAudia æterna ſæpius pitiſſant Religioſi miniſterio Angelorum. 111
Gaudent Angeli de cõuerſione peccatorũ. 175

H.

HIerarchiæ cæleſtes tres ad vnum Monarchicum Regimen ordinatæ. 40
Hildegundis Virgo, quot & quanta beneficia, acceperit ab Angelo. 12
Hominis & Angeli diſcrimen multiplex. 18
Homo naſcitur inermis, vnde indiget Angelica defenſione. 96
Honor Angelorum vtilis & Deo gratus. 131
Humilitas SS. Angelorum. 261

I.

IGnorantes ab Angelis inſtruuntur. 170
Illuminatio Angelica quomodo fiat? 68
Illuminatiuas actiones, exercent Angeli. 157
Illuſiones Dæmonis fraudulentæ. 205
Imagines Sanctorum Angelorum licitæ & ſanctæ. 95
Imagines Angelorum miraculoſæ, in cruce S. Procopij martyris. 95
Impediunt Angeli hominum peccata. 170
Incarnatio Filij Dei, fecit Angelos in amore noſtri feruentiores. 86

Incar-

Digitized by Google

Incarceratos liberant Angeli ſancti. 133
Infantulus Dæmoni ab Angelo eripitur. 37
Infideles etiam habent Angelos Cuſtodes. 55
Intellectus Angelicus omnia penetrat. 19
Inuidiam deteſtantur Angeli. 253
Ioannes Carrera familiariſſimus Angelo Cuſtodi. 47
Iracundia nimia Angelis exoſa. 252
S. Iſidori vices obit in laboribus S. Angelus Cuſtos. 77
Itinerum pericula pellunt S. Angeli. 129
Iuliani & Baſiliſſæ miraculoſa virginitas 118
Iuſtitia Diuinæ miniſter Angelus. 246

L.

Laudibus Diuinis vacantes, amant Angeli. 101
Laus Dei proprium officium Angelorum. 3
Laudes Dei etiam turbat Diabolus. 183
Legati Dei ſancti Angeli. 80
Locutio Angelica quid ſit & quomodo peragatur. 68
Luxuria Angelis valdè exoſa. 254

M.

Magiſtri & Pædagogi noſtri S. Angeli. 23
Mala omnis generis arcent Angeli ſancti. 135
Maria Virgo, habuit Angelum Cuſtodem 54
Martyres adiuuant & ſolantur Angeli in tormentis. 140
Matrimonia ſanctificant & benedicunt S. Angeli. 122
Maximilianus I. à præcipitio per Angelum liberatur. 135
Michael Archangelus ſolicitus pro Friderico Imperatore. 24
Michael Archangelus Princeps Eccleſiæ. 63
Michael Archangelus, claret innumeris vbique miraculis. 64
Michael Archangelus Præpoſitus animarum fidelium. 66
Michael Archangelus apparet Conſtantino Magno. 65
Miniſterium Angelorum ad quod deputati 7
Miſeriæ 7. hominis ab Angelica cuſtodia curantur. 9
Miſſam frequenter audientes amant Angeli. 102.
Miſericordes diliguntur ab Angelis. 98
Miſericordiæ Diuinæ miniſter Angelus. 247
Mortis horam Clientibus pronuntiant Angeli. 138
Moyſes vidit Angelos, pro ſe pugnare paratos. 34.
Munera ſpiritualia Angelis offerenda. 260
Munificentia Dei erga homines. 121
Muſicam cæleſtem audit S. Venantius. Item S. Eremita. 79

N.

Natura Angelorum nobiliſſima. 27
Nomina Angelorum ſubſtantiua, ſignificant eorum officia. 50
Notarij noſtri ſancti Angeli. 239
Numerus Angelorum innumerabilis. 28
Numero decies ſuperior Chorus ſuperat inferiorem. 44

O.

Occaſiones peccandi, amouent Angeli. 175
Occaſiones peccati, ſummoperè cauendæ. 191
S. Onophrio Angelus aſſiſtentiam ſuam pollicetur. 77
S. Onophrium cibat & communicat Angelus. 112
Officium Angelorum primarium Deum laudare. 40
Opera noſtra bona notant Angeli. 239
Oppreſſi iniquè à S. Angelis iuuantur. 132
Orationes noſtras frequentat & turbat Diabolus. 185
Orationes noſtras offerunt Angeli ſancti 182

P.

Paphnutius ab Angelo reficitur & roboratur. 112
Parochiæ ſingulæ ſuos habent Angelos. 60
Peccati horrorem inſpirant Angeli. 188
Pereuntes animas, ſeruant Angeli. 236
Perfectiuas actiones, exercet Angelus Cuſtos. 156
Pericula quæcunque arcent Angeli ſancti. 135
Peſtem & lues contagioſas extinguunt Angeli ſancti. 137
B. Petri Fabri, è primis ſociis S. Ignatij Deuotio ad S. Angelos. 24
Pictura & imagines Angelorum. 92

Potentia & fortitudo Angelorum. 29
Pœnitentibus congaudent Angeli ſancti. 170
Pœnitentes deinceps caſtos, amant Angeli 119
Pœnitentia non differenda. 257
Pragenſis victoria Angelis adſcribenda. 151
Praſciti & damnandi etiam, habent Angelos Cuſtodes. 55
Praſens adeſt S. Angelus Cuſtos. 76
Pulchritudo Angeli quanta. 20
Pulchritudo quanta vniuſcuiuſq; Chori. 43
Purgatiuas actiones exercet Angelus Cuſtos. 156
Purgatorio detentos conſolantur & liberant. 231

R.

RAthboſtum Friſia Ducem turpiter decipit Dæmon. 202
Religioſi impenſiſſimè diliguntur ab Angelis. Serm. 11. toto.
Religioſis ægrotantibus miniſtrant Angeli. 110
Religioſorum exequias honorant Angeli. 111
Reliquias Sanctorum honorant Angeli. 234
Reprehendunt Clientes malè agentes. 175

S.

SAcrificio Miſſæ ſemper præſentes ſunt Angeli. 184
Sacrificio aſtantium, orationes excipiunt Angeli. 185
Salutis alienæ ſtudioſi ab Angelis amãtur. 97
Sapientia & ſcientia Angelorum excellentiſſima. 31
Simia Dei Diabolus. 196
Solantur mæſtos Angeli. 185
Soldanus Iconij per Matrem conuertitur. 235

T.

TE Deum laudamus deuotè cantari libenter audiunt Angeli. 109
Tentationem libidinis, mirabiliter vincit Nicetas. 120
Tentationes Diaboli in hora mortis. 208
Tentationes Diaboli tempore orationis. 203
Theodoſius Abbas, ab Angelo iuuatur, vt vincat Dæmones. 81
Titulis varijs Angeli cohoneſtantur à Scriptura & Patribus. 83
Tolerantia laborum in SS. Angelis. 263
Tutela Angelica, quando incipiat? quando finiatur? 74

V.

VAlerianus videt Angelum cum Cæcilia orantem. 80
S. Venantius audit Angelos in cælo cantantes. 4
Viatores dirigunt & protegunt Angeli. 129
Vicarij Domini Dei ſancti Angeli. 22
Victoria plurima, Angelorum opera parta. Serm. 16 toto.
Victoria moderni temporis Angelis adſcribenda. 151
Virginitas quàm grata Angelis. 116
Virgines Angeli defendunt, ne Virginitatem amittant. ibidem.
Virginitas ſingulare Dei donum. 113
Vitia, virtutum pallio tegit Diabolus. 202
Vitæ prolongationem obtinent Clientibus Angeli 230
S. VVilhelmus ſæpius inuiſitur ab Angelis. 57
Voluntas Angeli, quàm efficax. 19

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitiz